



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Capita Quarti Libri sunt XXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

Nonò quæritur, An primi hominis ante lapsum merita efficaciora essent, quam sint merita iustorum hominum post lapsum? Respondeo, ex communi Theologorum sententiâ, hæc esse efficaciora, quam illa, ea ratione, qua hæc Christi Domini meritis innituntur: hoc est tot, ac tantis beneficiis, quibus labores, & tandem mortem acerbissimam crucis, pro nobis patienter sustinuit.

Sed dubiæ quæstionis est primum, an in eo statu hominis ante lapsum, iusti amplius mererentur ex æquali gratia, quam iusti post lapsum primi hominis mereantur. Respondeo, cum Bonaventura, Richardo, & Gabriele, plus mereri nunc iustos, quam tunc mererentur; quoniam longè maior est modo in iustis ad bonum difficultas ob pugnam domesticam carnis, & mentis; ergo maior, & gloriosior est victoria, triumphus, & corona: item in statu naturæ lapsæ sunt, & fuerunt quarundam virtutum insignium eximia, & egregia opera, quæ tunc non fuissent in iustis, cuiusmodi est patientia, & perseverantia Martyrum, Evangelica religiosorum hominum paupertas, obedientia, & castitas, aspera, seuera, & dura Monachorum vita, rigida multorum poenitentia, & alia similia virtutum officia: at ex altera parte, tunc in iustis promptior, & expeditior esset voluntas ad bonum, esset constantior, robustior, & firmitior, & cætenus iustorum merita augerentur.

Dubiæ itidem quæstionis est, an tunc iustis copiosior, & abundantior gratia daretur, non est quæstio an plures iusti futuri essent in eo naturæ integræ statu, quam in statu naturæ peccato corruptæ: nec est quæstio, an aliquis tunc esset futurus iustus cum maiori gratia, quam sint modo aliqui iusti, sed quæstio est, si status naturæ integræ cum statu naturæ lapsæ compareetur, an tunc plura, & maiora gratiæ munera darentur, quam nunc dantur? nam ex vna parte videtur gratia, tunc abundantior, & amplior futura, quia promptius, & expeditius, & ardentius præpararentur homines ad gratiam excipiendam, cum paucioribus, & longè minoribus impedimentis implicarentur, ex altera parte, vt docent Bonaventura, Richardus, & Gabriel, cumulatior gratia videtur, nunc à Deo conferri, quia maiori gratiæ auxilio indigemus, & Deus in necessarijs non deficit; verisimile itidem est, Deum ex casu primi hominis maius, & amplius bonum elicuisse, quam esset illud futurum bonum, si nullus hominis lapsus contigisset; conuenit inter omnes gratiam, quæ datur iustis ex tor, ac tantis Christi Domini meritis vberior longè fuisse, sed de hac gratia quæstio non est: sed præcisè de gratia, vt decet statum naturæ integræ, & naturæ lapsæ.

IOANNIS AZO- RII LORCITANI, E SO- CIIETATE IESV,

INSTITVTIO NVM MORALIVM,

LIBER III.

De Peccatis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Peccatum.

PRIMO omnium quæritur, quodnam sit discrimen inter vitium, peccatum, & culpam? Respondeo, Vitium à peccato, & culpa distingui in eo, quod vitium, & in habitibus, & in actibus virtuti contrarijs: at peccatum, & culpa, solum in actibus consistunt. In præsentia autem, peccatum accipimus, prout est id, vnde quis est, & dicitur peccans; non autem quatenus est id, à quo quis est, & nominatur peccator post actum culpæ præteritum. Deinde, inter peccatum, & culpam hoc interest: quòd peccatum latius patet, quam culpa: Peccatum enim est tum in actibus naturæ, & artis, tum in actibus rationis, & moris. Peccatum enim, est actus, qui à iusta, & debita regula dissentit, ac deficit: Porro in ijs, quæ natura constant operibus, regula est natura: in ijs, quæ arte efficiuntur, ars: in moribus verò, est ratio. Quare monstra, quæ in natura gignuntur, Aristoteles appellat peccata naturæ; ipsos quoque artifices sæpè dicimus contra artem multa peccasse. At verò culpa, solum in actibus moris, & rationis, voluntarijs, & liberis, est: qui quidem, eo quod contra rectam rationem voluntariè, & liberè fiunt, culpæ tribuuntur & poenæ. In præsentia, peccatum accipitur, vt est in actibus rationis, & moris. Ex quo efficitur vt omnis culpa sit peccatum, omne peccatum vitium: non autem è contrario, omne vitium peccatum; nec omne peccatum culpa: quare vitium est, quia habitus est, vel actus virtuti contrarius; Peccatum verò, quia actus à recta regula discrepans. Culpa, actus voluntarius, & liber à recta ratione dissentiens.

Secundò quæritur, Quo pacto peccatum definiatur? Respondeo, Peccatum aliter ab Augustino, aliter ab Ambrosio definiri. Augustinus quidem peccatum definit esse, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei eternam: Ambrosius verò, Peccatum dicit transgressionem diuine legis, & inobedientiam celestium mandatorum. Animaduertendum est, appellatione legis Dei æternæ, vel diuine, vel mandati celestis intelligi posse rectam rationem: ita vt peccatum, sit actus contra rectam rationem factus, vel omissus. Cum autem ratio diuina sit per suam naturam recta: Sequitur, vt quicquid est rectæ rationi contrarium, sit diuine rationi aduer-

Rich. d. 21.
ar. 2. q. 3.

Arist. lib. 2
Physic. tex.
82.

Magist. 3. d.
35. S. Tho.
1. 2. q. 71. a.
6.

Augu. lib.
22. contr.
Faust. cap.
27.

Ambr. lib.
de Paradi-
so cap. 8.

lum, & inimicum. Quare etiam si ex hypothesi impossibile Deum non esset, vel ratio diuina esset per se recta, & non diuina; vel nihil imperaret, aut prohiberet per legem scriptam, aut positam, & constitutam nutu suo; nihilominus omnis actus contra rectam rationem admissus, hoc ipso esset peccatum, quod is rectæ rationi esset aduersus. Ve enim in naturalibus res, quæ sunt per se veræ, vt homo est animal rationis compos, equus est substantia, sunt semper veræ, siue Deum esse, siue non esse, mentis cogitatione concipias, aut fingas: sic in moribus, quod est per se peccatum, & malum, ideo est tale, quia rectæ rationi aduersatur, siue Deum esse in rerum natura, siue non esse omnino tu cogites. Porro quia peccatum, quatenus tale, cum recta ratione similiter pugnat, sequitur, vt à diuina quoque ratione dissentiat, quæ est per suam naturam recta; & proinde etiam à diuina, vel æterna, vel cælesti lege diffideat, quæ per se quoque est recta ratio. Ambrosius enim per cælesti mandatum, nil aliud intelligit, nisi diuinam legem, hoc est, rectam rationem diuinam. Possimus etiam appellatione legis æternæ, vel cælestis mandati, accipere propriè diuinum præceptum, quod est à Deo constitutum; nam omne peccatum, siue sit contra ius, & legem naturalem, siue contra ius humanum, est contra legem Dei: non quidem quia sit contra ius diuinum supernaturale; sed quia Deus iubet legi naturali, & humanæ parere: & proinde quicquid à iure naturali, vel humano dissidet, à Dei quoque lege, & ordine dissentit, & discrepat.

Secundo est animaduertendum appellatione dicti, facti, vel concupiti, nequaquam intelligere Augustinum rem, quæ concupiscitur, aut quæ verbo exprimitur, dicitur, aut fit: non enim peccatum est vxor, vel pecunia aliena, quæ appetitur: nec peccatum est vas aureum, vel argenteum, quod in die festo elaboratur: sed actum intelligit Augustinus, quo aliquid concupiscimus, dicimus, aut facimus. Ita vt peccatum, sit actus, quem aut concupiscendo, aut dicendo, aut faciendo quippiam, contra rectam rationem elicimus. Immo actum etiam latè accipere oportet: nam armatum, aut vestitum esse, quiescere, stare, in lecto iacere, peccata esse possunt; vt si quis contra legem, ius, aut præceptum armatus incedat, si quiescat, stet, aut in lecto iaceat; & tamen actus propriè non sunt.

Tertiò animaduertere conuenit, dicti, facti, vel concupiti nomine, voluisse Augustinum tria peccatorum genera complecti; nimirum peccata cordis, oris, & operis: quare vt paucis peccatum definiam, dicendum arbitror, esse Actum contra rectam rationem admissum. Sed, actum, necesse est latius accipere, quam frequenter accipi solet: scilicet, vt comprehendat etiam omissionem debiti actus contra rectam rationem. Ex quo efficitur, vt peccare, sit quippiam agere, vel omittere contra rectam rationem: & peccatum sit contra rectam rationem actus, vel omisio. At inquit, Is, qui legem humanam iustam violat, hoc ipso peccat, quod contra legem agit: ergo peccatum non solum contra rectam rationem, sed etiam contra legem humanam committitur. Respondeo, legem humanam, qua ratione iusta

est, cum recta ratione congruere: nam hoc ipso quod est iusta, est rectæ rationi consentanea; & proinde qui contra legem humanam peccat, contra rectam rationem agit. Deinde obijcies, Qui violat præcepta iuris diuini supernaturalis, qualia sunt fidei, & sacramentorum mandata; & qui delinquit contra virtutes infusæ, vt cõtra spem, fidem, & charitatem, verè peccat, nec tamen agit contra rectam rationem, quoniam recta ratio, est naturalis mens hominis, quæ naturaliter præscribit, quid sit agendum, quid fugiendum: sed naturalis hominis ratio nihil eorum, quæ sunt, vel virtutis infusæ, vel iuris diuini supernaturalis præscribit, aut iubet, quia ea minimè cognoscit, ac perspicit. Respondeo rectam rationem non intelligi solum mentem hominis naturaliter aliquid præcipiẽtem, sed absolute quamcunque rectam rationem imperantem, vel prohibentem: talis autem est ratio diuina, aliquid siue naturale, siue supernaturale præcipiens: ea enim est ratio per se iusta, & recta. Item positus diuinis Fidei, & Sacramentorum præceptis, immo quibuscunque alijs Dei mandatis, recta ratio absolute, siue sit hominis, siue Angeli, siue cuiuscunque alterius, modo ea recta sit, præcipit illa esse obseruanda. Tertiò dices, Quid si Deus nihil iuberet, nihil vetaret? Respondeo, Siue Deus imperet aliquid, siue non imperet, atque prohibeat, peccatum nihilominus est contra rectam rationem, nam hæc est peccati vis, ratio & natura: Sicut siue Deus agat, siue non agat, calor, vt calor est, quæ malū est; ita quoque licet Deus nihil vetaret, vel etiam si Deus in rebus, aut in natura non esset, vel quamuis homo non esset, peccatum esset malum rationis, hoc est, rationi contrarium.

Tertiò queritur, Qua ratione peccatum omne dicatur esse contra naturam? Respondeo, Sicut in naturalibus, Malum dicitur id, quod est naturæ contrarium, & incommodum; ita enim calorem dicimus esse malum aquæ, quia est aquæ aduersus & inimicus: sic etiam in moribus, dicimus aliquid esse malum, quia est rectæ rationi contrarium. Et quia recta hominis ratio, quæ agenda, & fugienda definit, est natura hominis: ideo, cum dicimus, peccatum esse contra naturam, perinde est, ac si dicamus, Peccatum esse contra rectam rationem: nam recta ratio est natura hominis, Angeli, & substantiæ intelligentiæ præditæ: & omnis virtus, quæcunque sit ea, dicitur esse secundum naturam, non quod naturaliter eam ratio præscribat, sed quod sit rectæ rationi consentanea. Quædam verò peccata peculiariter esse dicuntur contra naturam, quia sunt contra naturalem hominis virtutem: cuiusmodi sunt certa quædam detestabilia, & maximè execranda libidinis, & luxuriæ criminalis; vel quia sunt contra totam naturæ propensionem, quale est hominem consciscere sibi mortem. Omnis enim res naturaliter seipsam tuetur, & homo ex omni parte, qua est, naturaliter seipsum defendit, atque conseruat. Sed queret aliquis, quomodo sint contra naturam ea peccata quæ tantummodo contra leges humanas perperam committuntur? Respondeo, Esse contra naturam, hoc est, contra rectam rationem,

quæ

S. Tho. 1. 2.
q. 71. a. 2 et
Aug. lib. de
spiritu, &
literac. 20.

quæ est natura hominis, & esse contra naturam, non quidem per se, sed quia lege humana interdicta; non enim sunt per se mala, sed quia sunt lege, & scripto iure damnata: & propterea quatenus sunt lege verita, cum ratione dissentiunt.

Quartò queritur, An peccatum hoc ipso, quòd est contra rectam rationem, Deum offendat? **R**espondeo, Peccatum, quatenus tale est, rectam rationem offendere, quia est ipsi inimicum, & aduersum: quatenus verò rectam rationem offendit, necessariò cum diuina ratione pugnare, quæ per suam naturam est recta: ergò peccatum, quatenus tale est, Deum offendit. Deus enim peccatis offenditur, quia ipsi peccata displicent: & hinc est, vt Deus peccatibus irascatur; & velit eorum scelera debitis, & iustis pœnis vlcisci, & punire. **O**bjicies, Philosophos nouisse peccatum esse contra rationem, non tamen nouisse Deum peccatis offendi. **R**espondeo, nihil ob stare, quo minus peccatum quatenus tale est per se, in offensa sit apud Deum; quoniam cum res aliqua per se, hoc est, per suam substantiam, ad multa ordinem habet, potest cognosci vnus ordo absque ordine ad aliud; sicut res naturales cognosci queunt, vt naturales sunt, tamen si non cognoscantur, vt sunt creaturæ: sic peccatum, vt est contra rationem cognosci potest, licet non cognoscatur ea ratio ne, vt est contra Deum. **N**ihil etiam refert, is qui peccat, nouerit necne Deum offendi peccato: vel in eo sit necne gratia, vel charitas Dei infusa, aut diuinitus accepta: siquidem qui peccat, scit se contra rectam rationem agere, & hoc ipso agit contra Deum, & contra id omne, quod nos cum Deo ipso coniungit, & copulat. Pari ratione sequitur, vt peccatum quatenus tale est, modo sit graue, Dei hominisque amicitiam dissoluat, ac dirimat: & proinde gratiæ, & charitati diuinæ sua ratione aduersetur, eamque tollat. Ratio huius est, quia peccatum est cõtra rectam rationem, ergò contra amicitiam, & gratiã Dei, quæ est per se recta ratio, & omnis boni regula, & norma.

Quintò queritur, An peccatum per se, hoc est ratione sua cum graue sit, hominem auertat, & alienet à Deo? **R**espondeo, Auertere: quoniam si cur per se est rationi inimicum, & aduersum, sic etiam est Deo cõtrarium, qui est per se ipsum recta ratio. **Q**ueres, An per se hoc est ratione sua etiam Dei gratiæ, & charitati aduersetur? **R**espondeo aduersari, quoniam amicitiam diuinam dirimit, ac tollit; quod si gratia non esset, nihil ob stare, quoniam peccatum cum graue est, meretur Dei iram, & odium. **R**ogabis an peccatum quoque per se, cum graue est, hominem eius auctorem pœnis æternis subijciat? **R**espondeo, maxime, hoc tamen sensu, quòd eas promeretur, potest enim Deus pœnas meritas de peccato non lumere.

Sextò queritur, An peccatum sit per se alicuius boni debiti priuatio? quod est querere, An peccati ratio per se consistat in re aliqua, & natura, an potius in aliqua priuatione, & absentia boni, & questio locum habet in peccato quod committendo, non quod omittendo quis facit. In qua questione sanè difficili, & obscura, due sunt sententiæ, quæ mihi minimè probantur: prior est Caietani asserentis, malum simpliciter, cuius gene-

ris sunt mors, cæcitas, surditas, tenebræ, in sola priuatione ratione sua consistere, aut in sola negatione, vt non ens, nihil, chimæra, & cætera ficti res quæcunque sint: at verò malum, inquit, moris ratione sua & natura, non in priuatione, sed in re aliqua consistit. **A**it enim Caietanus, in peccato, quod est malum moris, tria contineri, primum, Actum in genere naturæ: **S**ecundum, priuationem boni, & recti, quod deberet actus habere: **T**ertium, inquit, est, res quædam media absoluta, videlicet qualitas inter illa duo prædicta, & in hac re media, & absoluta inter actum, & priuationem censet Caietanus sitam esse totam rationem peccati, quod est malum moris; quoniam actus in genere naturæ, est veluti res, & materia subiecta, nec malum moris est: priuatio verò con-

sequitur rem, quæ est malum moris: ergo in priuatione nequit ratio peccati consistere: quare necessario ratio peccati constituta est in re quadam absoluta, quæ inter actum, & priuationem intercedit. **H**æc Caietanus de ratione peccati sentit, & docet: quæ sententia, aut est eadem omninò cum vltima, quam in medium proferemus; aut certè est, nisi in eum sensum accipiatur, què mox explicabo, falsa, & improbabilis, quamuis quibusdam videatur absurda, & temeraria. Nam ex ea, inquit, colligitur esse rem aliquam absolutam per se malã, & Deum vel non esse auctorem, & causam alicuius rei, vel certè esse auctorem peccati, quoniam media illa absoluta res, siue qualitas inter actum, & priuationem, est res quædam secundum Caietanus absoluta, scilicet qualitas per se mala in genere moris, ergò illius Deus, vel est causa, vel non est: si hoc secundum, Deus igitur non est causa omnis rei absoluta. Si primum, ergò Deus est causa peccati. **C**æterum Caietanus putat suam sententiam esse S. Thomæ doctrinam lib. 3. contra gent. cap. 9. & 1. 2. q. 18. a. 5. ad 2. & 2. 2. q. 10. a. 5. ad 1. & p. 1. q. 25. a. 1. ad 2. Ego tamen id verum esse non puto, nisi Caietani sententiam mitius, & benignius in aliù sensum trahamus, vt inferius declarabo. **S**ecunda opinio docet peccati rationem ex duobus, & in duobus consistere; ex re inquam, vel ex actu, & priuatione. **H**æc colligit ex S. Thoma 1. 2. quest. 71. art. 6. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 9. **S**ed hoc dici non potest: nihil enim ratione, & natura sua consistere potest ex his duobus, nimirum re, & priuatione. Priuatio enim rem sequitur, non constituit: quare, aut ratio alicuius est sola priuatio, cuiusmodi est ratio mortis, cæcitat, te nebrarum; aut negatio, vt nõ entis, chimæra, aut tragelaphi; aut est res aliqua, vt calor, frigiditas: nisi dixeris peccatum esse priuationem boni in aliquo actu consistentem, quod prædictis locis S. Thomas manifestò tradidit, vt statim explicabo.

His igitur sententijs explosis, duæ sunt opinionones, prima, communi ferè Theologorum cõsensu est recepta, quam docuerunt Aluifio. lib. 2. tract. 7. c. 1. & tract. 14. c. 1. Alex. p. 2. q. 94. m. 1. & q. 97. m. 1. Bona. 2. d. 34. a. 2. q. 3. Richar. 2. d. 34. a. 1. q. 1. & d. 35. art. 1. q. 1. Henric. quodl. 1. q. 25. Scot. 2. d. 34. 35. 36. 37. §. iste questiones. Dur. 2. d. 25. q. 2. Ocham, quodl. 3. q. 6. & q. 14. Gabr. 2. d. 35. q. 1. a. 2. Almai. tract. 3. mora. c. 17. & Marsil. 2. q. 21. art. 1. Peccati rationem sola priuatione compleri, ex hoc quod peccatum sit alicuius boni & recti, quod deberet cum ratione congruere,

q. 18. art. 5. sic Medina 1. 2. q. 71. a. 6. ubi ait Canum quoque cum Caietano ex parte sensisse.

S. Tho. 1. 2. q. 71. art. 6. ad 1. Caiet. lib. 3.

Caiet. 1. 2. q. 71. art. 6. &

oriatio, Augustinus, & alij Patres passim docue-
unt, Peccatum in negatione, seu priuatione con-
sistere; & ideo sine Deo fieri; quia alioqui ali-
quid esset, quod sine Deo fieret, per quem facta
sunt omnia, & sine quo factum est nihil: pecca-
tum enim absque Deo fit, ergo nihil est. Deinde,
quia omne quod est, hoc ipso quod est, bonum et-
iam est: Si igitur malum est, ideo est, quia recto
caret, quod deberet habere. Accedit his, quod sta-
tim, atque aliquid concipitur mentis cogitatio
ne recto carere, quod deberet habere, intelligi-
tur esse malum, ante non item. Hæc sententia est
sumpta ex Patribus, Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 4.
August. de Maniche. moribus cap. 5. 6. 7. 8. & in illud
Ieron. 1. sine ipso factum est nihil, & Leo. epist. 93. ad Tori-
bium cap. 6. Anselm. de caus. diab. cap. 8. 9. 10. 11. & 15. &
16. & de concept. Virg. cap. 4. 5. & 6. **Secunda opinio,**
peccati rationem, ait, totam in re sine priuatione
perfici, ex hoc quod peccatum sit actus rectæ ra-
tioni contrarius: idque probat multis argumen-
tis. **Primo,** quia odium Dei, mendacium, & alij ac-
tus per se mali, peccata non sunt ob id, quod ca-
reant recto, quod deberent habere: nihil enim
recti habere queunt, cum sint per se mali: ergo i-
deo sunt peccata, quia sunt actus cum recta ratio-
ne pugnantes. **Deinde,** vni virtuti multa vitia, &
peccata opponuntur. Iustitia enim (exempli gra-
tia) est vna specie virtus; & tamen iniustitiæ pec-
cata sunt multa, homicidium, adulterium, detra-
ctio, contumelia, furtum: Item liberalitas, vna
est virtus; & tamen vitia opposita sunt duo: Aua-
rus enim, & prodigus, liberali opponuntur: Ca-
stitas item, vna virtus est, & tamen multa vitia, &
peccata sunt luxuria, & libidinis vni castitati, &
pudicitie inimica, & aduersa, nempe cum Scor-
to congressus, adulterium, incestus, stuprum, &
alia his coniuncta. Ergo eiusmodi vitia, & pec-
cata non sunt priuationes boni, vnius enim boni
vnica tantum priuatio est. Ergo ideo sunt tot pec-
cata virtuti contraria, quia sunt multi actus in
vnius virtutis subiecta re & materia, rectæ ratio-
ni contrarij: aliter enim cum recta ratione pu-
gnat, qui alteri vitam adimit, atque is, qui hono-
ri, aut famæ alienæ detrahit, aut alienum surri-
pit, aut rem cum aliena habet vxore. **Item** quia
habitus vitiosus omnino est virtuti contrarius:
at duo habitus contrarij absque vlla priuatione
sibi inuicem aduersantur: quemadmodum etiam
in physicis, calidum, & frigidum; siccum, & hu-
midum sunt inter se contraria: ergo etiam duo
actus virtutis, & vitij, cum sibi inuicem aduer-
sentur, absque priuatione sunt. **Postremo,** quo-
niam omnis priuatio in re aliqua, vt in subiecta
materia inheret: at in actibus, qui sunt per se
mali, cuiusmodi sunt odium Dei, & mendacium,
furtum, homicidium, adulterium, detractio; res
subiecta non est; non enim esse potest ipse actus,
nec voluntas, nec homo, vt certum, & comper-
tum est: voluntas enim, aut homo peccare dici-
tur, peccatum non item. **Hæc opinio meo iudicio**
est eadem, quæ Caietani, non tamen eo sensu,
quem insinuasse Caietanus videtur: quoniam
non censet cum Caietano peccati rationem con-
sistere in qualitate, formula, siue re aliqua abso-
luta, quæ sit per se mala, sed in respectu, & ordi-
ne rationi contrario, qui consequitur actum hu-

manum, vt scienter, & voluntariè ac liberè con-
tra rationem ab homine fit, non autè vt fit à Deo,
quia homo, non Deus contra ius, fas, & rationem
agit. Aliud verò est dicere peccatum sua ratione
consistere non in aliquo absoluto, quod sit per se
malum, sed in quodam ordine, & respectu ratio-
ni contrario, qui consequitur actionem huma-
nam, non vt profectam à Deo, sed vt productam
ab homine, aliud verò est, dicere peccati ratio-
nem consistere in aliquo absoluto, quod est per
se malum. Hoc secundum videtur Caietanus do-
cere, nisi iustitiam interpretemur: illud primum
censet secunda sententia, quam dixi.

In hac controuerfia prima opinio semper fuit
communis Theologorum consensu comprobata:
nec ita firmæ, & validæ ad eam conuellendam
rationes adhibentur, vt dissolui nequeant: licet
quidam existiment efficacibus eam argumentis
confutari; quare cum adeo sit inter Theologos
communis, non est, cur quispiam merito putet
eam improbabilem esse. Quod si eam sequi ma-
limus, tunc iuxta aliquorum sententiam dicere
oportet, actus, qui sunt per suam naturam mali
(cuiusmodi sunt odium Dei, & mendacium, &
id genus alij, vt sæpè iam diximus) ideo esse pec-
cata, non quia bono & recto careant, quo prædi-
ci deberent esse, quatenus tales actus sunt in cer-
ta specie repositi: nam vt tales sunt, nihil recti,
aut boni habere possunt in se; sed quia vt consti-
tuuntur in genere actus humani, & voluntarij,
recti, & boni deberent esse, cum tamen sint mali.
In naturalibus enim aliqua etiam dicuntur pri-
uari forma sibi debita, non quidem vt specie ta-
lia sunt, sed vt certo genere constant. nam talpæ
ex tota sua specie visu, & oculis priuatæ esse di-
cuntur; quia saltem ea ratione, qua sunt anima-
lia, deberent esse aspectu prædita, quem tamen
non habere perhibentur. Item licet voluntas
lege, aut præcepto aliquo non compellatur ad
Deum nunc diligendum, aut amandum Titium:
hoc ipso tamen quod operatur, conuenienter ra-
tioni deberet agere, & ideo peccat odio habendo
Deum, aut Titio inuidendo: quia actus eius
hoc ipso, quod est voluntarius, & liber, deberet
esse rectæ rationi consentaneus: Ergo est malus,
quoniam caret recto, quod deberet habere, vt ac-
tus voluntarius, & liber est. Insuper, actus ideo
malus est, quoniam caret respectu, & ordine
cum recta ratione, & Dei lege conueniente: si-
cut actus bonus est, qui cum recta ratione, & Dei
lege congruit. Præterea, vni virtuti multa pecca-
ta specie distincta opponuntur, non simpliciter,
vt sunt vnius virtutis priuationes: hac enim ra-
tione cum forma sit vnius speciei, eius priuatio-
nes specie differre non queunt, sed quatenus sunt
priuationes alicuius boni specie distincti; & ra-
tioni debiti. Verbi gratia, iustitia est vna tantum
species; adulterium tamen, homicidium, detra-
ctio, contumelia, furtum, sunt peccata iniustitiæ
specie diuersa: nam licet iniustitia sit vna tantum-
modo, iniustitia tamen in species diuiditur, eo
quod iniustitia, priuatio quidem iustitiæ est, sed
cum damno, & iniuria alteri illata: quæ varia
est ex hoc, quod versatur in re, & materia specie
diuersa. Adulterium enim in materia luxuriæ,
& libidinis caret bonitate debita, quia est con-

gressus cum foemina, quæ est vxor aliena, cum damno, & iniuria alterius coniugis: Homicidium est actus, quo alteri homini vitam eripimus: Detractio est, qua famæ alienæ; contumelia verò, qua honori proximi nocemus: Furtum, quo rem alienâ surripimus. Omne igitur peccatum, qua tale est, priuatio est, vel certi actus, qui fieri deberet, cuiusmodi est omissio, vel materiæ, vel obiecti, vel circumstantiæ debita, vt actus aliqui ex obiecto, & materiæ bonus, factus tamen in loco, vel tempore interdito, vel modo vetito; vel ob finem malum, vel ab homine, qui id operis facere prohibetur, vel denique est priuatio ordinis, & conuenientiæ rationis: Sicut enim actus bonus est, qui fit conuenienter rationi, sic actus malus est, qui caret conuenientia rationis, cum tamen eo ipso, quod actus humanus est, congruenter rationi, & Dei legi fieri deberet. Mihi communis Theologorum prædicta sententia probatur; eam sic intelligo, actus bonus ideo est bonus, quia est rationi consentaneus, nec bonitas in eo est qualitas, vel res aliqua accedens, sed est ordo, & conuenientia rationis: sicut enim actus intellectus est verus, quia conuenit cum re, de qua quidpiam affirmamus, vel negamus, sic etiam actus voluntatis est bonus, quia cum recta ratione conuenit: actus igitur malus est, qui caret ordine, & conuenientia rationis: videt peccatum, quia actus est, in re aliqua, & materia versatur, at quia malus est, vacat ordine, & conuenientia rationis, sed in certa aliqua materia, & re obiecta, in qua actus ipse terminatur. Non igitur communis Theologorum sententia intelligit peccatum vniuersè esse priuationem certæ virtutis, aut actus debiti, sed boni, quod rectæ rationi debetur, hoc est respectus, & ordinis rectæ rationi, & legi Dei consentanei; & propterea, licet virtus sit vnius tantum formæ, peccata tamen ei opposita possunt specie differre ob varias circumstantias loci, temporis, modi, personæ, finis, materiæ, & rei subiectæ. Ita vt peccatum omne, sit actus carens recto, quod debet habere: eo quod careat, vel debito obiecto, materia, modo, fine, vel alia circumstantia. Denique eo quod careat respectu, & ordine, cum recta ratione, & Dei lege congruente, vel quod careat ordine, & conuenientia rationis, quam habere deberet: omnis enim actio humana, vt humana est liberè facta, conuenienter rationi fieri debet, ergo si non fit, caret conuenientia rationis debita. Obijcies in hunc modum, Actio mala, vt humana est, rationem generis tantum habet, at sic accepta non caret aliquo sibi debito, siquidem totam generis rationem habet, est enim actio voluntaria liberè facta, cui rationis conuenientia non debetur, eo quod actio, vt humana est, generatim accipitur, nec potius est bona, quam mala. Respondeo, actum humanum, in bonum, & malum non diuidi, vt genus in species, sed potius distingui per habitum, & priuationem; nam actus vt humanus est, debet conuenienter rationi fieri, ac proinde cum non fit congruenter rationi, caret ordine, & conuenientia rationis, quam habere debet. Si quæras, quando actus sunt per se mali, cuiusmodi sunt odium Dei, mendacium, furtum, homicidium, vbi nam hæreat, & insit priuatio, Respondeo, priua-

tionem in actibus malis non semper esse absentiam alicuius formæ absolutæ, qualis priuatio est in naturalibus, cuiusmodi est cæcitas, surditas, mors, tenebræ. Sed esse priuationem alicuius ad alterum relati, nimirum ordinis, & conuenientiæ rationis, & habet hanc actus malus, eo ipso quod actus humanus est à lege Dei, & recta ratione dissentiens: nam homo quatenus sponte sua, & voluntate agit, conuenienter rationi, ac proinde legi Dei debet agere, & idcirco actus per se mali caret ordine, & conuenientia rationis, vt liberè ab homine fiunt; ab efficiente enim actus mali inquinantur, qui ab alio facti non maculantur, neque enim mendacium, qua actus est, vel quatenus est, malus est, sed quatenus vacat ordine, & conuenientia rationis: nam omne, quod est, hoc ipso quod est, bonum est, sed quia malum rationis est, caret ordine, & conuenientia rationis; & ideo peccati est, quo modo verò hæc duo cohæreant inter se, videlicet peccati rationem in priuatione consistere, & nihilominus peccata specie per obiecta distingui, & patet ex dictis, & inferius, cum de peccatorum distinctione tractabo, commodius exponam. Secunda opinio quibusdam videtur probabilis, & quæ non minus facile, quam prima defendi, & intelligi potest. Sed non eo modo, quem in Caietano superioribus confutauimus. Etenim peccatum, est actus, vel omissio debiti actus contra rectam rationem, quæcumque sit illa, siue naturalis, naturaliter aliquid agendum, vel fugiendum præscribens; siue humana lege, & institutione principum, iuste aliquid præcipiens, aut vetans; siue diuina, & supernaturalis. Ratio igitur peccati completur, ac perficitur in ea ratione, qua actus voluntarius, & liber, est rectæ rationi contrarius: quemadmodum enim bonum moris consistit in hoc, quod sit actus cum recta ratione consentiens: sic malum rationis, quod est peccatum, consistit in hoc, quod cum recta ratione pugnet. Neque, inquit, hinc efficitur; vt peccatum sit à Deo: quoniam sicut actus, iuxta primam opinionem ex omni parte, qua res, & actus est, à Deo dicitur esse, & fieri; quia omne, quod est, à Deo habet, vt sit; nihilominus tamen, vt est ordine, & conuenientia rectæ rationis sibi debita priuatus, non est à Deo, sed ab homine peccante: ita etiam idem actus peccati, vt est cum respectu, & ordine rectæ rationi contrarius, non est à Deo, sed ab homine: nam licet Deus eo ipso, quod est auctor rerum omnium, sit quoque causa respectus, & ordinis boni, qui rem aliquam consequitur, non tamen continuò sit, vt sicut est causa operis, vt actus quidam est, sit etiam causa ordinis, & respectus, quem actus malus habet rationi contrarium. Deus enim contra rectam rationem non agit; cum tamè homo, dum peccat, rectæ rationi aduersetur, ac propterea respectus, & ordo rationi contrarius sequitur actum, vt sit ab homine, non vt sit à Deo. Et fortasse hoc idem dicere voluit Caietanus secundum suam illam opinionem superius à me confutatam, si ad benigniorem sensum trahamus. Hæc enim opinio secunda non docet in actu malo, siue peccato tria esse, sed tantum duo: scilicet rem ipsam, quæ est peccatum, hoc est actus hominis, quatenus actus quidam est: & respectum, & ordinem cum ratione pugnantem:

nit igitur hæc opinio peccati rationem consistere in eo respectu & ordine, qui est rationi cōtrarius. At Caietanus in peccato tria esse affirmat: primū, inquit, habet peccatum, quod sit quidam actus in genere naturæ, habet etiam, quod careat recto, quod habere deberet, in quo priuatio consistit: item habet quod sit quiddam medium inter actum in genere naturæ positum, & priuationem: quoniam antequam priuationem ullam cogitemus, actus habet peccati rationem. Et hoc est quod superius dixi esse absurdū, & iuxta aliquorum sententiam temerarium: si tamen velit Caietanus peccati rationem consistere in actu, non quatenus est actus quidam, sed quatenus est cum respectu, & ordine dissentaneo, siue contrario rationi, tunc cum secunda sententia cōuenit, quam licet ego non probem, temerariam tamen esse non credo.

Secundò queritur, An sint aliqui actus, ita per se mali, vt nulla ratione bene fieri queant, & ita mali, vt remoto etiam quocunq; Dei præcepto, peccata sint: an verò omne peccatū, idē sit peccatum; quia Dei præcepto repugnet. Sed hanc questionem inferius expediam.

Cap. II.

Quomodo peccata specie inter se differant.

Aug. lib. 12
de ciui. c. 6.
Et lib. 2. de
lib. arbit.
c. 16. et. 20.

Primo queritur, An id verum sit, quod communis Theologorum schola tradit; In omni peccato præsertim lethali esse auersionē à Deo, & cōuersionem ad creaturam. Augustinus enim, à quo deinde acceperunt Theologi secundo sententiarum dist. 35. Malum, inquit, est auersio voluntatis ab incommutabili bono ad mutabilia bona; quod tamen non videtur verum in vniuersum. Nam in odio Dei nulla videtur inesse cōuersione ad creaturam: & in odio, malevolentia, & inuidia in proximum, nulla inest auersio à Deo. Non enim peccatum omne contra Deum proxime fit, cum multa etiam contra hominem committatur. Respondet Scot. dist. 35. q. 1. f. ex ista solui. & Gabr. 2. d. 36. q. 1. art. 3. dub. 1. Posse nos dupliciter auerti à Deo; vel expressè, & explicitè, vel tacitè, & implicitè: Expressè quidem, & explicitè auertimur per actum contrariū & aduersum fidei, spei, vel charitati: vel cum actum fidei, spei, vel charitatis omittimus, cū credere alioqui, sperare, vel amare deberemus. Implicitè verò, & tacitè à Deo auertimur, hoc ipso, quod à re necessaria ad salutē æternam, nos ipsi auertimus, & auocamus. Sicut hoc ipso (exempli gratia) quod ægrotus sese abducit, & abstrahit à cibo, vel potu necessario ad salutem corporis adipiscendā, desleat, & aberrat à fine, qui est corporis sanitas. Eodem prioris modo, cum quis à re necessaria ad salutem æternam auertitur, hoc ipso à Deo, qui vltimus finis hominis est, se ipse alienat, & separat. Inde fit, vt in omni peccato lethali sit auersio à Deo implicita tantum non explicita: nam quisquis grauitèr peccat, agit contra præcepta Dei: at Christus Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mādāta.* Omne igitur graue peccatum contra aliquid est, quod sit ad gloriam cælestem consequendam necessarium. Item omne peccatum lethale nos seingit, & diuellit à gra-

Matth. 19.

tia, & charitate Dei, ergo nos quoque auertit à Deo, qui noster est finis, cū quo nos gratia, & charitas coniungit, & copulat. *Quæres*, qua ratione in omni peccato sit cōuersio ad creaturam; id enim non videtur locum habere in peccato, quo quis odio habet Deum, aut peccatorum veniam, & vitam æternā desperat. Respondet, Homine, quando grauitèr peccat, nequaquam intendere in malum, quatenus malum est, sed quatenus vile sibi, vel incundum, quod tamen nouit esse rectè rationi contrarium: & proinde dicitur ad creaturam conuerti, quia peccādo, vtilitatem, & delectationem suam in eo, quod perperam facit, querit & amat. Item qui peccat, sese conuertit ad actum aliquid, quod à gratia Dei, & charitate excidit, & propterea hoc ipso, sese abducit, & auertit à Deo.

Secundò queritur, Quomodo peccatū in Theologorū Schola dicitur hominem vulnerare in naturalibus; cum tamen Dionysius apertè tradiderit, in Angelis post peccatum naturalia omnia integra permansisse. Respondet, Alex. p. 2. q. 95. in 2. S. Tho. 1. 2. q. 85. a. 1. c. 2. & ceteri omnes in 2. dist. 35. commune esse Theologorum axioma, per peccatum hominē in naturalibus vulnerari: quod vnde acceperint, mihi planè nō constat. Putant quidā, id eos ex Beda, alij ex Glossa sumpsisse; quamuis ij auctores non id adeo perspicuè, & clarè docuerint. Sed quicquid sit de illius sententiæ auctore, negandum non est, id proditum à Magistris sententiarum fuisse, quem omnes postea tunc secuti. Glossa in c. Luc. 11. Peccata vulnerant (inquit) quia humane nature integritas violatur. Augustinus item in Enchiridio. c. 11. sic ait: *Animorum vitia, naturalium sunt priuationes bonorum.*

Sensus itaque eius axiomatici Theologici est, non quod aliquid ex naturalibus, vel proprijs principijs, aut conditionibus naturæ, sit ex toto, vel ex parte detractum; atque hoc voluit Dionysius, naturalia dicens mansisse integra in Angelis post peccatum. Nec item quod per actum malum aliquid sit in homine generum, aut inuectum in ænimum, quod post actum permaneat: nam estis peccatis frequenter repetitis habitus vitiosi comparentur, non tamen peccatum semper primum generat habitum, sed quia, vt Scot. 2. d. 35. quest. 1. f. ex ista solui. in fine. Gabr. 2. dist. in 2. q. 1. art. 2. dubio 5. docent, per peccatum homo fit minus habilis, & idoneus ad bonum rectæ rationis vsum. Vt enim corpus accepto vulnere, minus expeditum, & aptum est ad suas functiones obeundas, ita & animus per peccatum admissum est minus idoneus, & habilis ad bene, & honestè viuendum. Per peccatum igitur impeditur extrinsecus homo, ne rectæ rationis officium præstet: & quod sapius peccat, eo magis à virtutis, & honestatis officio recedit: Immo ipsum peccatum, quia est rationi contrarium, hoc ipso est hominis naturæ aduersum, & proinde vulnus.

Tertiò queritur, An peccata specie distinguantur per virtutes, quibus opponuntur, specie diuersas? Respondet, Minimè: quāuis Scot. & Gabriel, distinguantur per virtutes oppositas, quod probant tum auctoritate B. Aug. lib. 12. de ciui. c. 5. s. tu ratione: quia peccatū natura sua in recti priuatione consistit, ergo peccata specie ab se inuicē distat, cum sint priuationes boni, & recti specie diuersi,

nimirum,

Dionys. 2. 4.
de Diu.
nomina.

Scot. & Gabr.
lib. 12. de
ciui. c. 5. s. tu
citati.

nimirum, quia carent diuersis circumstantijs re-
ctæ rationi debitis. Præterea, quia in peccato a-
ctus & conuersio ad obiectum se habent vt ma-
teria; at priuatio & auersio est veluti forma; sed
species rei à forma existit, ac fugit. Nihilomi-
nus tamen probabilis etiam est opposita senten-
tia multis de causis. Primum enim iustitia est v-
nius formæ, & speciei: at iustitiæ peccata, sunt
multa specie diuersa, vt superius iam dixi. Dein-
de, aliquando peccatum non est certæ alicui vir-
tuti contrarium: non enim peccatum ideo dicitur,
quòd sit virtuti vniuersim aduersum, sed quòd
cum reâ ratione pugnet, quæ est quid maius, ex-
cellentiusque virtute: quòd subiectis patebit ex-
emplis. Voluntas, quia quis vult generatim malè
viuere, & malè agere, certum est peccatum, non
tamen contra certam aliquam virtutem, sed cõ-
tra Synderesim, vel reâam rationem, quæ præ-
scribit, ac præcipit esse benè viuendum: nec enim
certa aliqua virtus ponitur ad bonum vniuersè
prosequendum, aut ad malum generatim fugien-
dum, quia ad hæc sumus naturaliter propensi per
synderesim, quæ est quippiam, vt paulò ante dixi,
virtute maius; nec ad id habitu indigemus. Item,
cum quis sibi mortem consciscit, non semper ex
odio, ira, vel meliorum rerum desperatione se
interficat: aliquando enim ex bono aliqui vo-
luntatis affectu, videlicet nè in posterum peccet,
ac Diuinam maiestatem offendat, aut ne corporis
integritatem amittat, aut ne in Tyranni ali-
cuius, vel hostis potestatem deueniat, sibi mortè
affert. At verò quacumque causa ex prædictis se-
se interimat, nisi ad id diuinitus incitetur, graue
absque dubio peccatum admittit, quia id per se
reâ rationi repugnat. Non enim humana ratio
tantum naturaliter præcipit, vt suam quisque
vitam defendat, & seruet, sed omnibus etiam a-
nimantibus immò rebus vniuersis, est à natura
institum vt se ipsas tueantur, & protegant & con-
trarijs obstitant. Nec est villa in homine specialis
virtus ad se tuendum, & cõseruandum; quoniam
quisque ex omni parte, qua est, naturali propen-
sione ducitur ad se tuendum: ideo ad se dilige-
ndum habitu non indiget. Postremò, quia Libera-
litas est virtus specie tantum vna; at liberali, Aua-
rus, & Prodigus opponuntur, ac proinde Aua-
ri, & Prodigii peccata specie distincta, vni libera-
litati aduersantur. si quis velle Scoti opinioni
adhærere, facile possit hæc argumenta diluere:
nam appellatione virtutum intelligit ille Auctor
non habitus studiosos vitijs oppositos, sed circũ-
stantias varias reâ rationi consentaneas, qua-
rum priuationes sunt peccata, pro ipsarum cir-
cumstantiarum varietate diuersa.

Quartò quæritur, An peccata per obiectas res,
distinguantur specie? Respondet cum S. Thom.
1.2. quæst. 72. artic. 1. cuius sententiam vno ore eius
discipuli sequuntur, distingui per obiecta: sic enim
illi loquuntur. Peccata etenim sunt actus; at
actus per res obiectas specie inter se distant. Sed
est animaduertendum, obiecta accipi debere cum
respectu & ordine, quo sunt reâ rationi con-
traria: sæpè enim accidit, vt obiecta quatenus
certæ res sunt, specie differant, nec tamen habe-
ant cum reâ ratione repugnantiam specie di-
uersam. V. G. si quispiam edendo carnes, vel pi-

scæ, intemperans sit, carnes quidem vel pisces,
specie distinguuntur, vt res sunt; non ita tamen
differunt, vt reâ rationi aduersantur. Sic etiam
hominem occidere, vel iugulando, vel suffocan-
do, vel igni exurendo, vel lapidibus obruendo,
vel cruci affigendo, vel alijs modis, actus sunt
specie diuersi, & tamen homicidium est vnius ratio-
nis. Et hoc est, quod dici solet, obiecta in ge-
nere moris non differre interdum specie; cum
tamen in genere rei, siue naturæ inter se inuicem
dissent. Et è contrario (exempli gratia) si centum
aureos furripias clanculum ac inficio domino:
aut per vim & iniuriam illatam rapias, & tibi v-
surpes: in genere rei siue naturæ nulla est specie
distinctio: at in genere moris sunt duo peccata
specie diuersa, Rapina, & Furtum; quia per vim,
aut clanculum, alienum occupare non eodem
modo cum reâ ratione dissentit. Quæres, quo pa-
cto hæc duo inter se conueniant; Peccatum sua
ratione & naturâ in priuatione consistere, vt su-
perius ostendi; & peccata specie differre per res
sibi obiectas? Ob id Scotus, (quod paulò ante
iam dixi) tradit peccata, vt priuationes, distingui
per varias circumstantias reâ rationi congruen-
tes, quarum sunt priuationes: & profectò, cum
peccatum in priuatione consistat, probabilissimè
loqui videtur. Nihilominus tamen S. Thomam
quidam sequuti respondent: peccata consistere
in priuatione, vel debite materiæ, & rei obiectæ,
vel debiti finis, vel circumstantiæ, & proinde pec-
cata specie distingui non vt priuationes, sed quia
sunt actus, qui versantur circa res obiectas ratio-
ni contrarias, licet omne peccatum sit priuatio.
Cæterum hoc alijs minimè probatur: nam si
peccatum generatim acceptum, in priuatione
suapte natura consistit, necesse est, vt eo ipso
quò vnum peccatum ab alio specie distinguitur,
diuersam specie priuationem contineat: ita vt
quot sunt peccata specie distincta, totidem sint
priuationes bonorum. Responderi facile potest,
peccatum esse actum ordine, & conuenientia ra-
tionis carentem, vnde peccata sunt etiam specie
diuersa, vt priuationes, quoniam carent rationis
ordine, & conuenientia in rebus obiectis specie
distinctis. V. G. furtum & homicidium, odium
Dei, & mendacium sunt peccata specie diuersa,
quia carent ordine, & conuenientia rationis in
re, & materia specie distincta; & ideo S. Thom.
peccata merito per res obiectas distinxit, quoni-
am actus sunt.

Quintò quæritur, An peccata specie distingua-
tur per præcepta quibus vetantur? Scot. 2. d. 37. q.
1. Gabr. 2. d. 35. q. 1. artic. 3. videntur docere, ea pec-
cata specie differre, quæ contra diuersa virtutum
præcepta committuntur. Verum S. Thom. 1.2. q. 71
art. 6. ad 2. Alexand. parti. 2. quæst. 115. in 2. aperte tra-
dunt, peccata inter sese non ideo specie distare,
quod sint contra diuersa præcepta: nam distincta
sunt Decalogi mandata: Non furaberis: Non con-
cupisces rem proximi tui; & tamen furtum, cu-
piditaliè furandi sunt eiuldem speciei. Diuersa
item sunt præcepta Decalogi hæc: Non mœcha-
beris, & Non concupisces vxorem proximi tui:
sed Adulteriũ, & voluntas id perpetrandi ad ean-
dem specie omnino referuntur. Præterea diuersa
præcepta sunt hæc: Non furaberis, & Restitues

rem alienam; & tamen furari, & Rem alienam non restituere, sunt peccata eiusdem speciei, ut potè contra iustitiam alteri debitam. Hec opinio magis accedit ad veritatem: neque enim peccata ex præceptis distinguuntur, nisi quatenus præcepta certam, & specialem cum recta ratione repugnantiam habent. Quò fit, ut peccata præcisè inter se inuicem specie distent, quia specialiter sunt rectæ rationi contraria, siue diuersis præceptis, siue vno & eodè vetentur: & propterea peccata, quæ contra diuersas specie virtutes admittuntur, specie differunt, quia specialiter cum recta ratione dissentiunt, & pugnant. Quare si quis voto Castitatis adstrictus, cum aliena vxore rem habeat, peccatum in triplici specie constitutum committit: vnum quidem luxuriæ siue libidinis, quia rem habet cum foemina sibi non nupta; alterum iniustitiæ, quia ad vxorem alienam accedit: tertium Religionis violatæ, cuius actus est votum Deo nuncupatum. Pari ratione, qui ex odio occidit alterum, duplex peccatum admittit specie distinctum; primum est odij, quòd est contra charitatem; secundum iniustitiæ, quia alteri homini vitam admittit tantopere charam & iucundam cuique. Ex his omnibus licet intelligere, posse aliquod peccatum esse eiusdem speciei quanquam alioqui sit lege naturali damnatum, & diuina, & humana interdictum, quia tum diuina, tum humana lex potest id prohibere eadem ratione quæ lex naturalis vetat, & damnat. Exemplum horum, quæ diximus, esto: lex naturalis prohibet furtum simplex, quia est speciale peccatum certam cum recta ratione repugnantiam habens: est enim rei alienæ inuito domino vsurpatio, quæ hoc ipso à ratione dissentanea est. Interdicit quoque idem furtum diuina lex scripta; id etiam vetant leges humanæ: sed non propterea furtum specie distinguitur, quia licet sint tria præcepta, eadem tamen ratione furtum condemnant, & prohibent.

*Nauar. in
Manua.
ca. 11. nu. 4*

Sextò quæritur, An quando duo numero præcepta vno actu violantur, insint in eiusmodi actu duæ peccati prauitates, an vna tantummodo? Nauarrus in vniuersum ait esse duas peccati turpitudines, numero in genere moris distinctas, & debere in sacra peccatorum confessione detegi: vtrputà, si inciderit anniuersaria celebritas Sancti Matthei in diem Dominicam, aut peruigilium Sancti Matthei, in ieiunium Quatuor temporum, & Titius, vel ieiunium in peruigilio Apostoli, vel rem diuinam omisit in die Dominica, peccatum duplicis deformitatis admittit. At enim hæc sententia mihi minimè probatur. Nec enim in eiusmodi omissione, duo peccata esse possunt, eo quod duobus præceptis aduersentur: nam vt ante iam dixi, peccata specie non differunt ex sola distinctione præceptorum, quia leges specie diuersæ possunt eadem ratione, certum aliquod peccatum prohibere: ergo pari modo ex hoc, quod præcepta sint numero distincta, non ideo fit, vt peccata numero differant, cum diuersa alioqui numero præcepta certum peccati genus eadem penitus ratione inhibere queant. Præcipit Ecclesia, vt in die sanctis Apostolis sacro, & in Dominico item die res diuina audiat, & ab opere seruii abstineatur, id iubet tanquam opus, & offi-

cium religionis Deo debitæ. Indicit præterea ieiunium in quatuor anni temporibus, & in sacris Apostolorum peruigijs, sed id tanquam actum Virtutis Temperantiæ. Ex opinione quoque Nauarri multa colligerentur, quæ minimè videntur probanda. In primis qui beneficium habens Ecclesiasticum, & sacris ordinibus initatus recitare Diuini officij preces omitteret, duo profectò iuxta eam sententiam peccata committeret, & ratione beneficii, & ratione sacri Ordinis; nam his duabus de causis est præceptum, & lex, pensum Diuini officij persoluendi. Deindè, qui tria quatuorue iustæ, ac legitime Pontificiæ indulgentiæ priuilegio, beneficia Ecclesiastica haberet, & officium diuinum prætermitteret, tria ille quatuorue peccata simul faceret: quia quodlibet Ecclesiasticum beneficium per se, recitandi preces Horarias, legem, & præceptum continet. Presbyter item grauis alicuius criminis cõcius Missæ sacrificium faciens & offerens, lethale triplex peccatum incurreret: namque ille præcepto compellitur ad dignè consecrandum, & ad dignè offerendum, & ad dignè itidem corpus Domini sumendum, & edendum quod consecrauit & obtulit: quæ tria præcepta violat, rem diuinam faciendò: quod sanè videtur absurdum. Præterea, qui votum semel tantum Deo nuncupatum centies confirmaret, quotiescunque contra illud ageret, peccatum centum maculis affectum committeret: quia centies votum confirmando, toties sese Deo obligauit. Titius insuper præceptum sibi à tribus Præfectis, quibus est subiectus, datum violando, crimen admitteret triplicis deformitate maculatum. Postremò, Titius Religionem professus, & sacris ordinibus initatus, si contra castitatem delinqueret, dupliciter peccaret, quia ageret contra votum in professione Religionis, & sacrorum ordinum susceptione factum. Peccata igitur sicut specie non differunt per præcepta, nisi quando certam & specie diuersam cum recta ratione repugnantiam habent, sic etiam non possunt numero distingui, nisi sint actus qui numero ab eadem ratione dissentiant: quod quidem minimè cernitur in eo actu, qui vnus est numero contra diuersa numero præcepta certam peccati speciem eadem ratione prohibentia. Inde fit, vt si Collegij alicuius Præfectus, vel Academiæ Rector, scholasticis, vel collegijs sibi subiectis aliquid præcipiat ratione iurifurandi præstiti & adhibiti, quod alioqui fit, vel lege diuina, vel naturali imperatum, duplicis foeditatis peccatum admittant Scholastici, si Præfecti, vel Rectoris præceptum negligant. Nam contra iururandum agere, est speciale peccatum, virtuti, religioni, cuius actus & officium est iururandum, manifestè contrarium; & peculiare aliud peccatum est agere contra legem naturalem, vel diuinam, quæ ponimus à Scholasticis etiam illis, vel collegijs fuisse violatam. Pari ratione si Religiosus cuiuspiam ordinis Præpositus virtute sanctæ obedienciæ aliquid præcipiat sibi subdito iure alioqui naturali vel diuino damnatum, dupliciter peccabit ille Religiosus id præceptum non seruans, tum quia votum violat, tum quia contra legem naturalem vel diuinam facit. Ex quo fit, vt Religiosus sexta feria, in quam incidit peruigilium san-

cti Mat-

Et Matthæi, ieiunium violans, duplici peccati prauitate sese obstringat, si eo die vi uori, vel instituti sui professione ieiunium seruare debeat cum etiam id suscipere, & colere Ecclesiæ præcepto seu lege cogatur.

Septimo quaeritur, An peccata contra legem naturæ commissa, specie distinguantur ab ijs, quæ contra legem diuinam, vel humanam admittuntur? vt commodius propositæ quaestioni respondeam, annotandum puto, ea esse legis naturæ, quæ ratio naturaliter præscribit: cuius generis sunt omnia præcepta Decalogi: Ea verò esse legis Diuinæ, quæ Deus proximè præcipit vel vetat, cum tamen rationem naturalem fugiant, lateantque, & huiusmodi sunt præcepta Fidei & sacramentorum, atque hæc quidem ad legem Diuinam, sed supernaturalem spectant: ea item quæ Deus proximè per seipsum iubet, aut prohibet, quæ tamen ratio naturalis, nec præcipit, nec vetat legis diuinæ sunt, & talia erant præcepta in lege veteri scripta, quæ ad cæremonias, & iudicia pertinebant: Ea autem sunt legis humanæ, quæ voluntate, & institutione hominum præcipiuntur, cum tamen ea nec lex naturæ, nec diuina imperet aut vetet: & tunc peccata contra tres huiusmodi leges commissa inter sese specie distinguuntur, eo quòd certam & peculiarem cum reuera ratione repugnantiam contineant. Nam quæ lege naturæ damnantur, recte rationi planè contraria sunt: quæ verò lege humana imperantur, in certa aliqua virtutis materia, & officio reponuntur. Exempla gratia: Præcipit Ecclesia vt decima pars fructuum, qui quorannis colliguntur, suis ministris soluatur, hoc ipso decimam solvere, est actus iustitiæ, ita vt eam denegare, sit furtum: imperat item lex civilis vt Principi tributa pendantur; & proinde in reddendis ijs, est officium iustitiæ; in detrahendis est peccatum furti. Ad Ecclesiæ indicuntur ieiunia, quibus indicis ieiunium seruare, est actus Temperantiæ; illud verò negligere, intemperantiæ. Item ob sanctitatem loco sacro debitam, præcipit Ecclesia, ne templa polluantur, voluntaria aut sanguinis effusione, aut emissione seminis: propterea si contra fiat, speciale peccatum committitur, & contra specialem religionis virtutem, cuius est sacra religiosè, & sanctè tractare: eadem ratione, quia prohibet Ecclesia, ne ad templa salutis causa confugientes homines, extrahantur ad carceres; ideo si fecus fiat, speciale peccatum admittitur contra immunitatem Ecclesiarum. Ita etiam lex diuina multa iubet aut vetat, quæ hoc ipso in aliquo debito virtutis officio constituuntur, quamuis alioqui essent per se mediæ, & indifferentiæ. Multa item vouemus, vel iuramus quæ ante libera erant, sed vi voti vel iuramentum sunt debita religionis officia. Colligitur ex dictis, in ijs, quæ lege humana imperantur, cum alioqui essent indifferentiæ, animaduertendum esse, in qua virtutis materia, & officio ea reponantur: inde enim patebit quale peccatum sit legis humanæ violatio, siue contemptio.

S. Th. 1.2.
272. ar. 3.

Octauo quaeritur, An peccata per causas, ex quibus oriuntur, & proficiuntur, vt quædam effecta, specie distinguantur? Respondeo, minimè distinguuntur, nam peccata ex materia, vel obiecta re,

vel ex fine, specie, & ratione differunt, nõ ex causis efficientibus vel mouentibus. Quoniam homicidium cum sit vnum & idem, potest oriri ex superbia, contemptu, ira, odio, inuidia, ac similibus alijs. Item cum quis sibi ipsi manus infert violentas, semper vnus specialis rationis peccatum admittit, videlicet contra rectam rationem, quæ naturaliter præscribit, & præcipit cuique, vt seipsum tueatur & seruet: quo modo etiam vnipersæ res naturali propensione sese conseruant, & ijs, quæ sibi aduersantur, obfistunt, & tamen multos videmus, qui seipsos interimant, ex varijs affectibus, quibus ducuntur, aliquando bonis, aliquando malis, ex ira, ex timore malorum, metu Tyranni vel hostium, denique ex desperatione rerum meliorum. Animaduertendum est, ex communi Theologorum sententia, tres esse generales peccatorum causas veluti fontes & origines. Peccata enim aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, & fragilitate naturæ, aut ex malitia committuntur. Ex ignorantia quidem, cum quis ideo peccat, quia ignorat: de ignorantia verò, ante suo loco iam dixi. Ex infirmitate naturæ delinquit quis, cum aliqua animi affectione impulsus, & motus contra rectam rationem agit. Omnis enim animi perturbatio & affectus, dicitur naturæ infirmitas: suo item loco de animi affectibus disputauimus. Ex malitia dicitur is peccare, qui praua voluntatis electione nulla ignorantia delusus, nec vlla sensuum affectione incitatus, & motus, leges & iura perfringit. Quare is, qui ex infirmitate labitur, animaduertit se contra honestatem, & officium agere, sed aliquo sensuum affectu impulsus & illectus, bonum vtile vel iocundum honestati, & rectæ rationi anteponeit, sicut qui per ignorantiam delinquit, vtile vel iocundum amplectitur, honesto per ignorantiam posthabito: qui verò ex malitia peccat, vtile vel iocundum honestate neglecta prosequitur, nulla perturbatione animi incitatus nec per ignorantiam deceptus. Hinc fit, vt non ideo ex malitia quis diuinam legem infringere, & violare dicatur, quòd malum vt mali faciem habet, eligat: nemo enim malum quatenus malum, affectat, amat, aut eligit, sed quod absque vlla ignorantia, vel affectu incitante, atque impellente, malum vt sibi vtile, vel iocundum, postposita scienter honesti ratione velit, ac prosequatur. At dices cum Aristotele: omnis peccans est ignorans. Respondeo, sensum Philosophi esse, omnes, qui peccant esse ignorantes, nimirum eos in eligendo, & operando aberrare, quoniam perperam eligunt & operantur. In eandem sententiam dixit sapiens: errant, qui operantur malum. Error autem in hoc consistit, quòd animaduertens quis aliquid esse turpe, & rectæ rationi aduersum, ac lege interdictum, id nihilominus appetit, probat, eligit, efficitque: nam id amat vt sibi vtile & commodum, vel iocundum, honestati præferens utilitatem, vel iocunditatem, vel voluptatem.

Nonò quaeritur, An peccata sint specie diuersa, ex eo, quòd committuntur in Deum, vel in proximum, vel ex hoc, quòd quis in seipsum peccat? Respondeo, ea peccata contra Deum fieri, quæ per se proximè pugnant cum ijs virtutibus, quarum obiecta res, siue materia, finis & regula

est Deus:

Arist. li. 3.
Et hi. ca. 1.

Prover. 14.

S. Th. 1.2.
972. ar. 4.

est Deus: cuiusmodi sunt, quæ contra fidem, spem & charitatem admittuntur. Ea peccata contra proximum sunt, quibus lædatur & violatur iustitia alteri debita. Tunc verò quis in seipsum delinquit, cum aliquid agit contra debitum temperantiae, aut fortitudinis officium, vel contra rectam naturæ propensionem, qua nos ipsos, & nostra tueri & curare debemus. Ex quo fit, ut quæ diximus tria peccatorum genera sint specie distincta, quia certo & peculiari modo à recta ratione discordent. Dices, Omne peccatum quo quis in seipsum, vel in proximum delinquit, contra Deum esse. Respondeo, esse quidem contra Deum, non tamen specialiter & directè, sed generaliter, qua ratione omne peccatum dicitur admitti contra Deum. Animaduertere oportet, omne peccatum contra nos ipsos, vel contra proximum admissum, etiam esse posse speciale peccatum contra Deum, nimirum si id fiat eo speciali affectu, & animo ut contra Deum peccetur, & offenda- tur Deus: tunc enim qui peccat, agit specialiter contra charitatem in Deum. Parietiam modo, quamuis in omni peccato contra proximum admissio sit ratio generalis, quæ proximus offenditur, erit tamen speciale peccatum contra proximum, si ea voluntate & animo fiat, ut proximus offensus in re aliqua lædatur, aut malè afficiatur. tunc enim specialiter peccatur contra charitatem & benevolentiam proximo debitam, cum quippiam agitur, ut malè se proximus habeat: cum quis delinquit, ut alteri noceat.

Cap. III.

De eo genere peccati quod omissionis vel commissionis nominatur.

PRIMO quaeritur, An peccatum omissionis specie differat ab eo, quod dicitur commissionis? Respondet S. Thomas, hæc duo peccata minime inter se inuicem specie distare: Probat, quia contra eandem virtutem peccat, qui indistinctum ab Ecclesia ieiunium prætermittit, & is qui comedit, cum aliqui ieiunium suscipere, & seruare lege cogatur. Vnum etiam & idem peccatum est eius, qui non restituit alienum, & eius qui alienum furripit. Quare concludit, prædicta peccata specie cõuenire, quando in eadem materia subiecta versantur; differre verò, quando in diuersa rei obiecta materia consistunt. Peccata enim omissionis fiunt contra ea præcepta, quibus aliquid facere iubemur; Commissionis verò, contra iura & leges, quibus aliquid facere prohibemur. At enim exempla duo à S. Thoma proposita, id quod vult non videtur concludere: quia ieiunij præceptum, quamuis voce videatur in affirmatione consistere, sensu tamè negationem continet: nam ieiunium seruare, nihil aliud est, nisi, Non comedere; & proinde in comedendo est violatio præcepti, quod in affirmatione consistit, quodque est peccatum commissionis. Pari ratione præceptum restituendi voce quidem affirmationem habet, sed sententia tamen, etiam negatione constat, nempe, Alienum non retinere; & proinde qui non restituit, commissionis peccatum admittit, quia retinet alienum, quod est contemnere,

& violare præceptum per negationem datum, ne alienum retineas. Quare peccata omissionis, vel commissionis si propriè & verè talia sint, possunt etiam specie distingui in eadem materia subiecta. Ut si quis in die festo omittat rem diuinam audire, vel rem diuinam faciat, aut res sacras tractet indignè: aliud enim est Missæ sacrificio non interesse, siue non audire rem diuinam, aliud mali quippiam committere contra religionem Missæ sacrificio debitam. Sic etiam aliud est, simpliciter indigenti non subuenire, quod cum ipsa misericordia pugnat, aliud verò ipsum occidere quod iustitiæ aduersatur, & eius leges labefactat, ac rumpit. Aliud item de te bene merito gratias non agere, aliud illi ob stare & officere: verum quod docet S. Thomas, hæc duo genera peccatorum, quæ in omittendo vel committendo consistunt, specie non differre, negari non potest, quia aliquando non differunt, & id exempla à S. Thoma proposita cõcludunt: nam ieiunij seruandi præceptum, & restituendi alienum in affirmatione quadam ex parte consistit. iubemur enim alienum suo Domino reddere, & ieiunia ab ecclesia indistincta seruare.

Secundò quaeritur, An commissionis & omissionis peccatum sit peccatum speciale? S. Thomas vno quidem loco docet esse generale in ijs omnibus, quæ contra præcepta admittuntur vel omittuntur; alio verò loco tradit esse speciale: tamè in eo sibi ipsi. S. Thomas nõ aduersatur: quoniam si quis aliquid lege vetitum, agat speciali voluntate & studio contra legem agendi, speciale peccatum commissionis admittit, quando verò specialis huiusmodi voluntas deest, generale est peccatum commissionis. Quando quis item præceptum omittit ea voluntate, affectu, & animo, ut quod sibi imperatum est, prætermittat, speciale peccatum omissionis incurrit, alioqui generale est peccatum omissionis.

Tertio quaeritur, An peccatum omissionis possit esse abique villo actu? Dux sunt opinionis: Prima negat esse posse. Quam tribuunt, S. Thomas. 2. 2. q. 71. art. 5. Alex. 2. 2. q. 113. m. 10. ad 2. Bonau. d. 35. ad dist. 1. circa textum. Henr. quodl. 12. q. 2. 4. Gabr. 2. d. 4. c. 1. art. 3. dub. 3. Secunda affirmat esse posse, est hæc opinio Richar. d. 2. d. 35. art. 1. q. 1. & quodl. 1. q. 22. Dur. 2. d. 36. q. 2. Ocha. 3. q. 10. ad dub. 1. Marfil. 2. q. 21. artic. 2. concilij. 4. Almai. 11. art. 3. Mora. cop. 25. Adrian. 4. q. 3. de Euchar. que incipit: vltimus videndum est. Maio. 4. d. 4. c. 1. Probat primo quia voluntas potest ab omni suo actu desistere. Deinde, quia omne peccatum omissionis simul esset commissionis crimen: Ad hæc, quia aliquando contingit, ut a actu omissionis peccato coniunctus sit per se bonus. Accedit his, quod omisso ex actu sibi coniuncto vel liberè, vel necessariò proficiscitur. Si necessariò, ergo in omissione peccatum non erit, sed in actu, ex quo surgit, ac manat omisso: Si liberè, ergo in omni omissione erit duplex peccatum, videlicet vnum in opere, quod fit, alteri in ipsa omissione.

Enimverò prima sententia verior videtur multis, quam sic consistant, quoniam si omisso est exterior, qualis est omisso facti audiendi in die festo, esse non potest nisi ex eo, quod fit alia actio exterior, qua impeditur auditio rei sacre & diuinæ. Si verò omisso est in intellectu, similiter

non est,

S. Th. 2. 2. q. 72. ar. 2.

S. Th. 2. 2. q. 72. ar. 2.

non est, nisi quia mens in alia re intelligenda occupatur. Pari ratione in volutate ideo quis omittit aliquid velle, quia vult aliud, quo impeditur. **Mihi tamen verisimilius est, in actu interno saltem voluntatis posse cōtingere peccatum omissionis sine vilo prorsus actu;** vt si Titius tempore, quo vi legis, aut præcepti Deum amare deberet, aut certum quid velle iuberetur, suspensam voluntatē teneret, peccaret sine vilo actu. Et S. Thomam solum duo docere puto, vnum, peccatum omissionis sua ratione, & natura, sine actu concipi, & intelligi: nam ideo omittendo peccas, quia non facis, quod debes, non facis, quod facere lege, & præcepto cogeris: alterum, peccatum omissionis, re ipsa nō fieri, nisi vel aliquid agamus, vel saltem in aliquo immoti perseueremus, quo impedimur, ne debitum præstemus officium. **Quare respondeo, posse cogitatione totā peccati omissionis rationem concipi absque vilo actu, in quo omnes consentiunt, re tamen ipsa, absque vilo prorsus actu rarissimè peccatum omissionis esse posse, saltem illud peccatum, quod in alicuius actus exterioris debiti omissione consistit.** Præuitas enim omissionis tota in eo concipitur, quod cogitatione intelligimus aliquid non fieri a nobis, quod tamen fieri deberet. Immo actus, qui est causa, & origo omissionis, ideo est malus, quia ipsa ommissio est mala: at verò in re, ommissio sine vilo actu rarò esse potest, quoniam nunquam aliquid omittimus, nisi quia aliud agimus, vel facimus, ex quo debitum officium prætermittimus. Veluti cum omittit quis in die festo, Missæ sacrificio interesse, quia diu certo in loco, qui longe à templo aberat, sciens & vltro demoratur, aut quia diutius in lecto iacet, aut pila vel alea ludit. Vnde si tempore, quo quis incedere aut iter facere deberet, quiesceret, vel federet, aut quando loquendi lege ac præcepto teneretur, sileret, quies aut silentium in præsentia appellatione actus accipitur. Si peccatum, inquit, omissionis semper est cum actu permittum: nō ergo iure potest peccatum omissionis vocari. **Respondeo, peccatum omissionis ideo esse & vocari, non quia omni actu vt causa careat, sed quia ob illum actum adiunctum, quidam alius actus ex lege debitus prætermittitur.** Item, actus cum omissione coniunctus, qui que est causa ipsius, siue sit per se malus, siue bonus, siue medius, & indifferens, omissionis deformitate corrumpitur, est exemplum: Titius vult in die festo sacrum omittere, aut tempore, quo sacrum audire deberet, spōte sua ludit, dormit, venatur, piscatur: ludendi, dormiendi, venandi, vel piscandi voluntas, est peccatum: quia licet sit actus, ob eam tamen voluntatem tanquam ob causam, sacrum relinquitur. Præterea, siinge Titium quo tempore sacrum deberet audire, literarum studijs operam dare, quo studio impeditur, quò minus sacrum audiret: tunc actus eiusmodi alioqui per se bonus, vel indifferens, ex malæ omissionis inficitur prauitate. Deinde, obijcies, Aliquando præceptum omittitur absque vilo actu, vt si Titius eo tempore, quo erat sacrum auditurus, in lecto decumberet nihil aliud agendo, in lecto enim iacere, nō est actus. **Respondeo, nomine actus accipi id omne, quod lege vel præcepto imperari, aut vetari potest, cuiusmodi sunt**

stare, federe, iacere, quiescere, armatum, vestitum esse. Postremò obijcies, saltem omissionem internam esse posse absque vilo actu, velut si Titius, quo tempore Deum amare deberet, suspensam voluntatem teneret, ita vt non amaret, tunc esset absque vilo actu ommissio. **Respondeo, hoc esse potissimum secundæ sententiæ argumentum, & præsertim de omissione interna voluntatis; at verò, vt ante iam monui, appellatione actus accipimus, id omne, quod lege vel præcepto imperari, vel interdicti potest, & tale est animum suspensum tenere tempore, quo quis diligere aliquem deberet. Sicut si quis tempore, quo iter sibi faciendum esset, loco quiesceret, aut quando locuturus ratione sui muneris esset, taceret: aut aliter respondeo ad eum modum, quem supra indicavi, posse nonnunquam omissionem esse sine vilo actu, qui proprie sit actus.**

Quartò quæritur, Quando nā omissionis peccatum fieri dicatur? an scilicet fiat eo tempore, quo quis se periculo exponit, aut causam præbet, qua debitum officium omittit, an verò eo tempore, quo ad aliquid faciendum præcepto compellitur: explicō rem. Titius omittit sacrum in die festo, quia sponte & sciens se somno dedit, nulla sacri audiendi habita ratione: **Quæritur an in peccatum omissionis inciderit tunc, cum somnū cepit, an vero cum eo dormiente res diuina facta est, quam audire lege cogebatur.** Duas opiniones inuenio, vna docet, nunquā omissionis peccatum esse, nisi eo tempore, quo præceptum in affirmatione consistens prætermittitur: ita opinari videntur. S. Tho. 2. 2. q. 79. ar. 3. ad 2. Alti. li. 2. sum. tract. 29. c. 2. q. 3. Marli. 2. q. 21. ar. 2. in 1. opinione. 2. Altera ait tunc fieri, quando causa datur omissionis. Hanc sententiam sequuntur Alexand. par. 2. quest. 113. m. 7. Richard. 4. d. 9. artic. 2. quest. 3. Adria. 4. questio. 3. de Euchar. que incipit, Vltimus videndum est ad 7. arg. Gabr. 2. dist. 22. quest. 2. artic. 2. post 3. conclus. Quidam verò hasce duas sententias conciliare nituntur hac distinctione: peccatum omissionis, inquit, potest dupliciter contrahi, vel affectu & voluntate, vel re ipsa: Affectu quidem committitur, cū causa datur omittendi præceptum: Re verò contrahitur, cum eo tempore, quo præceptum seruari deberet, omittitur. Ac primam opinionem locum habere volūt in peccato omissionis, quod affectu solo, & voluntate committitur, secundam verò in omissione, quæ re ipsa & facto contingit. **Cæterum mihi magis probatur aliorum opinio has duas sententias aliter conciliantium. Est enim animaduertendum, omissionem posse dupliciter accidere, vno modo, cū præceptum prætermittimus, quando alioqui id seruare commode possemus: ita vt in nostra potestate sit vtrumque, tum omittere, tum seruare præceptum, & tunc ommissio, peccato & culpæ tribuitur eo tempore, quo re, & facto nostro voluntario contingit, quia eam impedire, & deuitare possumus, & debemus. Altero modo, ommissio interdum accidit, ita vt solum sit in nostra potestate causa: non item ommissio: velut si quis sciens sua sponte, & voluntate se somno dedit, cum periculum est, ne re diuinā audiat, ac deinde eo dormiente, res Diuina sit: tunc eiusmodi ommissio sine culpa est, quādo causa fuit data non audiendi sacrum: nam eo tē-**

pore,

pore, quo præceptum erat opere implendum, in dormientis potestate non erat id seruare; & propterea omisso tunc temporis, culpæ dari non potest, & solum est effectus naturaliter ex causa data profectus. Effectus autem naturaliter ex causa quamuis alioqui voluntaria natus & existens, in culpa non est, nisi ob causam vltro datam. Alioqui enim qui alicui venenū porrexisset, cōtinuū peccasset toto eo tempore, quo propinatum venenum suum effectum præstitisset. Qui item ex immodico cibo, vel potu in morbum incideret, toto eo tempore delinquere diceretur, quo cibus vel potus concoqueretur in corpore: quæ certè incommoda, & absurda vidētur. At, inquit, aliquando vsu venit, vt qui manē somnum cæperit cum periculo, quominus suum debitum officium præstet, excitatus à somno id non omittat: ergo nondum est re, & factō peccatum omissionis admittit. *Respondeo*, parum aut nihil referre, si post causam datā postea omisso casu aliquo impediatur: præcessit enim omissionis culpa in causa, siue deinde omisso subsecuta sit, siue impedita: prima opinio intelligitur primo modo, secūda verò secundo.

Quintò queritur, An actus coniunctus omissioni sit peccatum? *Durand.* 2. d. 36. q. 2. nu. 6. ait aliquando esse bonum; cuiusmodi est egrotum inuisere eo tempore, quo sacrum in die festo esset audiendum; *Marsil. Richard.* *Almai.* *Gabr. Henric.* *locis ante citatis*, censent esse peccatum commissionis; & proinde in omni omissione, in qua est actus, qui est eius causa, esse duplex peccatum, vnum commissionis, omissionis alterum, *S. Thom.* *de malo.* q. 2. art. 1. ad. 7. in vniuersum asserit, actum, qui est causa omissionis esse malum, quoniam ipsa omissione cuius est causa, polluitur. *Alij* verò distinguunt dicentes, actum, qui est causa omissionis esse semper peccatum: nec tamen commissionis, sed præcise omissionis, quoniam non est per se peccatum, sed causa peccati, & prauitate omissionis inficitur: actum verò, qui non est causa omissionis, sed solum comes, non semper esse malum. Porro actus ille dicitur causa omissionis, ex quo nascitur omisso, etiam si aliunde existeret omisso illa absque eo actu, satis enim est, si ex illo actu nunc oriatur, quamuis etiam simul ex alio actu fluat ac manet, actus verò est comes tantum omissionis, quādo nullo modo ex eo pēdet omisso, quod verum est, & hoc clare exemplo: statuit quis non audire sacrum in die festo, eiusmodi voluntas est mala, quia est causa omittendi sacrum; si postea autem cum id statuerit, velit non esse otiosus domi suæ, vbi manet tempore, quo erat sacrum auditurus, & ideo vel literis det operam, vel preces ad Deum fundat, vel egrotum inuisat, nequaquam peccat in his actibus, quoniam non sunt causæ omissionis, sed comites: alioqui enim toto tempore omissionis continenter peccasset: rursus alioqui pariter deliquisset, legem, vel præceptum aut officium aliud implendo tempore, quo præceptum omittit. Hoc tamen locū habet, quando actus, qui est omissionis comes, non est talis, vt sufficiat ad impediendum præceptum, quod prætermittitur. Vt si Titius lege, vel præcepto ad persoluendum diuinum officium compulsus, eodidem precationum in mare proijceret, aut tem-

pore, quo sacrum deberet audire, alio se conferret: tunc enim etiam si Titius hæc vel alia similia efficeret, postquam firmo animo decreuit officium omittere diuinum, aut sacrum non audire, peccaret denud præcum Horariarū libellum abijciendo, aut se aliò conferendo, eo quod denud se impedit, quo minus officij diuini pensū persoluat, aut Missæ sacro interficit. Idem iuris est in eo, qui post votum castitatis Deo factum, vxorem ducit & in eo, qui rem, quam furto subripuit, vendit & alienat: nam eo ipso ille se impedit, quo minus votum exoluat, & hic quominus rem furto sublatam restituat.

Sextò queritur, An vt omisso sit voluntaria indirectè, necesse sit, vt aliquid facere possimus & debeamus? *S. Thom.* ad omissionem indirectè voluntariam duo videtur requirere. *Primò* vt possimus. *Secundò* vt debeamus vi, & ratione præcepti aliquid operari. Nam si ab sit præceptum; & lex, non sufficit potestas, quia culpæ minime tribuitur quicquid impedire possumus, licet nō impediāmus, cum ad impediendum nulla lege compellimur; ita etiam Deus peccata non impedit cū tamen alioqui, si vellet, posset. *Almainus* verò in omissione voluntaria solū postulat, vt possimus, & scienter non faciamus: quod probat. *Primò*, quia non statim atq; aliquid est voluntarium, vitio & culpæ datur: ergo non ideo, quod omisso est voluntaria, culpam habet. Deinde, qui nulla lege, nulloque præcepto cogitur suscipere, & seruare ieiunium, potest si velit, & à cibo abstinere, & ventri indulgere: si sponte & voluntate sua ieiunium negligat, in eo est ieiunij omisso voluntaria, & tamen ab omni culpa, & peccato libera; ergo ad omissionem voluntariam minime requiritur, vt sit præceptum, ac lex aliquid faciendi. *Quidam discipuli.* *S. Thom.* eius doctrinam ab *Almaini* calumnijs in hac parte defendunt, in hunc modum dicentes. *S. Thomam* de peccato omissionis non loqui, sed de effectu, qui omissionē consequitur: & vt effectus omissionem consequatur nobis vitio tribuatur, opus esse, inquit, vt possimus, & debeamus aliquid facere; alioqui effectus vitio verti, & dari non potest, vt subiectis patebit exemplis. Si naus periclitetur, & nauta & miles possint commode subuenire, nautæ eius periculum negligēt, culpæ datur nautæ exitium, militi non item, non ob aliud certè, nisi quia nautæ erat, periclitanti nauis subsidium ferrè, nō militis. Item ædituo vitio, & culpæ tribuitur, quod templi fores non clauerit, ex quo furtum est in templo commissum: & tamen si priuatus quispiā templum minime clauderet, quod cōmodè posset, haud meritò culparetur. Præterea peccata, quæ fiunt, nec debent, nec possunt in Deum conijci, & tamen eius permisso contingunt: quæ, quoniam impedire ea nequaquā debet, quamuis possit, si velit, in eum referri nequeunt. *Cæterū* meo iudicio *Almainus* non est *S. Thomæ* mentem alsequutus: nam *S. Thomas* nunquam negauit omissionem esse voluntariam, quando quidpiā scienter, & sponte prætermittimus, etiam si id facere nullo præcepto cogamur, tūc enim omisso est expressim voluntaria per se, de qua *S. Thomas* non loquitur, sed de omissione, quæ est indirectè, & implicite voluntaria; hæc enim cum non

S. Th. 12
q. 6. ar. 3.Almain.
trañ. 1.
Moral.
cap. 11.Medi. r. 2.
q. 71. art. 5.

fit vo-

Cap. IV.

De peccatis cordis, oris & operis.

fit voluntaria, re ipsa per actum voluntatis expressum, requirit omnino, ut sit solum voluntaria indirecte, & implicite: leges autem, canones & iura voluntariam non habent aut iudicant omissionem, nisi cum quis alioqui precepto, vel lege compellitur ad aliquid faciendum: sicut eum qui tacet, consentire dicimus, quum alioqui loqui deberet: quamvis re ipsa, neque consentiat, neque dissentiat, nam consentit tacita quadam voluntate, quia tacentem pro consentiente, & loquentem habemus, quum loqui deberet.

Septimo queritur, An in sacra peccatorum confessione explicari debeant ij actus, qui sunt cum peccato omissionis coniuncti, an verò satis sit, solum omissionem confiteri. Quidam senserunt narrari debere eos actus, qui sunt omissionis causa. Ceterum probabilius existimo, nulla nos ad id lege compelli. Nam vel actus sunt per se alioqui boni, aut indifferentes, aut mali: si boni aut indifferentes, ipsa omissionis prauitate extrinsecus corrumpuntur, & inquinantur, & ideo satis est in confessione exprimere omissionem. Rem declaro: Titius tempore, quo sacrum audire debebat, equitavit, vel dormiuit, vel lusit, vel literis operam dedit, hæc non necesse est in confessione explicare, quia non sunt mala, nisi ex omissionis peccato, quo inter confitendum patefacto tota culpa detegitur. Si verò actus sint alioqui mali debet poenitens eos confessario referre, non quidem propter omissionis peccatum, sed quia sunt per se mali atque vitiosi: ut si tempore, quo sacrum audire deberes, furtum admitteres.

Octauo queritur, An grauitas peccati in omissionibus existat, ac pendeat ex bonitate actus, qui præmittitur? Respondeo, pendere, quoniam omisso est priuatio actus, qui fieri deberet. Si querat, an actus, qui est causa omissionis, ex eo quod sit bonus vel melior, minuat omissionis deformitatem, V. G. Titius sacrum omisit, quia ægrotum inuisit; Caius verò prætermisit, quia lusit, an Titius minus peccauerit quam Caius. Quidam respondent, minus peccasse. Sed dicendum est, reuera non minui omissionis deformitatem: tum quia alioqui ex bonitate actus posset ex toto auferrî prauitas omissionis: tum quia macula, & foeditate omissionis polluitur actus, quauis sit alioqui bonus: sicut etiam electio, ex mala finis voluntate maculatur atque corrumpitur. Si secundo roget, an omisso, quæ est explicitè voluntaria, sit grauior ea, quæ tantum est tacite, & implicite voluntaria? Vtar exemplo: Titius in die festo rem sacram, & diuinam omittit, quia non vult Missæ sacrificio interesse, & rem diuinam audire: Caius verò omittit, quia alijs rebus implicatur, & rem sacram audiendam non curat. Respondeo, Titium per se grauius delinquere, quia omisso in eo est explicitè voluntaria. Si tamen Caius animaduertat se alijs rebus impediri, & ob hoc rem sacram omittit, & scienter nihil curet rem diuinam audiendam, tunc æque grauius peccat ac Titius, quia æqualiter scit, & nihilominus alijs se implicat rebus, & Missæ sacrificium re ipsa & facto prætermittit ac negligit.

PRIMO queritur, Quomodo accipi debeat eadem diuisio atque distinctio peccatorum, qua alia dicuntur esse cordis, alia oris, alia operis? Respondeo, hæc peccata accipi posse dupliciter: Vno modo, ut singula sunt per se perfecta: & tunc peccata cordis dicuntur ea, quæ in ipsa voluntate, siue ratione complentur, qualia sunt odium Dei, vel proximi, hæresis, inuidia, ira, superbia, contemptus, auaritia, ambitio, iudicium temerarium. Ea verò peccata oris sunt, quæ in sermone consistunt, & in eo consummantur, cuiusmodi sunt detractio, mendacium, periurium, falsum testimonium, conuiuium, maledictum coniectum in Deum vel eos, quos in sanctorum numerum Ecclesia retulit. Porro ea peccata dicuntur esse operis, quæ opere perficiuntur, ut furtum, latrocinium, homicidium, veneficium, proditio patriæ, adulterium, stuprum, ad scortum accessus, incestus, rapina. Altero modo hæc peccata possunt accipi, quatenus peccata cordis vel oris sunt veluti quidam progressus ad opus. Peccatum enim, quod consistit in opere, ortum habet ex corde, & tunc voluntas & cupiditas furandi vel occidendi alterum, dicitur Peccatum cordis siue cogitationis, quia est furtum vel homicidium affectu, vel voluntate susceptum. Pari ratione, alteri furtum, homicidium vel adulterium suadere, est peccatum oris: & tunc peccata cordis vel oris sunt veluti initia & origines, fontes vel causæ eorum peccatorum, quæ opere consummantur: immò opus ipsum est obiectum, finis, & materia cogitationis, locutionis quæ, siue sermonis.

Secundo queritur, An prædicta peccatorum genera sint inter sese specie, & natura distincta? Respondeo, specie differre peccata, quæ in voluntate ipsa consummantur ab ijs, quæ verbo aut opere complentur: quoniam quancumque talia sunt, re obiecta & materia differunt. Nam ambitio, superbia, contemptus, odium, ira, inuidia, hæresis, quæ sunt peccata cordis, specie distinguuntur à contumelia, detractio, conuiuium, maledictio, periurio, mendacio, quæ verbo perficiuntur, & à furto, adulterio, homicidio, quæ in opere, & facto consistunt. Quancumque verò peccata cordis vel oris respectum, & ordinem habent ad opus, quia sunt causæ, & origines malefactorum siue malorum operum, tunc peccata cordis, vel oris, à peccatis operis specie non differunt, ut voluntas, cupiditas, & desiderium furandi eiusdem speciei est, cuius est furtum: & persuadere alteri adulterium, in eadem specie, in qua adulterium, reponitur.

Tertio queritur, Quo pacto peccata cogitationis multiplicentur specie, vel numero? Respondeo, specie multiplicari ex diuersitate obiecti, siue materiæ specie distinctæ, tamen si vnus numero sit voluntatis actus; veluti si Titius velit Caium occidere, & vniuersa eius bona surripere, et si vnus est voluntatis affectus, sunt duæ tamen peccati prauitates specie diuersæ. Deinde, ex obiecto & fine, specie, & ratione diuersis, peccatum cogitationis specie distinguitur: quemadmodum si Ti-

S. Th. 1. 2.
q. 72. ar. 7.

Matth. 15.

rius velit furari, vt habeat, quod donet meretrici. Item quando in obiecto, & materia sunt simul duæ contra rectam rationem prauitates, peccatû cordis est etiam specie diuersum, qualè est, si Titius velit rem sacram furari, aut post votum castitatis Deo nuncupatum cum scorto rem habere, clericum occidere, vel in templo alterum necare: Numero verò multiplicantur peccata cordis etiam ex parte obiecti siue materia, licet vnus alioqui voluntatis sit actus: vti est voluntas mala habens respectum, & ordinem ad duo obiecta numero distincta. Quemadmodum enim actus inter se specie distant, per obiecta specie diuersa, ita etiam ex obiectis numero distinguuntur: Quo modo si Titius eodem actu velit occidere tres homines, aut tria furta committere, est triplex peccatum, siue furti, siue homicidij. Et eadem ratio est de peccatis omissionis; vt si quis vna voluntate velit Missæ sacrificio abesse tribus diebus festis, aut trium dierum ieiunia ieiunia prætermittere, aut tria vota, quibus tenetur adstrictus, violare. Ex his omnibus intelligi potest, quantæ prauitatis sit voluntas, qua quis vult necem omnium hominum, aut qua vult omittere ieiunia in tota Quadragesima ieiunia. Obseruandum autem est, obiecta debere esse integra per se, ita vt vnus non sit pars alterius, nec omnia tanquam partes, totum aliquod constituant: tunc enim non sunt obiecta numero diuersa. Hinc quoque perspicue intelligitur, quid dicendum sit de eo, quod querit, & tractat Nauarrus, *An si Titius velit occidere Caionem cum tota eius familia, duo tantum peccata homicidij committat voluntatis affectu, an verò tot homicidia numero, quot sunt homines in familia.* At ille non esse tot homicidia, quot sunt homines; quia tota, inquit, familia in iure, vna persona reputatur. *leg. 1. ff. si familia furum fecisse dicatur.* Deinde, quia familia est multarum personarum collectio; sicut domus est quoddam totum ex multis rebus tanquam ex partibus constitutum. Quare si quis veller domum comburere, vel omnes certæ alicuius Bibliothecæ libros furto surripere, aut tritici ingrem aceruum, aut magnû aliquem aureorum cumulum furari, aut ouium totum gregem, vel totum bouum, aut equorum armentum abigere, vnum tantum peccatum admittere diceretur. Verum enim uero hæc Nauarri opinio mihi non omni ex parte placet. Primum, quia vt dixi, Peccata numero distinguuntur ex obiectis: ergo si quis velit sex, vel septem certæ familie viros occidere, tot numero homicidia voluntate committit, quot sunt viri, vel homines. Præterea, fingamus, in familia Caij esse Clericû, neque id ignorare Titium, cum vult & machinatur familie totius interitum, certè negari nõ potest, eiusmodi affectum, & voluntatem ea ratione, qua fertur in personam Clerici esse sacri legæ. Accedit his, quod singuli familie homines, sunt integra per se obiecta homicidij, & ideo tot necesse est, vt sint homicidia, quot sunt homines occisi. Nec argumenta Nauarri vllam vim habent. Domus enim est quoddam totum ex multis rebus, tanquam partibus constans; *personæ verò familie quamuis iuris fictione dicantur vnam personam, videlicet fictam efficere; non tamen verè, & re ipsa dici possunt vna persona.* Idem dicendum de eo, qui vult omnes Bibliothecæ libros furri-

Nauar. in Manual. c. 6. n. 58.

perè, aut ingrem tritici cumulum furari, aut gregem ouium, vel porcorum abigere, quod dixi de eo, qui veller domum totam exurere: in his enim omnibus vnum tantum peccatum est: quia oues vel porci vnum gregem, & plures boues vnum armentum, & plures libri vnam Bibliothecam, & plures nummi vnum cumulum efficiunt: peccatum igitur in his singulis est vnum quamuis eo grauius, & maius quo materia peccati maior est.

Quartò queritur, An peccata voluntatis interna temporis interruptione multiplicentur: Vt si Titius velit Caium occidere, & deinde dormit, vel nihil de Caij cæde cogitat ad alia distractus, & postea expergefactus, vel ad seipsum reuersus, iterum vult, & operat interitum Caij, *Queritur an sint duo numero peccata, an verò vnum tantummodo?* Duæ sunt opiniones: Vna docet, peccata voluntatis in vniuersum temporis interruptione multiplicari. Hoc aperte videtur docuisse S. Thom. 2. dist. 42. quest. 1. art. 1. Armil. Peccatum. nu. 4. Tab. Peccatum. 1. quest. 8. Mai. 4. d. 15. quest. 29. ff. ex qua definitione Antoni. part. 2. Tit. 5. cap. 1. §. 10. Cui sententiæ plurimum fauet & ratio: quia ad vnitatem morus, & actus requiritur vnitatem temporis. Nam si quispiam apertis oculis cernat, & deinde non videat, ac post paululum temporis iterum cernat, erunt duo actus: alioqui enim quod semel interijt, idem per naturam rediret, quod fieri nequaquam potest. Ergo duæ sunt voluntates numero distinctæ, si quippiam volo, ac deinde cesso, & post moram temporis iterum volo. Deinde, quia dubitari non potest, quin sint duo numero peccata, si Titius odio Caium habeat, vel ei inuideat, ac deinde ab eo actu desistat, interualloque temporis elapso odium renouet, aut inuidiam reuocet. Postremò, quemadmodum peccata externa semel admitta, si iterentur, verè sunt plura, & augentur numero eodem modo & peccata, quæ voluntatis affectu consummantur, toties multiplicantur, quoties interiectu temporis repetuntur. Altera opinio tradit peccata cordis interna multiplicari, quando, postquam sunt per contrariam voluntatem interrupta, replicantur. Exemplum est: Si Titius postquam necem, & interitum Caij concupiuit, ac deiecit animo, ab ea voluntate per poenitentiam recessit, & iterum deinde concupierit, erunt duo numero peccata, si tamen priorem voluntatem non exuat, ac deponat, ac interim dormiat, vel nihil de nece Caij cogitans negociatur, & postea iterum Caij cædem exoptet, vnum erit peccatum, quia prior voluntas licet non actû, habitu tamen permanet; & id eo secunda voluntas accedens priorẽ non multiplicat, sed confirmat. Sicut (inquit Caietanus) lumen denuo productum, & prior accedens auget antiquum, non autem facit aliud. Ita sentit Caiet. ap. pascalem tom. 1. tract. 31. qui est responsionum 17. responsione 15. ad 2. dubitationem. Nauarri. in Manual. cap. 6. num. 16. & de poenit. dist. 5. cap. consideret. num. 42. & sequentibus. quamquam Caietanus, Nauarrius ex parte tantum sequitur: fatetur enim peccata, si sint ex ijs, quæ in voluntate complentur, verè fieri plura solo temporis interiectu, cuiusmodi sunt odium, superbia, inuidia, heresis, delectatio morosa, iudicium temerarium, ambitio: ea verò, quæ factio vel verbo perficiuntur, cuiusmodi est deſide-

rium,

rium, cupiditas & voluntas mali aliquid perpetrandi, non multiplicari sola temporis interruptione, nisi prior etiam voluntas muteatur. Probat Caietanus, & Nauarrus suam sententiam simili exemplo: si quis enim legem iter faciat voluntate, & studio certæ cuiusdam rei faciendæ, toto tempore, quo durat iter susceptum, permanere quoque prior voluntas videtur, quæ licet millies in itinere repetatur, & redintegretur, confirmari dicitur, multiplicari non item. Quibusdam recentioribus prima opinio magis ardet multis de causis. **Tum**, quia peccata quæ in voluntate complentur, verè sunt multa, cum lapsu temporis replicantur, vt rectè dixit Nauarrus: **tum** etiam quia in vniuersum actus voluntatis, si ad aliquod tempus esse definat, idem numero non redit, sed similis: manet autem aliquando voluntas in aliquo eius effectu, vt cum ex voluntate, & studio aliquid faciendi iter suscipimus. Cum autem voluntas in effectu suo persistit, tam diu perdurat, quam diu permanet effectus. Et huiusmodi voluntas dicitur confirmari, quoties effectus, licet plurimi sibi inuicem connexi, & coniuncti succedunt: ego tamen existimo prædictas duas opiniones facile conciliari posse in hunc modum; id est, peccata, quæ in voluntate perficiuntur, cursu temporis multiplicantur, cum iterantur: quod dixit Nauarrus, & hoc Caietanus non negauit; **Secundo** voluntas aliquid faciendi vel omittendi, quæ facta complentur vel omissione, quandocumque habet effectum, quem facit, quamuis multiplicetur, effectu eodem manente, non continet tot merita, vel peccata, quot repetitiones, & hoc est, quod docere voluit Caietanus: vt si longam peregrinationem sponte suscipias, & in itinere voluntatem sæpius replices: vnum est tuum meritum in vna longa peregrinatione; sic etiam si vnum quid fureris, & dum furaris, voluntatem repetis, vnum est furtum; quia voluntas furandi in furto completur, & ideo mala est, quia furtum est malum, parum refert, fureris ex vna voluntate, an ex voluntate sæpius iterata, & hoc etiam dicit prima opinio. Ex his omnibus intelligi potest, quid respondere oporteat ei quæstioni, qua queritur, quo pacto huiusmodi malæ voluntates sint in confessione sacerdoti explicandæ quando sunt peccata numero distincta: nam cum peccatorum numerus exprimi debeat, multiplicatam voluntatem sacerdoti in confessione oportet exponere: sed quia sæpe vsu venit, vt difficile sit tot voluntates repetitas memoria retinere; ideo satis est poenitenti, quæ intercessit, temporis moram, & diurnitatem declarare, si id adijciat, se voluntatis affectum toto eo temporis spatio sæpius iterasse.

Quintò queritur, quando & quo modo peccata, quæ sermone complentur, numero augeantur? **Respondeo**, specie fieri multa, & augeri numero, quando verbum seu sermo dirigitur, & refertur ad obiecta specie diuersa, veluti si Titius contumeliosè Caium compellet hæreticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliæ committit specie distincta. Præterea, si vnus homo hæresim, maledictum in Deum, & falsum testimonium dixerit, tria erunt peccata. Item si sermo terminetur in obiecto vno quidem, sed duplici prauitate

corrupto, erit etiam in duplici specie: vt si alteri per contumeliam appelles rerum sacrarum furẽ. **Quæres**, an numero plura fiant hæc peccata, si vno iræ impetu per iniuriam quis compellet alterum ter, aut quater latronem: item si quis maledixerit Deo, & certo alicui sancto, an sint duo peccata numero distincta, an vnum solummodo? Nauarrus videtur docere, non multiplicari numero peccata, si bis, aut ter eodem continenter sermone aliquem compellaueris furem: nec augeri numero conuitia, vel maledicta pro numero eorum, quibus obijciuntur. Vt si quis, inquit, maledicat simul Deo, & duodecim Apostolis, nõ erit nisi duplex maledictum in Deum, & Apostolos. Sed quidam Nauarrum oppugnant: non est, inquiunt, cur qui vno sermonis impetu ter mentitur, vel peierat, vel maledicit, tria peccata non committat, si is etiam, qui alium contumeliosè latronem, & hæreticum, proditorem, & sicariũ appellat, tria vel quatuor peccata perpetrat. Itẽ non est maior ratio, cur qui vno ictu occidit tres homines, tribus se peccatis obstringat, quàm is, qui vno sermone maledicit Deo, S. Petro & S. Paulo: quoniam sicut trium hominum cædes ex obiectis numero diuersis distinguitur, licet sit vno ictu patrata, sic etiam maledictum in Deum, S. Petrum, & Paulum coniectum, per obiecta numero distincta se iungitur, quamuis quis simul tribus maledicat. Ex quo etiam efficitur, vt si quis maledictum in Deum, & in duodecim Apostolos conferat, tot criminum culpam contrahat, quot sunt personæ sanctæ, quibus obiecerit maledictum. Quod & ratione & argumento conficere nituntur, quia hæc peccata verbo complentur: ergo sicut si ter mentiatis, tria peccata committis, quoniam singula suo verbo consummantur, ita etiam si ter quempiam latronem dixeris, tria erunt peccata, quia vnum quodque illorum est eodem verbo, ter tamen repetitò consummatum. Præterea, si cum primùm eum latronem nominasti, semel peccasti: ergo etiam cum secundo, & tertio contumeliam repetisti: non enim est maior ratio de primo, quàm de secundo, & tertio. Ego verò in hac parte cum Nauarro, in vno conuenio, in altero dissentio: **conuenio** quidem in hoc, quod existimo, si quis ter, vel quater, vel sæpius continuato sermone alterum latronem compellet, vnum esse peccatũ contumeliæ, quia vna est pugna, rixa, contentio vel lis, & tres illi actus, licet sint mali sunt tamen partes vnius pugnæ, rixæ, contentionis vel litis: ita etiam si quis cum altero dimicet, & eum ter, vel quater pugno percutiat, aut vulneret, vnum est peccatum, quia vna est pugna, cuius sunt partes vulnera. sic etiam si quis vnũ post alterum librum furrupiat & totam Bibliothecam expilet, vnum est furtum, licet deterius, quo plures libri furrupiantur: pari ratione si quis alteri verberet centies, aut millies continuato opere, vna est verberatio, sed eo grauior, quo sæpius alter verberatur: item furatur quis rem vnam, sed eam dum defert, sæpe deponit, & sæpe refumit, immò dum defert, alius ei furatur, & eam ipse mox recuperat, & deportat, quousque ad locum destinatum peruenit, vnum est furtum, quia non est completum, donec in loco destinato reponit. In altero verò à Nauarro dissentio, quod puto

Nauar. in
Mat. c. 6.
n. 17. & 18.

plura esse peccata, si quis vno sermone in Deum, & plures sanctos homines maledicta conijciat, qui plures contumelia afficit, sicut si vno icu vulneraret, vel occideret plures. Ex his perspicitur non à verò abesse Gloss. d. 31. q. 2. dicentem: *Qui vno impetu in iudicio ter appellauit, semel appellasse cõseitur. Itẽ in l. cum quaestio, c. De legatis, §. sed et alia, dicitur: Qui eandem rem cupiam in testamento bis, aut ter legauit, perindẽ est, ac si semel legauerit.* Quidam, de quibus paulò ante iã dixi, respondere contendunt non semper argumẽtum vim habere in foro conscientie, ex hoc, quod locũ, & vim habeat in foro exteriori, vbi quod attinet ad sententiam ferendam, pro eodẽ iudicatur semel aut sapius, vno impetu aut cõtinuato actu iudicem alium appellasse: & pro eodem, si quis alteri eandem rẽ semel aut sapius eodem testamẽto legauerit. Quod verò ad culpã spectat in foro conscientie, non est, inquit, idẽ, si quis alterum semel latronẽ appellat, ac si bis, repetito & continuato sermone: sicut non est idem semel mentiri vel peierare, vel falsum testimonium dicere, quod bis teruẽ cõtinuato sermone: quia secundum mendacium, vel periurium, vel maledictum in alium, suam habet per se prauitatem, nec eam accipit à primo. *Ceterum* quidquid illi dicant, prædicta Glossa in vtroque foro locum habet, quia si vno continuato sermone ter, vel quater mentior, vel peiero in eadem re, & materia subiecta, vnum peccatum censetur, quia tria mendacia, siue tria periuria, sunt vnus continuati sermonis partes, & sermo in vltimo mendaciõ siue periurio perficitur.

Sextò quaeritur, Quo pacto peccata, quæ opere consummantur, specie vel numero fiant multa? *Respondeo*, compertum esse, ea ex obiectis specie diuersis numero augeri, veluti adulterium, furtũ, homicidium. Itẽ, ex obiecto plures specie distinctas prauitates habente, vt furtum rei sacre, vel si quis voto castitatis adstrictus cum scorto rem habeat: Item ex obiecto & sine specie diuersis: vt si Titius Caium interimat, vt sibi bona eius vsurpet. *Deindẽ*, hæc peccata plura numero sunt, tamen vnus sit actus, modo respectum, & ordinem habeat ad obiecta numero differentia, sed cõtra rectam rationem; vt si Titius vno teli iactu duos simul homines occidat. Præterea, cum hæc peccata factò consummantur, tot sunt numero, quot actus sunt vnus post alterum: quemadmodum si quispiam bis teruẽ subinde fœminam sibi nõ nuptam cognoscat: nam post consummatum primũ actum, qui sequitur est omnino alius & diuersus sua per se turpitudine malus atque vitiosus. *Quæ res*, an Titius si tria adulteria, vel tres simplices fornicationes admittat cum tribus fœminis rem habens, explicare in confessione peccatorum debeat se rem habuisse cum tribus fœminis seu nuptis seu matrimonio solutis; an verò satis sit fateri se tria adulteria, vel tres fornicationes admisisse? *Ratio* dubitandi est, quia fornicatio, vel adulterium potest ter cum eadem fœmina cõmitti, aut ter cum tribus fœminis. *Respondeo* nihil referre, modo numerus fornicationum, vel adulteriorum exprimat, sit eadẽ fœmina, an diuersa. quoniam fornicationis, vel adulterij deformitas non habet diuersam cum recta ratione repugnãtiam ex hoc, quod sit cum eadem, vel diuersis fœ-

minis, eiusdem tamen status, & conditionis. *Docent* Maior. 4. d. 17. q. 4. & Nauarr. in Man. c. 16. n. 5. tam grauius peccare eum, qui decies cum eadem fœmina rẽ habeat, quam eum, qui decies cum decem fœminis eiusdẽ conditionis, & status rem habeat. *At, inquit*, qui decẽ fœminas cognoscit, causa est, vt decẽ fœminarum peccet, quod locum non habet in eo, qui decies ad eandem fœminam accedit. *Respondeo* hunc esse causam, vt eadem fœmina decies peccet, sicut ille decem fœminas ad peccandum induxit. Item cum dicimus tam grauius peccare, qui decies cũ eadem fœmina rem habet, quam qui decies cum decem fœminis, id intelligimus locum habere, si in cæteris sint pares: vt sicut decẽ fœminas ad libidinem inuitat hic, sic ille inuitat decies eadẽ fœminam ad luxuriam peccatũ. *Secundò* Quaeritur: An actus, qui præcedunt, comitantur, vel consequuntur peccata, sint delicta numero distincta, quales sunt multi actus, qui vnũ, & idem luxuriam peccatũ præcedere, comitari & consequi solent. *Respondeo*, aliquando actus tales per se esse malos, aliquando indifferentes. *Exempli causa*, Titius arma capit ad Caium interficiendum, domo exit, & dum rure eum quaerit, fata aliena graui cum proximi detrimento cõculcat: arma capere, domo egredi, & rure petere, actus sunt per se indifferentes, & ideo sunt mali duntaxat extrinsecus ob finem malum animo conceptum, eadem nempe Caij: atq; huius generis actus minimẽ necesse est inter confitendum explicare, cum careant prauitate ab ea, quæ est finis destinati, & optati nempe Caij: diuersa. *At verò aliena segetis concultatio est per se mala, specialiter à recta ratione dissi-*dis; quare est aliud peccatum specie diuersum, ac propterea necessariò in confessione sacerdoti narrandum: eodem modo de peccatis luxuriam indicandum est. Nam idem libidinis crimen opere perpetratum solent præcedere, comitari, vel cõsequi multi alij actus aliquando per se medijs, & indifferentes, aliquando ex se obsceni & turpes: certum & exploratum est, in differentes in confessione peccatorum minimẽ declarari, & patefieri oportere: qui verò actus sunt per se turpes, & vitiosi, verè sunt peccata, & iuxta aliquorum sententiam numero distincta ab eo peccato, quod in turpi cum fœmina cõgressu consummatum: talia sunt verba obscœna; osculauẽ, amplexus vel tactus impudici, & proinde in confessione, inquirunt, referri & exponi debent cum sint alia peccata. *Sed quòd* ijactus ferè plerunque intelliguntur vnã cum ipso concubitu in confessione explicato: ideo aiunt, nõ est necesse vt per se singularim exprimantur: is enim, qui penitentis confessionẽ excipit, eos actus simul audisse videtur vnã cum ipso concubitu audito. Hoc enim idem accidit in omnibus alijs peccatis: vt si sacerdos alteri confiteatur, cui notus est, non cogitur fateri se esse sacerdotem, cum se accusat de castitate à se grauius violata: tunc enim circumstantiam personæ explicare non est necesse, neque ob aliud, nisi quia ea nota est ei, qui eius confessionem excipit; & quia cum se fatetur contra castitatẽ peccasse, hoc ipso intelligitur esse peccatũ sacerdotis, qui se vnãq; castitatis voto tenetur obstrictus: ego tamen aliter existimo, videlicet oscula, amplexus, verba & tactus obscœni & impudici, qui

antecedunt, comitantur vel consequuntur turpem congressum, nisi aliunde specie differant à concubitu, numero non distinguuntur, quoniam sunt partes ipsius concubitus, initia, vel complementa, vel cause, sicut cum quis vulnerando occidit alterum, vulnerare malum est, sed vnum est peccatum, quoniam vulnus est causa necis: si alium vulneres, & post temporis intervallum ille pereat ex vulnere, sufficit si constitearis illum à te fuisse interemptum. Pari ratione te obiecisti periculo adulterij, & ideo commissisti, vnum est peccatum, quoniam periculum licet malum sit, at in hoc casu est tantum causa adulterij: vnde colligo rectè Iuriconsultos, videlicet Bartolum, Ioannem Andream, & alios, quos omnes citat ac sequitur Naur. de penit. dist. 5. cap. consideret. num. 46. & sequentibus. & in Mau. 2. 6. num. 17. & 18. eum, qui per totam noctem ludit, cum pluribus contra legem id prohibentem, semel tantum luisse videri. Item qui contra legem verantem ne aliquis secum ducat plures tribus famulis, duxerit viginti, perinde est ac si vnum tantum famulum ducat, ultra legis præscriptum. Si quis etiam tribus vulneribus continenter inflictis clericum percutiat, in vnam duntaxat excommunicationem incurrit. Præterea si quis rem alienam surripiat, quã cum in domum suam deferret, furatus est alius, & postea ipse recuperat, vnum tantummodo furtum admisisse iudicatur; & tamen recuperando rem furtivam, iteravit furtum. Adhæc, in c. Cum pro causa, de sententia excommunicationis, tanquam certum ponitur, in vnam duntaxat excommunicationem eum incurrisse, qui clericum in dormitorio verberavit, & verberando traxit per claustrum: ergo peccata exteriora numero non multiplicantur; quamvis continenter repetantur, quandoque sunt initia, complementa, cause, vel partes alicuius alterius peccati, in quo connectuntur, vel terminantur.

Cap. V.

De varijs cogitationis, & cordis peccatorum generibus.

Hactenus sæpè dixi, esse certa quædam peccatorum genera, quæ interiore voluntate complentur: ideo hoc loco de his singulis peccatorum formis quàm breuiter ac succincte fieri poterit, disputabo.

Primo quaeritur, quo pacto peccata interno voluntatis affectu committantur? Respondeo, id multis ac varijs modis contingere. Quod vt plenius percipiatur, animaduertere hoc oportet: res primò quidem in corporis sensu incurrunt: quæ res sensibus perceptæ ipsum appetitum animalem deinde, vel sui desiderio excitant, & permouent, vel quadam voluptate, & suauitate delinunt. Mox è sensibus transuolant ad imaginandi, cogitandi & memorandi vim & facultatem: vnde rerum memoria, imaginatione, seu cogitatione quippiam concupiscimus, optamus, aut in aliquo delectamur: Tandem res in mentem veniunt, atque eius intelligentia conceptæ, in appetitu rationis, quæ est voluntas, sui desiderium excitant, vel sua incunditate suauitateque delectant. Quare peccata, quæ interius animo, & vo-

luntate admittuntur, vel ad desideria, vel ad delectationes pertinent. Sub desiderio & cupiditate malorum, comprehendimus amorem, voluntatem, intentionem & electionem cuiuscunque mali: & proinde odium etiam tanquam amori contrarium: sub delectatione verò complectimur gaudium & lætitiã, quam quidam alij fruitionem appellant, & quamcunque tristitiam sine dolorem, qui delectationi aduersatur. Secundò est animaduertendum, Desiderium esse actum, quæ est voluntas mali aliquid faciendi ex deliberatione rationis. Vnde desiderium est cupiditas perueniendi ad opus. V. G. desiderium furandi est voluntas complendi furtum: desiderium necandi hunc vel illum est voluntas perficiendi homicidium. Delectatio verò potest esse peccatum, tum ea, quæ capitur ex re, tum ea, quæ ex recordatione præteritorum, vel ex cogitatione futurorum, vel ex imaginatione eorum, quæ licet facta fuerint, aut fieri possint, aut etiã fieri nequeant, tanquam presentia fingimus atque mente concipimus. Delectamur igitur aspectu, sermone, auditione, gustatu, odoratu, & tactu rei. Item imaginatione multarum rerum, & deniq; ipsa etiam rationis, & mentis cogitatione. Porò delectatio in hoc à desiderio differt, quod desiderium est voluntas complendi siue perueniendi ad opus externum; delectatio verò, & potest ad opus referri, quia spe & desiderio mali aliquid faciendi delectamur: & potest etiam vniuersa compleri absque ordine, & respectu ad opus: vt si quis rei turpis cogitatione delectetur absque omni prorsus voluntate, & cupiditate turpe aliquid exterius faciendi: sæpè enim vsu venit, vt rerum inaniam, quæ fieri non possunt, cogitatione oblectemur: sicut etiam sæpè fictis, & commentitijs fabulis delectamur.

Secundò quaeritur, An subiti voluntatis motus, qui omnem rationis vsum præcurrunt, sint peccata? de hac quaestione tractant Arist. li. 2. tract. 2. 8. cap. 1. & 2. Alex. p. 2. q. 108. m. 2. & seq. S. Tho. q. 7. de malo ar. 7. ad 8. & 2. d. 2. q. 3. a. 2. & d. 21. q. 1. a. 2. ad vlt. & 3. p. q. 41. ar. 1. ad 3. & Dur. 2. d. 21. q. 1. & alij multi. Duas in hac re inuenio opiniones. Prima est, quæ docet esse peccata eos motus, qui imaginationem, quæ res absentes concipimus, consequuntur: at omni culpa vacare eos hominis motus, qui voluntatem & rationem præueniant, sensus tamè corporis externos, hoc est subitam rei sensibus obiectæ notitiam, aut rei præsentis repentinam cogitationem, aut vitalis, siue altricis facultatis naturalis actiones comitantur, aut subsequuntur. Hæc fuit aliquorum ex antiquis Theologorum sententia: qui ea ratione nitebantur, quod motus, qui imaginationem rei absentes consequuntur, licet rationis vsum anteuertant, possunt tamen ab ea impediri, hæc enim si sollicitè, attente, & diligenter inuigilet, imaginationem in officio continet, ne turpe quid absens fingat, aut cogitet: quod si non faciat, causam dat motuum, qui imaginationem consequuntur: & ideo eiusmodi motus ipsius rationis & voluntatis culpa existere, & in animu obrepere dicuntur. Licet enim per se, & directò non sint voluntarij, indirectò tamen, & in sua origine & causa antecedenti voluntarij sunt, possent enim per rationem impediri, & repelli: At ve-

rò subitè ac repentini motus, qui sensus corporis consequuntur, & imaginatione præuertunt, quales paulò ante descripsi, liberi prorsus à culpa sunt, quia non sicut imaginationem, ita sensum, aut vitalem, & altricè vim, & facultatem potest ratio præuenire, cum res ipsè extrinsecus nostros in sensus incurrat, nec in nostra situm sit potestate, quin rebus visis, vel auditis permoueamur. Et hæc fuit veterum Scholasticorum opinio, Aluifodorenfis, Alexandri, Alberti, sancti Thomæ, Bonauenturae, quos etiam secutus est Durandus, qui quidem inde deduxerit omnem sensum titillationem esse peccatum. Ex quo efficitur, ut prædicta opinio longè ab sit à Lutheranorum, & Calvinistarum hæresi, qui persuadere conantur, omnem motum malum & vitiosum, licet voluntarius non sit, esse peccatum, factisque esse ad peccati rationem, si sit motus in natura mentis & intelligentiæ participat, contra rectam ratione ex peccato originem trahens, tanquam effectus ex causa. Et proinde colligunt, omnes concupiscentiæ nostræ motus contra rationem surgentes, quamuis subitos & repentinos, esse peccata, & poenam promereri: iniustus tamen hominibus eos motus beneficio Dei minimè culpæ imputari. **Quorum** sententia licet aliqua ex parte cum Henrici opinione consentiat, ut alibi dicam, præterquã quod cum Fidei decretis, & doctrina pugnat; Philosophiæ quoque ipsi, & rectæ Rationi aduersatur, secudum quam nihil in moribus peccati rationem habet, quod voluntarium non sit: qua de re, cum de Peccato originis agam, fusiùs disputabo. **Secunda opinio** tradit eos motus, quos Theologorum Schola primò primos appellat siue sensum corporis, aut naturalium virium actiones, siue imaginationem tum præsentium, tum absentium rerum consequentes, omni culpa carere, quoniam Rationis vsum omnino præcurrunt: **quæ sententia communi est Theologorum consensu recepta**, ita enim opinantur. Richar. 2. d. 21. art. 2. q. 3. Scot. 2. d. 42. ad tertiam quest. Lyran. Math. 5. Almain. trah. 3. Moral. cap. 24. Nider. in 9. Præcept. Decalogi. c. 4. Cordub. lib. 2. questio. 23. dub. 9. Angelst. cap. 6. Moral. Et merito quidem, quia ante omnem Rationis vsum nihil volitarius esse potest; quippe voluntarium necessariò est cù cognitione rei: ergo ubi nulla est mentis siue rationis cognitio, voluntarium esse non potest. Porro licet ratio sæpè imaginationem præuenire, & corrigere queat, nõ tamen semper potest: nã multæ imaginationes præteruolant, nec ratio potest ita esse peruigil ac prudens, ut omnes aduertere, & præcauere queat: præsertim cum ea, quæ subito in sensus incurrit, repente quoque in imaginationem irrepant, & influant, ita ut citius in eam illabantur, quam ratio possit aduertere. Quare motus, qui imaginationem consequuntur, aut omnem rationis vsum præueniunt, aut tantum perfectam quidem rationis deliberationem præcurrunt, sed imperfectam sequuntur: si omnem deliberationem rationis præueniunt, culpa vacant; si non omnem deliberationem anteverunt, sed tantum perfectam & plenam, ita ut imperfectam aliquã deliberationem mentis consequantur, in culpa sunt, nõ quidem lethali, sed veniali. Verum obijcies, primam opinionem non intelligi de ijs motibus qui in sen-

sus pariter, & imaginandi vim ex improviso obrepunt: sed de ijs motibus, qui solam imaginationem consequuntur. Contra hoc est argumentum, quia tales quoque motus aliquando ex imaginatione subita oriuntur, ita ut mentis cogitatione præuideri nequeant: & omnè rationis considerationem præcurrant. **Existimo** verò Theologos veteres primæ opinionis Auctores, appellatione motuum imaginationem consequentium, intellexisse hominis motus, qui imperfectam & semiplenam rationis intelligentiam, & deliberationem consequuntur, & ideo dixerunt eiusmodi motus in culpa esse: quia sunt voluntarij & liberi, non quidem plenè & perfectè, sed aliqua ex parte imperfectè.

Tertiò queritur, An motus qui vocatur à Theologis secundo primis, in culpa & vicio sint: & primo primi omni culpa vacent? **Constat** apud omnes Theologos motus primò primos culpæ non dari; cum tamen secundo primi in culpa esse dicatur. Verum, qui sint primò primi motus, & qui secundo primi, non eodem modo explicant Auctores. Nam veteres illi Theologi, quos dixi, primam opinionem docuisse, motus primò primos appellant, qui non solum Rationem, sed etiam imaginationem præueniunt; quales sunt ij, qui sensus corporis, aut vim naturalem, aut vitalem siue altricem facultatem consequuntur, aut improuisum inopinatum ac subitum rei præsentis incursum: cuius generis sunt sitis, fames, libidinum titillatio, voluptatum illecebræ, & quædam blâdimenta, quæ nobis natura gignit. **Secundò primos** vocant eos motus, qui imaginationem rerum absentium consequuntur, rationem tamen præcurrunt; eò quod motus huiusmodi cum sint imaginatione tanquam causa, & origine, vnde manant, & surgunt, posteriores, motus primo primi dici nequeunt: ac proinde sunt secundo primi. Illi autem, qui omnem imaginationis motum præueniunt, primò primi nominantur: quoniam sunt omnium motuum primi. Et ideo dicunt, motus secundo primos culpam habere, sed venialem duntaxat. Lethalis enim culpa ante omnem animi deliberationem nulla esse potest: quia tamen eos motus cauere, & impedire, ne existant, ratio potest, cui imaginatio rerum absentium subijcitur, ideo culpa veniali non vacant: at primo primos omni aiunt vicio & culpa carere, quia naturaliter ad sensus affluunt, & natura iter in animum illabuntur: ita ut per rationem præuideri, impediri, & auerti non possint.

Communi sanè Theologorum consensu receptum est, motus primo primos esse & dici eos, qui omnem rationis vsum præuertunt siue sensum corporis, siue imaginationem subito consecuti, & ideo voluntarij esse nequeunt. **Motus verò secundo primi** vocatur, quotquot plenam quidem mentis deliberationem anteverunt, sed aliquatulum tamen rationis vsum consequuntur: quo efficitur, ut præcaueri ac repellì queant: quia tamen sunt ante plenam, & perfectam deliberationem, nequaquam graua peccata, sed leuia esse iudicatur, videlicet venialia; non quidem ex leuitate materiæ, sed ex imperfecto rationis vsum, consilio, & deliberatione. **QVAERES**, an motus in ap-

Scot. Alm.
Nider. Ly-
ra. Cordub.
lib. 2. questio.
23. dub. 9.
Angelst. cap.
6. Moral.

petitu

petitu sensus secundò primi sint peccata omissionis, an verò commissionis? Scotus, & Almainus eos motus peccata omissionis appellat, quoniam ideo peccata sunt, quia ratio cum posset, eos motus non prævidet, non præcauet, non repellit. At Henricus & alij supra memorati sentiunt esse peccata commissionis: & hoc est verius, quia sunt actus mali, quamuis re vera deformitate nullam habent absque tacto, & implicito mentis consensu, qui non obstat, quo minus eiusmodi motus sint quidam actus, non omissiones.

Quartò quæritur, An in ipsa mente & ratione ac voluntate sint etiam motus, & actus primò primi, & secundò primi? Causam dubitandi præbet, quòd fieri nequeat, ut in ratione motus existant & surgant, qui omnem mentis usum & deliberationem præcurrant: nam actus rationis hoc ipso, quod est talis, usum rationis consequitur: ante omnem item rationis actum, imaginationis & sensus motus existit, ergo nullus rationis actus potest esse motus primò primus. Hoc argumento permoti nonnulli, senserunt in ratione non esse talium motuum differentiam statuendam. At verius tradiderunt alij, reperiri quoque in ratione huiusmodi motus repentinos ac subitos. Non enim negari potest, quin aliquando res obiectæ rationi, ipsam naturaliter excitent, alliciant, & permoueant, & aliquando imperfectè: quare in odio, malevolentia, superbia, inuidia, ira, ambitione, contemptu, inani gloria, nonnunquam leuiter solum peccatur, quoniam res obiecta aliquando tanquam iucunda, vel utilis & comoda primo mentis aspectu sese offert, & voluntatem delectat, antequam ratio eam turpè esse & malam animaduertat: & proinde si res vt iucunda, vel utilis, & comoda, & corpori salutaris, nõ autem vt turpis, & mala, delectatione nos afficit, naturalis est voluntatis actus, quo naturaliter iucundum vel vile bonum, quatenus est bonum, placet, & cum sit actus circa iucundum quidem, vel vile, sed ante omnem prorsus honesti, & turpis noticiam est primò primus omni culpa carens: deinde cum incipit aliquantula apparere turpitudinis noticia, non tamen perfecta; si tunc quoque res turpis, & verita voluntati placeat, actus erit venialis culpa; quia cum adest turpitudinis cognitio, statim res turpis auerti, & repudiari debet, cum is actus circa obiectum malum versetur. Hinc etiam est, vt in ijs quoque quæ sunt contra fidem, possit quis grauius, & leuiter peccare: potest enim sententiam fidei contrariam tanquam veram subito credere, antequam cum Ecclesiæ, vel fidei catholicæ fessu eam dissidere, & pugnare cognoscat, animaduertat, vel cogitet: & tunc actus est liber à culpa. Si verò incipiat esse cognitio aliquantula non plena, & perfecta, qua deprehendat eam dissentire, & discrepare ab Ecclesiæ decretis, veniale tunc peccatum erit, sicut lethale post plenam mentis noticiam, & deliberationem. Idem etiam potest accidere cum de rebus fidei dubitamus: nam possunt esse subitæ, & repentina dubitationes, quæ naturaliter in mentem obrepant: & possunt esse aliquando cum imperfecta animi deliberatione. idem iuris est in motibus iræ superbiæ, inuidiæ, odij, inanis gloriæ, & alijs similibus.

Quintò quæritur, Quibus modis delectatio,

quæ morosa vocatur, circa obiectum malum contingat: Animaduertendū est, delectationem, dici morosam, nõ ob temporis moram, licet ab ea nomen acceperit, sed eo quod ex plena animi deliberatione descendat: ita vt delectatio morosa sit eadem, quæ delectatio deliberata. Et quoniam deliberatio rationis vno temporis momento fieri, & esse potest, ideo delectatio morosa, tota potest in temporis puncto consistere. Res enim voluntati obiecta vno temporis puncto potest nobis placere, & nos sua iucunditate perfundere. Secundo, scire conuenit, delectationem semper generari ex eo, quòd res aliqua iucunda cum appetitu per operationem coniungitur: operatio autem potest esse multiplex; quare aspectu rerum, auditione, narratione, & sermone, gustatu, odoratu, & tactu oblectamur: item apprehensione & possessione rei: sic etiam, cum res veluti præsentis animi cogitatione fingimus, immo cum multa ficta, quæ esse aut fieri nequeunt, mente concipimus. Porro delectatio cum mentis cogitatione capitur, potest tripliciter percipi: Aut enim primo ex re ipsa cogitata capitur: & tunc res est obiectum, & materia delectationis, cogitatio verò nõ est obiectum, sed operatio, per quam res cum appetitu coniungitur: quo modo saepe per aspectum, gustatum, auditum, odoratum, vel tactum copulatur. Secundo modo, interdum delectatio ex cogitatione percipitur: & tunc cogitatio, licet in re aliqua externa versatur, est tamen obiectum, & materia delectationis, ita vt nos ipsa rei cogitatio vel recordatio delectet: quod solet accidere ijs, qui imagines in tabella depictas aspiciunt: aliquando enim delectantur rebus in imagine adumbratis, & effictis, aliquando verò ipsis rerum imaginibus, eas enim contemplantur vt pulchre in tabella descriptas, ita vt placeat earum imaginum conueniens, & apta pictura. Sic etiam delectamur aliquando, quia res mentis cogitatione concepta tanquam pulchra, & nobis iucunda placet; Aliquando verò ex eo, quod ipsa rei cogitatio, tanquam iucunda quædam conceptio nobis est grata, vt solet esse ijs, qui dicturi, disputaturi, vel concionem habituri sunt, cõtra res obscenas, & turpes, quibus nimirum res ipsæ obscenæ displicent, at verò placent cogitationes conceptæ. Tertio modo potest delectatio euenire, eo quod ex desiderio, spe, studio boni iucundi, vel utilis, & comodi capiatur: & tunc huiusmodi delectatio cum appetitu coniungitur per voluntatem, & actum perueniendi ad opus externum, cum tamen primæ duæ delectationes ante dictæ, sint absque voluntate operis cõplendi; & propterea hæc postrema delectatio coniuncta copulataque est cum voluntate opus perficiendi; & ideo sequitur cupiditatis & desiderij naturam.

Cap. VI.

De delectatione morosa.

PRIMO quæritur, An delectatio morosa circa obiectum malum sit peccatum? Tres in hac re inuenio sententias. Prima est quæ refert S. Thomas, non esse peccatum, modo sit absque studio, & voluntate malè faciendi, & absque omni occasione cõsentiendi in opus, & factum malum. quam sententiam Cordubensis lib. 1. questionum, quæst. 23.

S. Tho. 1. 2.
q. 74. ar. 8.

Matth. 5.
Exod. 20.

dub. 11. Martino adscribit, & ait eam esse probabilem, licet minus turam, & publicè minime docendam. At reuera Martinus q. 3. de luxuria ad 17. argumentum, ubi hanc questionem attigit, eam peccatum esse planè fatetur; ita tamen, vt dicat, non esse facile condemnandum eum, qui cogitatione mala delectatur. Prima hæc sententia potest probari dupliciter. Primò, auctoritate Christi Domini: *Qui videris*, inquit, *mulierem ad concupiscendam eam, iam machatus est eam in corde suo.* & in nono ac decimo præceptis Decalogi solùm dicitur: *Non concupisces uxorem, vel rem proximi tui.* ergo cupiditas, & voluntas mali perpetrandi est peccatum, nõ tamen sola delectatio, quæ de malo cogitatio percipitur. Deinde, exemplo probatur: quoniam potest quis de bello iniquo apud se cogitã, animo fingere, se ducesse & imperatorem, exercitum per varia loca traicientem, contra hostes strenuè pugnantem, mirifice sese defendentem: in qua delectatione non videtur facile peccati condemnandus. Præterea, non videtur peccare, qui solo aspectu ludi, vel duelli aut spectaculi lege aliqua interdicti oblectatur. Postremò, non peccat, qui tempore, quo ieiunium seruare præcepto compellitur, de esu carnum cogitans in eo sese delectat. Secunda opinio distinguit in hunc modum: aut res, inquit, cogitata per se mala est, qualia sunt, quæ iure naturali damnantur: aut solùm est mala, quia lege aliqua scripta prohibetur, vt esus carnum certis quibusdam anni temporibus interdictus, ludi & spectacula, quæ lex humana vetat. Si res igitur sit per se mala, tunc delectatio, quæ ex ea capitur, est peccatum, quia cum res sit per suam naturam mala, rectæ rationi repugnat, & proinde delectatio ex ea re capta est mala. nõ quicquid delectat, hoc ipso placet, & approbatur; at peccatum est, approbare, & gratum & acceptum habere id, quod malum ac turpe esse, cognoscitur. Si verò res lege tantummodo scripta vitetur; tunc delectatio, quæ ex ea re absolūtè, simpliciter, & per se cogitata percipitur, nullum est peccatum, modò nõ delectemur eiusmodi re, quatenus lege interdicta. Fieri, quod dico exemplo perspicuum. Titius in ieiuniorũ temporibus cogitans de esu carnum absolūtè & per se delectatur in eo, non tamen vt lege interdicto, ac minime peccat. Confirmant hoc multiplici ratione. Primò, quia delectatio cogitationem consequitur, sed cogitatio est circa esum carnum absolūtè per se sumptum; at esus carnum per se nõ est malus: ergo huiusmodi delectatio nõ est circa obiectum malum. Item, quia sicut intellectus, vel ratio, quæ sunt re coniuncta, potest cogitatione se iungere, & vnum absque alio concipere; sic etiam voluntas potest, quæ sunt re ipsa connexa discernere, & vnum sine altero velle: ergo potest in esu carnum absolūtè, & per se cogitatio delectari, non quatenus est lege interdictus: sed quatenus carnum vsus simpliciter iucundus, aut vt illis cogitatur. Deinde, quia alioquin peccarent, quotquot delectantur aspectu simplici ludi vel spectaculi, humanis legibus damnati. Accedit his, quod leges humanæ multa opera externa vetant, & proinde voluntatem ea faciendi, & delectationem, quæ capitur ex ijs, vt sunt lege interdicta, non tamen condemnant delectationem

absque vlllo studio, & volũtate operis complendi: non enim leges humanæ, actus mentis inter nos imperant, aut prohibent; nisi ea ratione, qua referuntur, & diriguntur ad opus. Tertia opinio, absolūtè docet, omnem delectationem circa obiectum malum, esse peccatum. Hæc opinio est cõmuni Theologorum consensu approbata, & recepta: Illud tamen animaduertendum puto, eam intelligi de delectatione, qua quis delectatur in malo, vt malum est: nam in malis sæpè, potest aliquid boni cogitatione apprehendi, ita vt voluntas oblectetur in ea boni ratione cogitata. Explicatio me: Titius ex equo, iumento, vel curru fuit ridiculus, risum excitat, & lætitiã: tunc is, qui lætatur & ridet, nequaquam delectatur de malo, neque enim oblectatur de vulnere, aut membri incommodo, aut corporis offensione, verum de modo ridiculo, quo ille decedit. Ad eũdem modum, cum narrantur furta quædam, fraudes, & infidie mirabili dexteritate & artificio paratæ, & instructæ ad nocendum ridere consueuimus, & dulcem quandam animo voluptatem percipere: quæ enim noua & insolita, quæ mira, & subtilia sunt, ea ferè natura sua pariunt voluptatem. Similiter aspectu ludi, vel spectaculi non boni, duelli item & belli iniqui, delectamur, quòd subtiliter, & ingeniosè aliquid agatur, quòd fortiter & strenuè pugnetur, quòd arma resplendant, lieus perfonet, tuba clangat. Hæc omnia doctè, & verè Caietanus annotauit.

In hac igitur quaestione, prima sententia videtur esse temeraria, quia est contra communem omnium Theologorum sententiam. Altiſſod lib. 2. tract. 28. cap. 4. quest. 2. Alexan. part. 2. quest. 109. m. 115. Thom. 1. 2. quest. 74. art. 8. Bonau. 2. dist. 24. part. 2. art. 2. q. 2. Richard. 2. dist. 24. art. 4. q. 4. Scot. 2. dist. 46. q. 1. §. sequitur secundum. Duran. 2. d. 24. q. 6. & Gabr. 4. dist. 15. q. 13. art. 3. dub. 2. Mai. 2. dist. 42. quest. 18. Antoni. 2. part. tit. 1. cap. 4. §. 1. Angel. Syueff. Tabien. Armill. Caietan. verbo cogitatio, & verbo delectatio. & Nauar. cap. 16. nu. 9. videtur quoque esse contra Patrum doctrinam: scilicet contra Chrysost. hom. 17. in Math. Hilari. in Math. cano. 4. August. lib. 12. de Trinit. cap. 12. Gregor. lib. 21. Mora. cap. 3. Isidor. qui citatur 22. quest. 7. cap. non solum. & Bernar. de interio. domo cap. 40. Videtur etiam cum ratione pugnaire: Etenim res mala, vt mala est in moribus, cum recta ratione discordat & pugnat: ergo voluntati rectæ displicere debet: at voluntas, quæ ea delectatur; eam approbat, & tanquam sibi gratam & acceptam habet; ergo hoc ipso peccat. Secunda verò opinio, non est, quod distinguat ea, quæ sunt ex lege interdicta, ab ijs, quæ sunt per se mala: quoniam si ijs, qui delectatur cogitans de esu carnum absolūtè & per se, non autem vt est certis temporibus interdictus, non peccat, ideo est, quia delectationem nõ capit ex re mala, quatenus mala; nam esus carnum per se malus non est, sed medius & indifferens. At verò idem iuris est in ijs, quæ sunt per se mala, quoniam si in ijs, aliqua boni ratio potest mentis cogitatione concipi, & voluntas in ea, vt bona est, delectetur, peccatum non contrahit, vt in exemplis, supra allatis dixi, idem que in multis alijs elucescit. nam etiam si bellum sit

Caietanus
sua de
delectatione
moralium
respon-

iniustum,

iniustum, si quis tamen cogitatione se fingat du-
cem decoris armis indutum, strenuè exercitum
ducentem per loca ardua, & inaccessa sine peri-
culo aut damno, arte & industria singulari, non
videtur lethaliter peccare (meo iudicio) sese ijs
rebus animo confectis oblectando, dummodo ex
ea parte, qua bellum est inique susceptum, aut ex
vulneribus, cedibus, incendijs, & id genus malis,
delectationem non capiat. Pari ratione non erit
semper peccatum in eo, qui delectatur aspectu
duelli, ludi, aut spectaculi publice exhibiti, quo
solent animi recreandi gratia, agitari ferè cum
multorum hominù interdum interitu vel dam-
no. Qui præterea animo se fingit locupletem, ma-
gnos quotidie sumptus facientem, plurima gratis,
& liberaliter donantem, cum tamen aliqui
reuera sit pauper, & voto voluntariæ paupertatis
adstrictus, in eo non videtur peccare lethaliter.
Quare tertia opinio eo modo, quæ explicuimus,
merito est amplectenda.

Secundo queritur, num Delectatio morosa sit
lethalis culpa, an venialis, pro varietate materiæ
gravis, vel leuis in qua versatur? Quidam existi-
mant Delectationis morosæ, quæ in culpa, & in
vicio est, deformitatem nequaquam respondere
magnitudini vel exiguitati materiæ: quia (secun-
dum eos) materia prauitate, quam habet, in de-
lectatione minimè transfundit. Sic videtur sentire
Ledesmius, p. 3. in 4. q. 21. a. 7. sic Cor. dub. in lib. 2. que-
stionum. q. 30. dub. 1. Ratio eorum est, quia inter de-
lectatione morosam, & voluntatem faciendi opus,
hoc interest: quòd voluntas tota suam turpitudi-
nem sumit ab opere externo, quòd tanquam ob-
iectum sibi propositum habet, quia est voluntas
perueniendi ad opus: At verò Delectatio moro-
sa, cum omni voluntate caret opus complendi,
per se in ipsa voluntate finitur, ac consummatur:
non enim est veluti quidam gradus, & transitus ad
opus externum, ergo per se deformitatis grauita-
tem vel leuitatem habet, nõ autem ex obiecto &
materia. Deinde si per vim quispiam adigeretur
ad libidinem externam, aut si virgo iniuita viola-
retur, & tamen interius delectaretur, peccatù se-
se delectando susciperet, cum alioqui actus libi-
dinis exterior vacaret omni culpa, vt potè violè-
tus: Ergo morosa delectatio per se, & ex se ha-
bet prauitatem. Adhæc, aliquando in obiecta re,
& materia externa nulla turpitudò, nulla de-
formitas inest, & tamè delectatio, quæ inde capitur,
est mala. Vt si quis peruiugi oblectaretur, quòd se
in somno polluisset, aut quòd dormiès, vel ebri⁹,
vel mente captus aliquè occidisset, aut quòd peie-
rasset. Verùm enimerò cõmuni Theologorum
consensu receptum est, vt videre est apud Duran.
Richard. Caiet. Antoni. Gabr. Angel. Syluest. Ar-
mil. Namarr. locis citatis, delectationis morosæ
grauitatem, vel leuitatem ex materia magna, vel
parua xstimari: ita vt si materia sit leuis, delecta-
tio sit venialis, lethalis verò, si grauis. Id quòd ra-
tio ex his, quæ hæcenus dixi, satis ostendit: quia ob-
iectum, quatenus malù in moribus, cum sit rectæ
rationi dissentaneum, à voluntate approbari, &
gratum atque acceptum haberi, iure non potest:
ergo voluntas sese delectando in malis, vt mala
sunt, & grauius leuius peccat, quo subiecta ma-
teriæ grauior aut leuior est.

Ad obiecta verò non magni operis est respon-
dere: & ad primùm respondeo, delectationem
morosam esse quidem peccatum, quòd in so-
la voluntate completur; nihilominus tamen il-
la obiectum habet suum: omnis enim delectatio
de aliquo obiecto, & materia capitur, in qua ter-
minatur, licet in actum exteriorem non tendat,
siue ad opus non veniat voluntas, quæ solum de-
lectatur interius. Quare sicut odiù est peccatum,
quòd consummatur in mente, non quia obiecto
careat (hoc enim fieri non potest) sed quia in so-
la voluntate perficitur, citra vllum opus exter-
num: ita etiam delectatio morosa est peccatum,
quòd interius in voluntate completur, non qui-
dem sine obiecto, & materia, sed absq; villo actu
exteriori. Sufficit autem, si obiectum, quatenus
malum est, voluntati placeat, & ipsam delectet;
nam hoc ipso peccat voluntas. Ad secundum ar-
gumentum respondeo: sicut Magistratus secun-
dum leges, reum criminis morte puniens, in actu
externo, quem præstat, non peccat; si tamen ex o-
dio, vindicta, vel ira eum pœna plectat alioqui
iusta, & debita, delinquit interius, & grauius,
quia odium, inuidia, vel ira in obiecto malo ver-
satur: eodem modo, si quis cù scorto rem habeat
inuitus, interius tamè sponte oblectetur, quãuis
in actu exteriori liber non sit, in delectatione ta-
men morosa peccat, quia hoc ipso, quòd spontè
delectatur, quamuis rem turpem faciat inuitus,
libidinem, & luxuriam interius, non autem exte-
rius sibi gratam, & acceptam habet. Ad tertium
argumentum pari modo respondeo; delectatio-
nem morosam in eo homine vitio, & culpæ tri-
bui, non eo, quòd ille se in somno polluerit, sed
eo quòd voluntaria delectatione in pollutionem
vt in obiectum & finem intendat: veluti si bellua
Titium occideret, & Caius ea nece sese oblecta-
ret, actus quidem exterior, vt à bellua proficisci-
tur, culpa vacaret, delectatio tamen Caij, esset in
vicio, quia necem Titij, vt rem sibi gratam & ac-
ceptam haberet.

Tertiò queritur, An morosa delectatio specie
suâ sumat a varietate materiæ sibi subiectæ? Rem
declaro; in opere luxuriæ tanquam genere, mul-
tæ species continentur; fornicatio, adulterium,
incestus, stuprum, raptus, sacrilegium: Queritur
modo an delectationes morosæ, quæ capiuntur
ex re turpi, & obscœna, inter sese specie disten-
sint, sicut etiam opera libidinis externæ? Quidam o-
pinantur delectationis morosæ species non sumi
ex varietate operis externi, sed sui obiecti,
quòd opus externum non est, cum delectatio ad
actum exteriorem non referatur, immo potius
tota in voluntate consummetur. Quòd his probant
argumentis. Nam actus externus aliquando
est bonus, & tamen delectatio morosa est mala:
interdum enim vsuuenit; vt Titius rem cum pro-
pria vxore habens, sese delectet cogitans de vxore
aliena. Item, quia inter species luxuriæ quæ-
dam sunt propriæ contra iustitiam, vt adulteri-
um, stuprum, & raptus: quædam contra pietatem,
& reuerentiam debitam ijs, qui sunt sanguine,
& cognatione comuncti, vt incestus; quædam
contra religionem, vt sacrilegium. At in delectatione
morosa nulla apparet talis varietas: non enim si quis delectationem capiat ex cogitatione
conubi

concupiscit cum vxore aliena, quam adamat, aut cum stuprata virgine, aut cum puella rapta parentibus, aut cum foemina sibi propinqua, aut voto castitatis adstricta, iustitiam violat, pietatem aut religionem. Accedit, quod delectatio morosa non est gradus, & progressus ad opus externum, ut est voluntas, & cupiditas faciendi. Ergo tametsi voluntas, & affectus, qui dirigitur ad opus, specie est diuersus, pro varietate operis, quod est eius finis & terminus, non tamen delectatio morosa, quae vnico voluntatis actu terminatur: non in opere externo. At verò communis est Theologorum sententia, Antoni. *parte secunda, tit. 5. cap. 1. §. 6.* Nauarr. *in Manual. cap. 16. num. 9. & c. 6. num. 8.* Angel. & Syluest. *loci citati, & Sor. 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. post septimam conclusionem, Tabien. cogitatio morosa, num. 1.* Caietan. *secunda secunda questione 154. artic. 4. ad 2.* delectationes morosas pro varietate operis externi specie ab se inuicem seungi: fortassis prima opinio à secunda verbis tantum, non re ipsa dissentit. Quod ut maiori explanationis luce detularem, animaduertendum arbitror, dubitare neminem, prauum voluntatis affectum, qui ad opus tanquam finem, & terminum refertur, specie differre pro diuersitate operis, in quod, ut in finem dirigitur, quare sicut variae sunt luxuriae species, sic etiam voluntas, & cupiditas luxuriae distinguitur specie, & quale fuerit luxuriae opus externum, talis quoque erit voluntas, & desiderium luxuriae atque libidinis. At verò delectatio morosa in re, & materia libidinis, à voluntate, & affectu differt, quod voluntas, & cupiditas libidinis semper est eiusdem speciei, cuius est libido, & semper habet eandem, qua libido exterior inficitur, prauitatem. At delectatio morosa licet speciem, & turpitudinem sumat ab obiecto; non semper tamē totam speciem, maculam, & fæditatem externae luxuriae, & libidinis habet: exterior libido semper omnem suam speciem deformitatem quae, in voluntatem & desiderium operis transfundit; cum tamen non semper in delectationem morosam transfinitat. Pono exemplum: Si Titius habeat rem cum vxore aliena, vel cum foemina sibi sanguine coniuncta, vel cum puella virgine Deo sacra, adulterium, incestum, vel sacrilegium committit, ad quod satis est, si norit esse vxorem alienam, vel propinquam, vel sacram, etiam si nollet esse alienam, propinquam, vel sacram: huius enim generis circumstantiae cum sint in ipso opere, separari, & seungi nequeunt re ipsa; & proinde ad luxuriae foeditatem sufficit earum notitia, ex qua fit, ut Titius hoc ipso, quod vult, & appetit opus, velit quoque eiusmodi circumstantias. Sic etiam si idem Titius velit, & optet rem habere cum foemina, quam nouit esse vxorem alterius, vel affinem sibi, vel Deo voto factam addictam, tota eius cupiditas est adulterij, incestus, vel sacrilegij, quia est veluti progressus quidam & motus ad incestum, adulterium, vel sacrilegium. At verò si delectatur Titius in cogitatione complexus cum vxore aliena, quam talem verè nouit esse, non suam, non hoc ipso, quod nouit esse alienam, delectationem morosam capit ex adulterio; potest enim Titius delectari in cogitato congressu, non ut est cum vxore aliena, sed absolute, ut est cum foemi-

na sibi non nupta: delectatio enim terminatur in foemina, prout est in cogitatione Titij; at prout est in cogitatione Titij, non est vxor aliena, sed absolute tantum omni vinculo soluta; & proinde delectatio solummodo tunc habet speciem, & deformitatem libidinis, & luxuriae simplicis, quia talis nimirum est res cogitata, in quam Titius delectatione fertur. Si tamen de ea delectetur, ut cogitatione apprehenditur tanquam vxor alterius, vel foemina sibi propinqua, & cognata, aut quae Deo vouerit virginitatem, tunc delectatio habet rationem adulterij, incestus, vel sacrilegij. Quare si generatim loquamur; sicut delectatio morosa, in vitio & culpa habet grauitatem, vel leuitatem, ex varietate materiae grandis vel paruae; ita etiam sumit speciem ab obiecto & materia; ita tamen ut obiectum tunc omnem suam speciem, & prauitatem in delectationem morosam deriuat, quando delectatio ex re obiecta capitur, ut cogitata ex omni malo, quod habet in se. Si enim res cogitetur, ut ex parte tantum mala, non ex toto, turpitudinem ex parte, non ex toto transfertur in delectationem. Nam pari ratione superius iam dixi; non eo, quod res est mala, delectationem esse malam, quia potest delectatio terminari in aliqua boni ratione, quae inest in re mala; ad eundem modum, licet res mala duabus tribulue prauitatis sit infecta, potest nihilominus delectatio vnus tantummodo esse deformitatis, quoniam ad vnam duntaxat cogitationem conceptam turpitudinem, refertur.

Quartò quaeritur, num delectatio, quae versatur in cogitatione, qua res mala cogitatur, hoc ipso sit mala? Haecenus dixi de delectatione, quae versatur, & finitur in re mala, sed nobiscum mentis cogitatione coniuncta, hoc est, de delectatione, quae ex re mala cogitata capitur: siue de delectatione, cuius obiectum est malum; ita ut cogitatio solum sit operatio, per quam nobiscum res exterior mala coniungitur: Nunc verò dicere oportet de delectatione, cuius obiectum est cogitatio, qua rem malam cogitamus. In qua re, non est tanta controuersia, aut difficultas, quippe inter omnes conuenit, huiusmodi delectationem, aliquando esse bonam, aliquando immundam, & malam; aliquando vanam & inuilem, aliquando indifferentem. Delectatio bona est, quado Titius disputaturus, docturus, concionaturus delectatur absque vilo peccati periculo, de argumentis, rationibus subtiliter, & acute excogitatis, & inuentis contra res turpes & obscenas. Vana & inutilis est delectatio, si Titio eiusmodi cogitationes vanae, & inutiliter sine iusta, & probabili causa placeant. Mala porro delectatio tunc erit, quando in hisce cogitationibus delectatio fuerit cum periculo peccati, ut potest vel consensus in opus, vel delectationis morosae in re mala.

Quintò quaeritur, An ut delectatio morosa, sit in vitio & culpa lethali, sufficiat eam esse implicitè, & indirectè voluntariam, an verò etiam oporteat, ut sit voluntaria explicitè seu expressè, & directè. Hunc consensus appellant Doctores expressum, illum autem, tacitum, & interpretarium. Exempli causa, in appetitui sensus, vel in sensum ipsum irrepit, & influit certa quaedam delectatio ex cogitatione turpi, & immunda: vo-

luntas verò (etiã si eam delectationem in sensu ratio animaduertat) nec reprimat, nec auertit, cum tamen possit, nec acceptam habet, sed solam permittit, ac finit appetitum sensus in ea delectatione persisteret: Quæritur, an quia non refrænatur, compescitur, & repellit voluntas, cum tamen possit, eo ipso grauius peccet.

Quòd ad hanc rem pertinet, vno ore fatentur omnes, lethali culpæ tribuendum, quando imminet probabile periculum expressi consensus in eam delectationem: nam statim atque tale periculum præuidetur, debet voluntas se conuertere ad eam comprimendam: ita quoque si periculum impendeat consensus in opus immundum, & turpe. Illud etiã omnes concedunt, voluntatem grauius delinquere, quotiescunq; talis delectatio est tacite, & implicite voluntaria. Nam licet teste Bonau. in 2. d. 24. art. 4. q. 2. aliqui senserint ad lethale peccatum contrahendum in delectatione morosa, non sufficere tacitum consensum, sed requiri etiã expressum: Ipse tamen Bonauentura, in eo loco, & Richardus, in 2. d. 24. art. 4. q. 4. & ceteri Scholastici Theologi vnanimi consensu docuere; satis esse tacitum, implicitumq; consensum. Tunc verò est talis consensus, cum voluntas non solum potest delectationem cohibere & auertere, sed etiã debet. VERVM QVÆSTIO EST, an hoc ipso, quod ratio animaduertit talem inesse delectationem in appetitu sensus, debeat eam reprimere, arcere, & propellere? Illud quoque certò constat, non esse voluntatem in culpa, cum eam delectationem non depellit, & supprimit, quando non debet, tamen si possit. His positis, sunt duæ opinioniones, vna docet non esse tacitum, aut implicitum consensum ex hoc solo, quod voluntas delectationem non repudiet, & auertat, cum id tamen possit: & proinde culpæ, & vicio non dari saltè lethali, quando voluntas eam non coercet, respuit, & eijcit, dummodo absit omne probabile periculum expressi consensus in eam. Quare iuxta hanc opinionem, excitata in appetitu sensus, vel sensu delectatione turpi & obscenæ, si ea voluntati placeat, erit lethale peccatum: si minimè, tunc aut ratio animaduertit, instare periculum consensus expressi in eam, & tunc illam comprimere, & repudiare voluntas debet; alioqui contrahit culpam lethalem: Aut ratio nequaquam animaduertit periculum imminere consensus, quia reuera absit omne periculum: tunc voluntas eam non respiciens, & auertens delectationem, peccat quidem, sed non grauius. In hac sententia videntur esse Angel. *cogitatio n. 2. Syluest. Delectatio, q. 1. vers. 4. propè finem. Tabien. Cogitatio morosa, q. 6. propè finem. Caietan. in sum. Delectatio morosa, magna tamen. Armil. cogitatio, nu. 3. Nauarr. in Manu. cap. 11. nu. 12. 13. vers. quarum vt absque rationabili causa.* Ratio eorum ad id probandum est, quia si nullum periculum impendeat, vel consensus expressi in delectationem, vel in opus exterius, nulla lege compellitur voluntas ad eam cohibendam vel depellendam, licet in sua potestate sit eam cohibere, & auertere; quoniam ex multis causis, potest eiusmodi delectationem in corporis sensu relinquere, ita vt tuta conscientia permittat appetitum sensus, vel sensum in ea delectatione persisterare; quod probant exemplo non ab simili.

Nam ob id, quod quispiam, cum à Dæmone, vel ab alio hoste tentatur eius probitas & virtus, tentationem non repellit, cum potest commodè, tacite vel implicite in eam consentire nequaquam videtur: non enim statim atque potest, eam propulsare, auertere, & abijcere debet, modò omne periculum consensus in eam, vel in opus exterius, declinet, ac vitet. Accedit his, quod Bernardus ait: *cap. 40. de interiori domo: cogitatio immunda mentem non inquinat, cum pulsat, nisi cum hanc sibi per delectationem subiungat. Altera opinio docet lethaliter aliquem delinquere non reprimendo, & repellendo eiusmodi delectationem, & hoc ipso, inesse illi tacitum implicitumque consensum voluntatis, dum eam non respuit & auertit, cum possit: quia ex eo, quod eam potest voluntas repellere, lege compellitur ad id faciendum: & si faciat, tacitum illi præbet assensum. Deinde, quia naturaliter fit, vt appetitu sensus vel sensu sese in aliquo oblectante, simul quoque voluntas sponte sua delectetur, nisi repugnet & obstitat: Ergo si ratio animaduertat, & voluntas eum appetitum non coercet, cohibeat, & reprimat, eo ipso vnà cū appetitu animali mens proculdubio sponte, & liberè delectabitur: ergo si mentem cogitatio immunda pulset, voluntas debet eam refrænare & auertere.*

Vt propositam controuersiam magis explicem, norandum puto, aliquas esse causas, ob quas delectationem in appetitu sensus, vel sensu excitatam ac surgentem possimus abiq; culpa non propulsare, & eijcere. Eæ sunt in primis cum oritur eiusmodi delectatio, ex sacris peccatorum confessionibus audiendis; aut ex cogitatione, vel lectione rerum turpium, & obscenarum, disputandi, docendi, vel concionandi gratia suscepta, aut ex itinere, quod equo facimus: Aut ex aspectu feminæ, aut sermone cum ea habito, honesto tamè, necessario aut vili ipsi vel nobis, in his enim nullo iure compellimur ad causas earum delectationum in sensu & animum illabentium remouendas. Porro nobis in causa ipsa alioqui iusta, & honesta insistentibus, & immorantibus, delectatio permanet, quæ sicut ea ex causa existit, ac nascitur; sic ea quoque, retenta, & præserte conseruatur, & durat. Pari ratione (vt mihi quidem videtur) si quis vir probus, ac timens Deum fatigetur, & laboret in ea delectatione repellenda, & cogitatione auertenda, & nihilominus eam adhuc permanere videat, & sentiat, non peccat illam amplius reprimendam, & propulsandam non curans: satis enim est, si in eam non consentiat expressè; nec si deinceps talem ille delectationem abijcere non studeat, lethalis se culpæ crimine obstringit. Si quis item expertus sit delectationem, eo magis roborari, & inualecere, quo ei magis obnititur, & obstitit, & aliquando eam minus ex parte, immò etiã ex toto desinere, cum negligitur: Tunc, mea quoque sententia, si nihil, aut minimum de ea laboret, dummodo non præbeat assensum, non est ille reus lethalis criminis. & de his casibus, & alijs similibus existimo loquutos fuisse primæ opinionis auctores. At verò cum nulla iusta, debita, & legitima, aut rationabilis subest causa, ex qua delectatio in sensum, aut appetitum irreperens oriatur, probabilior mihi videtur opinio,

docens

Nau. c. 11.
n. 12. & 13.

docens tacitè, & implicite eum consentire, qui non repellit, & auertit, cum possit, eam delectationem: quoniam delectatio turpis, & obscœna, vel quacunque alia ratione mala, & vitiosa per se allicit & trahit appetitum, & animum: ergo si ratio animaduertat, & voluntas commodè eam possit exuere, & deponere, hoc ipso ad eam reprimendam, & exterminandam iure compellitur. *Quæres*, quid dicendum, cum causa delectationis iusta subest, & delectatio potest facile repelli, causa vndè enascitur adhuc permanente, neque abiecta, neque relicta, an tunc eiusmodi delectationem eiicere, atq; depellere à nobis debeamus? vt exemplo explicem; sive dum pœnitentium confessiones excipis, posse te facili negotio obscœnam delectationem arcere, & fugare absque hoc, quod ab audiendis peccatorum confessionibus cesses; an debeas immundam cogitationem, & delectationem sensus auertere. *Respondeo*, meo quidem iudicio nos ad id faciendum recta ratione compelli, & ea est, quia vtrumque possumus minimo labore, & facili negotio: quoniam & causa alioqui iusta, & legitima non deseritur, & delectatio facile excluditur causa adhuc non prætermissa: ergo debemus delectationem repellere; siquidem causam iustam, & ex qua delectatio existit, ac surgit, omittere nõ cogimur: ea igitur retenta, delectatio deponi, arceri, & fugari debet, si facile potest.

Sextò queritur, An vidua cogitando de actu coniugali præterito, si eo delectetur, grauius delinquat? Dux sunt opiniones, vna negat esse huiusmodi delectationem per se lethalem, modo vidua extra omnem occasionem sit sese sponte, & volutariè polluendi, aut consentiendi in maritalem complexum, quo nunc vti nõ potest. Hoc tradunt Palud. 4. d. 9. q. 3. conclus. 1. Angel. cogitatio. nu. 2. Rosel. delectatio. nu. 3. Caietan. in opusculis 10. 1. tract. 14. dub. 2. Medin. 1. 2. q. 7. 4. a. 8. Armill. delectatio. nu. 3. *Prima ratio* eorum est: quia delectatio in bono, vel malo talis est, qualis & operatio, quam sequitur: sed actus coniugalis præteritus fuit bonus, & delectatio est de eo actu, qui præterijt, ergo est bona. *Deinde*, quia delectari, est gratum, & acceptum aliquid habere; at vidua iure potest complexum coniugalem præteritum habere gratum, & acceptum sibi. *Item*, quia memoria præteritarum rerum bonarum, quamuis nos delectet, sine culpa est. *Præterea*, argumentum sumunt ab exemplo iudicis, qui citra omnem culpam delectari potest, quod improbos morte punierit, atque damnauerit: id etenim potest tuta conscientia alij enarrare, gratumq; sibi, & acceptum id operis habere. *Secunda opinio* affirmat grauius viduam peccare de coniugali congressu præterito cum delectatione cogitantem, quod sic conantur ostendere: quia licet cogitatio sit de maritali complexu, qui iam transijt, iusto nimirum, & legitimo; delectatio tamè est de virili congressu, quem vidua cogitatione nunc concipit, vt præsentem; ita videntur sentire Siluest. delectatio q. 3. Tabien. cogitatio q. 7. Nauar. in Manua. c. 16. nu. 10. Cordubens. in suis questionibus lib. 1. q. 23. dub. 12.

Cæterum in hac quaestione nõ videtur esse magna difficultas. *Est enim* eiusmodi delectatio in viduis peccatum ex suo genere graue: nam si vi-

dua maritalem complexum mentis cogitatione concipit tanquam præsentem, ita vt coniugalis amplexus, oscula, & tactus præteritos animo suo fingat, ac secum cogitando voluat, & ea animi cogitatione excitet delectationem in appetitu, vel sensu, tunc si in eam consentiat, proculdubio lethali culpa mentem, & animum commaculat, tametsi nullum aliud consensus, vel peccati periculum sibi creet. Quoniam licet actus præteriti coniugales se ipsa inter coniuges boni fuerint, iusti, & honesti, cum tamen illi tanquam præsentis animo concipiuntur ab ijs, qui matrimonio soluti iam sunt, si voluntatem, & animum sua incunditate, & delectatione deliniant, culpa non carent: quoniam eiusmodi delectatio est de actu, qui in eo, qui delectatur, amplius coniugalis non est. *Omnis autem delectatio ex viri, & femine complexu percepta extra legitimum coniugium, libidinosa, & venerea est; & propterea mala, & vitiosa; eam solummodo excusat maritalis congressus.* Si item ex memoria actus coniugalis, qui præterijt, oriatur, & surgat in appetitu, vel sensu delectatio, quam sua sponte vidua acceptam habeat, & sibi gratam, culpa etiam non vacat: licet nullius alterius peccati periculum vidua incurrat. *At verò* si vidua solum raturum, & firmum, aut etiam gratum, & acceptum habeat actum coniugalem pristinum, ex quo olim delectationem percepit: tunc nullam culpam suscipit, nullum peccatum contrahit: & in hoc prima opinio locum habet: quæ dicit eam non peccare, quia solum placet ei actus, qui transijt, & fuit bonus, atque legitimus, & tota delectatio ex actu bono fuit ante percepta. *Et hoc est*, quod dicere voluit Caietanus, quem alij iuniores supra citati sequuntur, delectari eo actu, solummodo esse, eum gratum, & acceptum habere, scilicet quod fuerit. *Obijcies*, complexus coniugalis est bonus, ergo delectatio, quæ capitur ex eo cogitatio, est bona, siquidem ex obiecto bono percipitur. *Respondeo*, solum argumento concludi bonam esse delectationem, quæ ex maritali congressu, dum re ipsa est, percipitur; non tamen eam, quæ capitur ex eo, dum cogitatur: actus enim coniugalis nõ ex eo, quod cogitatione mentis concipitur, subsistit. *Delectatio igitur* capta ex actu coniugali cogitato, extra matrimonij percipitur; & proinde ex obiecto malo: actus etenim coniugalis, qui re ipsa subsistit, bonus est per se, atq; iure ipso diuino, & naturali concessus: Sed qui tantum cogitatur, & re vera non est; & dum cogitatur, voluntatem, & animum oblectat, malum obiectum est, quoniam hoc ipso, quod delectatio est de actu coniugali tantummodo cogitato, extra coniugium percipitur. *Aliud verò est* de oblectatione, quæ capitur ex iusta, & debita nocentij hominij poena, & vindicta, siue dum fontes auctoritate publica puniuntur, siue dum eorum poenas meritas cogitamus: ea enim delectatio ex obiecto bono percipitur: quare merito iudex delectatur, quod reos, nimirum meritis poenis affecerit, quod in fontes animaduertent: hoc enim nihil aliud est, nisi gaudere bono, & in opere, ac obiecto bono delectari. *Septimò queritur*, An eadem ratio sit de eo, qui cogitat de futuro coniugio, eaque cogitatione, sua sponte delectatur? *Respondeo*, eandem esse.

esse. Sic etiam Cordub. lib. 1. q. 23. dub. 13. licet Medina Victoriam sequutus tradiderit non esse peccatum. Sit exemplum Matrimonio soluti optant nuptias inter se contrahere, qui interim cogitant, gaudentq; de complexu coniugali futuro, delectantur desiderio, & spe futuri coniugij: an peccent isti, quamvis extra omne periculum fiat aliquis alterius peccati, si cogitatio sit de actu coniugali, quatenus eum animo presentem concipiunt: sicut Titium desiderantem nuptias cum Sempronia contrahere, & interim cogitantem maritalem cum ea futurum congressum. Titius id cogitat, delectatur, perinde ac si iam cum Sempronia, cuius nuptias concupiscit, rem haberet, queritur, num peccet Titius, cum de eo futuro complexu delectatur. Cordub. lib. 1. quest. 23. dub. 13. censet peccare, quoniam delectatur extra coniugium de maritali congressu. Medin. 1. 2. quest. 74. art. 8. negat Titium peccatum admittere, quia solum delectatur spe, & desiderio futuri coniugij, & in futuro coniugali complexu. Mihi magis probatur Cordubensis opinio: tunc enim delectatio capitur ex obiecto malo, quia est de congressu coniugali, qui non subsistit in re, verum solum cogitatione confingitur, & in culpa est delectatio, quæ sponte percipitur ex maritali complexu cogitato, non factu, confecto, non vero. Quare delinquere videtur Titius, si delectatio oritur in appetitu, vel sensu, & in eam ipse consentiat, vel certe periculum consensus incurrat. Nec excusatur ex eo, quod delectatio veniat ex desiderio, & spe futuri coniugij: peccatum enim non est coniugium optare, aut sperare, & concupiscere actus, qui coniugium expectatum consequentur: vel desiderare delectationem, quæ provenit ex coniugio futuro, & expectato: sed peccatum est, consentire in delectationem presentem, quæ in sensum, vel appetitum irrepit, & influit ex desiderio, & spe eius, quod sequetur, operati coniugij.

Octavo queritur, An coniuges, qui loco, & tempore prepediti maritali congressu uti nequeunt, peccent graviter si de coniugali complexu futuro, vel præterito cogitent, & delectentur? Respondeo, In his eandem propemodum, licet paulo minorem esse controversiam: quia reuera etsi sunt coniuges, non tamen ex cogitatione bonam delectationem capiunt, quoniam non de maritali congressu, qui re subsistat, sed qui tantum animo cogitatur, & fingitur, & proinde extra matrimonium oblectantur in eo, quod matrimonium consequitur, quod ut dixi, malum est, etiam si omne periculum aliuius alterius peccati abesse videatur: secus est de delectatione, quam coniuges, siue sponsi capiunt ex osculis, amplexibus, & tactibus, quibus in vicem utuntur, tanquam mutue benevolentie, & amoris indicijs, & inuitamentis: His enim actibus iure, & tuta conscientia coniuges utuntur: & ideo delectatio, quam ex ipsis percipiunt, mala non est.

Novo queritur, An lethali crimine teneatur is, qui delectatur peccatis à se per ignorantiam, violentiam, somnum, ebrietatem, amentiam admittis. Ut rem explicem vtor exemplis. Titius in ebrietate, vel amentia peccaverat, vel occidit alterum, vel in somno se polluit, aut per ignorantiam

mali aliquid fecit; Queritur an lethaliter delinquat huiusce malis sese delectando, postea eorum recordatus, dum vigilat, aut cum ad pristinam mentem redit, aut cum rei notitiam habet? Duplex est opinio, una docet eum peccare graviter. Primo, quia licet hæc mala in somno, amentia, ebrietate, vel ignorantia voluntaria non fuerint, & ideo sint à culpa libera; at si postea eorum recordatur, dum vigilat, vel dum sobrius est, vel cum ad sanam mentem redit, vel dum ignorantia amplius non laborat, & sponte sua delectatur, quod ea mala fecerit, tunc incipit ea mala scienter velle, & propterea tunc temporis peccat. Deinde, quia peccaret is, qui ea mala vellet committere in ebrietate, amentia, somno, vel per ignorantiam. Postremo, ille quoque delinqueret, qui delectaretur, quod bellua Caium occiderit, & deuoraverit, aut quod quis amens peccet, aut quod per ignorantiam quis falsum testimonium dicat, vel quod sententiam iniquam ferat. Sic Palud. 4. d. 9. q. 3. a. 1. Adrian. 4. questione, quæ incipit, quia dictum est, quod somnus de Eucharistia, & quod 10. a. 2. Sor. 4. d. 12. q. 1. a. 7. Cordub. in suis quest. lib. 2. q. 30. Altera opinio contendit non peccare eum graviter, quia delectatur opere, vel effectu, qui culpa, & vicio vacat, & delectatio talis est, qualis & actio, quam consequitur. Ego tamè priori opinioni tanquam veriori magis assentior: quam firmis rationibus Adrianus comprobavit. Alioqui enim non peccaret puella optans, ut quis eam inuitam, & reluctantem violenter: neque hospes, qui maritum inuitaret ad rem habendam cum aliena vxore, quam tamen per inscitiam putaret maritum esse suam. Peccat item is, qui iussione, vel prece monet amentem ad necem hominis, ut etiam is, qui ignorantiam inuitat ad peccandum: ille quoque, qui dum vigilat, curat sese postea in somno polluendum. Ratio horum omnium est, quia factum exterius liberum est à culpa, cum illud excusat ignorantiam, amentiam, ebrietatem, somnum, siue violentiam: At verò delectatio interior culpa non caret, cum nullam ignorantie excusationem habeat, nec vim patiatur ullam; ac proinde tota illa delectatio est voluntaria; cum que in obiecto malo versetur, eo ipso est mala. Cum verò obijcitur: factum exterius est bonum, quia ob ignorantiam culpa caret; ergo delectatio, quæ ex beneficio capitur, vacat omni vicio, & peccato. Respondeo, factum exterius bonitatem suam, quam ex accidenti habet, cum illud à peccato excusat ignorantiam, non transferre in delectationem, quia voluntatis delectatio per ignorantiam non capitur, sed scienter ex re alioqui mala: quemadmodum si presbyter sciens non esse panem, vel vinum consecratum, populo ignorantem exhiberet, atq; proponeret, ut tanquam verum Christi corpus, & sanguinem veneraretur, & coleret, graviter proculdubio peccaret, quia eius voluntas cum certa notitia rei, malum pro bono in publico poneret, & tamen populus inscienter panem, aut vinum venerando, & colendo nequaquam peccaret. Factum igitur ob ignorantiam, circa materiam bonam versatur, quia res alioqui mala, bona fide putatur recta, & honesta, ab omni fraudis, & fallacie suspicione semota: at verò voluntas, quæ sciens rem esse malam, in eam intendit,

eamque proponit, eo ipso vult malum, vel in malo delectatur, vel ad malum alios inuitat, & allicit, & propterea delinquit.

Decimo queritur, An si quis delectaretur ijs rebus, quæ malæ sunt, ea tamen conditione, nisi essent malæ, esset lethalis culpæ reus? velut si delectaretur furto, vel homicidio, nisi esset iure damnatum? Ratio dubitandi est, quia cum panem communem, & profanum, tanquam sacrum veterarumur per errorem bona fide sub tacita, vel expressa conditione, si panis sit consecratus, peccatum non esset, quia per ignorantiam id faceremus. Haud ab simili ratione docet passim omnes, extra culpam eum hominem esse, qui tribuit honorem, & cultum dæmoni simulanti se angelum lucis: quia ei cultum deseret ea conditione, si sit bonus Angelus, alioqui id minime facturus: ergo eadem ratione si Titius delectaretur re mala sub conditione, si mala non esset, non peccaret.

Ad. quod lib. 10. a. 2.

Adrianus rectè probauit eum grauiter peccare; quotiescunque voluptatem capit ex ijs rebus, quæ sunt per se malæ, quales sunt, quæ iure naturali damnantur: docetque esse idem iuris de eo, qui optat, ne furtum sit malum: quoniam cupere ne mala sint, quæ naturale ius prohibet, ac damnat, nil aliud est, quàm velle, vt rerum naturæ mutentur: nam quæ iure naturali sunt vitia, vt diximus, sunt per se, & suapte natura mala, at velle, & optare, vt rerum naturæ mutentur, est contra rectam rationem. Ita scienter etiam velle aliquam delectationem in furto sub conditione, nisi malum esset, omnino est contra rectam rationem, quia hoc ipso, quod quis scit furtum esse per se malum, nec iuste optare potest, ne sit malum, nec tanquam gratum, & acceptum habere, ne esset malum. Alia verò ratio est (vt idem tradit Adrianus) de ijs, quæ solum sunt ex lege scripta, non autem per se, & sua natura mala; quæ idcirco optare quis potest, ne mala sint, cum hoc non sit, nisi cupere, & velle, ne lege vetentur: simul quoque optare, ne huiusmodi lex sit: & proinde non peccat, si hæc rebus delectetur, modo delectatio non sit de ijs rebus, quatenus sunt lege interdicitæ: tunc enim delectatio non percipitur ex ijs ea ratione, quæ malæ sunt, sed vt sunt absolute, & simpliciter res quædam bonæ.

Ad obiecta verò respondeo; cum panem profanum veneramus, & colimus, aut dæmonem reueremur minime culpamur, quia bona fide credimus panem esse consecratum, vel dæmonem esse Angelum bonum: quæ dum ipsi ignoramus, tacita conditio merito nos defendit, & excusat à culpa, alioqui nõ item, cum rem ipsam nouimus. Et ideo cum perspicuè sit ea esse per se mala, quæ ius naturæ prohibuit, nihil nos à peccato, & culpa liberat adiecta conditio. Eadem ratio videtur esse (vt ex Caietano, quem sequitur etiam Armilla, colligitur) de ijs, quæ solum sunt mala ex aliqua circumstantia. Explicabo rem, Titius non peccat, optans certam feminam in vxorem decere, & ideo desiderat, cum ea rem habere, si foret vxor sua: quia licet sit matrimonio solutus, cupit tamen coniugalem complexum. Addit etiam Caietanus eum quoque hominem non peccare, qui vellet, & desideraret delectationem ex congressu cum femina sibi non nupta, sub conditione si

esset vxor sua: quamuis (vt idem Caietanus affirmat) peccatum sit delectatio, quæ capitur ex cogitato coniugali complexu, quoniam alia est ratio de desiderio, atq; de delectatione: quia cum conditione iure possumus quippiam optare; & proinde Titij desiderium refertur, non absolute, & simpliciter, sed sub conditione ad maritalem congressum; at verò cum delectatio capitur ex coniugali complexu cogitato, vel ficto, non facto, & vero, absque conditione, capitur absolute, & simpliciter; & ideo est mala, cum circa malum obiectum verteretur, vt ante iam dixi.

Vndecimo queritur, An lethalis sit delectatio morosa, quæ capitur ex cogitatis osculis, amplexibus, & tactibus impudicis, ac libidinosis? Respondeo, esse lethalem, quando tactus, & oscula sunt libidinosa, qualia solent esse, quæ gratia, studio, vel desiderio luxuriæ, & libidinis sunt; ea item oscula, & tactus, quibus partes corporis naturaliter ad coniugalem complexum procreate contrahuntur: in his enim partibus, ac membris sensus est voluptatis: sed cum ea sit à natura propter maritalem congressum, & sobolis procreationem instituta; contra rectam rationem sunt oscula, amplexus, & tactus in hæc corporis membrorum generationi naturaliter destinatis, tametsi ad solam delectationem sensus capiendam, citra omne periculum alicuius alterius luxuriæ, vel libidinis dirigantur.

Præcipua ergo questio est, an delectatio, quæ capitur ex osculis, amplexibus, & tactibus in cæteris corporis partibus, sit impudica, & libidinosa hoc ipso, quod quis osculatur, amplectitur, contrectat tantummodo gratia voluptatis, quæ in sensu, ex ipso osculo, amplexu, vel tactu existit, ac surgit: nam si talis pariter quoque delectatio morosa, quæ percipitur ex cogitatione eiusmodi actuum, lethali culpa animum commaculat. **Caietanus** existimat similes actus esse impudicos, quotiescunque aliquis facit eos studio & amore voluptatis illius, quæ inde in sensum irrepit, etiã omni alio prauo voluntatis affectu semoto, & peccandi occasione seclusa; ex quo etiam colligit, delectationem morosam ex talium actuum cogitatione perceptam, esse impudicam; & proinde grauem, & lethalem culpam. Quæ de re supersius dicam Deo adiuvante in explanatione sexti decalogi præcepti, vbi explicabo quidnam peccati inest in osculis, amplexibus, & tactibus, quibus aliquis vitetur gratia solius delectationis, quæ ex illis in ipso sensu excitatur.

Duodecimo queritur, An delectatio, quæ capitur ex aspectu femine pulchre, & venustæ, omni alio affectu vitioso, vel peccati illecebri semota, culpa lethalis sit? Caietanus non obscure docet interesse plurimum inter delectationem, quæ in tactum incurrit, & eam, quæ in alios corporis sensus illabitur, quod delectatio voluntaria, quæ ex tactu existit, ac manat, hoc ipso, sit impudica, & libidinosa, quia eam natura constituit propter coniugalem complexum, & sobolis procreationem: & proinde extra coniugium eam velle, & optare, est luxuriosus affectus: at verò delectatio, quæ ex operatione aliorum sensuum capitur voluntarie, non est eo ipso impudica, eam enim natura non indidit propter congressum

coniuga-

Cai. 2. 11
144. 4. 4.

Caietanus
op. 1. 1.
tra. 1. 1.
lib. 3. 1.
et. 1. 1.
quædam
peccatum

coniugalem, vel prolem, & proinde per se non est grauius, & mortifera, sed leuis, & venialis tantummodo culpa, tanquam vana, otiosa, vel inuulnitas voluptas, de qua tamen differentia loco citato differemus. **QVÆRES**, quid verò dicendum sit de delectatione, quæ capitur ex aspectu rei turpis, & obscenæ, vel ex auditione, narratione, vel lectione lasciuæ, immundæ, & inhonestæ rei? **Respondeo**, huiusmodi delectationes frequenter esse cum probabili periculo voluntariæ immunditiæ, vel consensu expressi in opus luxuriosum, & libidinosum. **Deinde**, aliquando etiam accidit, vt vel in appetitu sensus, vel in appetitu rationis alix delectationes morosæ oriuntur, excitentur, incallescant. In quibus omnibus graue peccatum, vel eius certè periculum inesse mihi videtur. **Si tamè** sola capiatur delectatio sensus ex aspectu, auditione, narratione, vel lectione rerù turpium citra periculum alterius peccati, non erit lethalis culpa, sed venialis: quod ex Caietano alijque colligitur.

Ex his omnibus deducitur inter delectationem, & consensum, & desiderium plurimum distare: quia consensus, & desiderium, siue voluntas effectax referuntur ad opus externum, tanquam progressus quidam, & motus ad terminum; at verò delectatio, quam vocant simplicem complacentiam, ad opus exterius minimè refertur, sed solum est simplex quidam voluntatis affectus, quo res obiecta tanquam iucunda placet, & grata, & accepta habetur. Atque hæc quidem de morosa delectatione, quam potui clarè, distinctè, & breuiter disputari.

Cap. VII.

De cæteris peccatis, quæ in actu voluntatis interiori terminantur.

PRIMO quæritur, Quanam sint alia peccata, quæ interiori consummantur, siue abiq; opere exteriori, siue vna cum eo fiant? **Respondeo**, multa esse huiusmodi peccata, quæ discernere aliquantulum est difficile. Inter hæc est superbiæ crimen, quod ab ambitione, arrogantia, quæ præsumptio vulgò nominatur, inani gloria, auaritia, & contemptione distinguitur. Nam superbia, est immoderata propriæ excellentiæ cupiditas: **Ambitio** verò, est immodica honorum, imperiorum, dignitatum, & potetiæ cupido: **Arrogantia** seu præsumptio, est nimia publicarum administrationum; officiorumque, quæ vires exuperant, cupiditas. **Inanis gloria**, immodicus laudis, gloriæ, ac famæ appetitus: **Auaritia**, nimia præter modum pecuniarum, & diuitiarum libido. **Contemptio** verò, est deprauata voluntas cum aliorum despectione. **Superbus** igitur immoderatè propriam excellentiam affectat: vnde hoc ipso, vult alijs non subijci: sicut è contrario, qui vere corde, & animo humili, & dimisso est, vult, & amat cæteris esse subiectus. Quo fit, vt, quemadmodum in omni peccato potest esse crimen obedientiæ contrarium, & potest esse contemptio, siue neglectio: sic etiã in omni peccato superbia fit, quia in omni peccato inuenitur diuine legis violatio. Et propterea vniuersè, & latè sumpta superbia, est mortiferum quodcumque peccatum, quoniam

cum lethale crimen admittitur, diuina lex contemnitur, & perumpitur, cui non vult is, qui peccat, subijci, & obsequi. Porro hæc tria crimina, superbia inquam, contemptio, & inobediencia quam vocant specialem, habent differentiam inter se, & specialia sunt peccata. Explicemus singula: **Cum** quis agit, & peccat in legem eo animo, ne imperanti pareat, est speciale inobedienciæ crimen. Si idè delinquit, vt legem despiciat, vel legislatorem contemnat, est peccatum contemptiõis. Si autem legem quis perfringat, quia non vult alteri subesse, tunc superbiæ crimen incurrit. Ergo inobediens legem dissoluit, labefactat, ac violat: quia nollet sibi præceptum dari: contemnens, quia vellet præcepti neglectiõem, & despicientiam: superbus, quia cupit nulli subijci, ac ita cæteris excellere: **Ambitiosus**, imperia, dignitates, & quicquid potentiæ valet, ac p̄ se stat, appetit. **Auarus**, bona, quæ dicuntur externa, quæque Ethnici Philosophi fortunæ bona appellarunt, pecunias, dico, diuitias, lucra, atque emolumenta terrena concupiscit. **Qui verò** arrogantia, quam præsumptionem dicunt, crimine tenetur, immoderatè administrationes rerum publicarum suis humeris, ac viribus, longè superiores, affectat. Inanis gloriæ cupidus amat laudari ab hominibus, & clarus haberi. Porro in his tripliciter potest accidere, vt quis peccet nempe aut appetendo, aut acquirendo, aut retinendo, & conseruando. Peccat enim qui indignè hæc concupiscit, quærit, aut retinet: qui etiam in his appetendis, comparandis, vel retinendis, vitur malis artibus, ac modis iniquis: præterea cum hæc ipsa in malum finem refert, ac dirigit. Cum itaque excellentiam, honorem, laudem, gloriam & sui nominis claritatem quis appetit, aut quærit ex rebus malis, vanis, vel falsis, malè agit; vt clarius patebit, cum de capitalibus peccatis inferius disputabo.

Sunt & alia peccata interna, quæ non facillè dignosci queunt, videlicet, odium, inuidia, ira. Inter quæ hoc interest, quod is, qui odit alterum, vult illi malum sine aliquo suo commodo, ex eo solum, quod ei displicet eius persona: quo fit, vt in quocumque peccato, quod est contra bonum alterius, dicatur odium inesse, sed generaliter acceptum. Quod vt plenius intelligi queat, est animaduertendum, odium, esse actum, quo malum alteri volumus, quatenus est ei malum: Et quoniam quoties in alterum peccamus, ei aliquo modo nocemus, in eo peccato inest odium, sed latè, & generaliter sumptum, nempe quatenus ei malum inferimus: **Speciale** tamen peccatum odij non est, nisi cum alteri incommodamus ob id, quod ei malum volumus, ex eo, quod nobis eius persona sit odiosa, & infensa, & sine vlllo alio nostro emolumento. **Quare** quodcumque re ipsa alterum lædimus, prius in eo peccato inest speciale aliquod iniustitiæ crimen, quàm odium. Nam si famæ alienæ derogamus, est detractio: si probro alterum afficimus, contumelia: Si vitam alicui adimimus, homicidium: Si bona surripimus, furtum. Et sic de cæteris iudicandum. Hoc autem ipso, quod iniustitiæ crimen est, odium quoq; generaliter censetur. **Specialis** verò odij prauitas tunc accedit, cum aliquid horum malorum infe-

rimus alteri, quia eius personæ ob id, quod nobis illa displiceat, malum optamus. Inuidiæ crimen est, cum ex alienis bonis, quibus caremus ipsi, in ærore conficimur. Differt igitur inuidus à maleuolo, cum quod non vult quidem malum alteri, sed tristatur, quod bonis, quæ ipse non habet, ille potiat: Maleuolus verò hoc ipso, quod odio habet alterum, vult malum illi: tum etiam quia inuidus idè tristatur de alienis bonis, quia ipse caret illis: ac verò maleuolus propterea malum vult alteri; quia eius persona sibi nō placet. Porro ira ab odio & inuidia hoc differt, quod sit immoderata vindictæ cupiditas: quare ex ira malum alteri volumus, quia vlcisci de eo cupimus, quod nos iniuria, & dedecore affecerit, vel damno illato læserit. Præterea, scandali quoque peccatum voluntate completur, quo alteri iacturam boni spiritualis, & animi ruinam optamus. Nam et si monitores, suafores, auctores sūmus, vt alter diuinā gratiam, & spiritualia bona ex parte, vel ex toto amittat, in speciale nihilominus peccatum scandali non incurrimus, nisi causam eo affectu, & animo præbeamus, vt ab eiusmodi bonis excidat; aliquando enim verbo, consilio, horatu, suafione, exemplo, factōe tuo alter peccat, sed tu id non fecisti, vt ille peccaret, sed in tuum emolumentum, & commodum intendens causa alieni peccati fuisi, in scandalum generaliter non specialiter acceptum incidisti, vt suo loco clarius explicabo.

Secundò queritur, Quo pacto hæc quæ diximus interiora peccata specie differant ab ijs, quæ in desiderio, vel delectatione circa eandem materiam subiectam versantur. Respondeo, ex ijs, quæ dixi, id facile deduci. Nam cum quis necem hominis concupiscit, affectus est iniustitiæ, est enim eiusdem speciei, cuius homicidium: neque huiusmodi desiderium est specialiter odium, si cur nec homicidiū, nisi cum necem hominis optamus, eo quod nobis eius persona displiceat. Cū item cogitando de interitu alicuius hominis delectamur, etiam talis delectatio depravata iniustitiæ voluntas est, quo modo & homicidium, est iniustitiæ crimen: nam per istiusmodi delectationem, nobis homicidium placet, ergo est eiusdem speciei, cuius homicidium: homicidium enim, & quodcumque aliud iniustitiæ crimen, aut est iniustitiæ peccatum factō, & opere, aut affectu, & voluntate. Nec delectatio, qua de alterius nece delectamur, erit specialiter odium, nisi ea ratione delectemur, qua eius personā habeamus inoffensam. Ita etiam, si alienæ famæ nocere velimus, affectus erit eiusdem speciei, cuius est detractio: quemadmodum et si cogitando de alienæ famæ detractio delectemur, talis erit in specie voluptas, qualis & detractio. In vniuersum igitur, prauū desiderium, & morosa delectatio sunt eiusdem speciei peccata, cuius sunt obiecta circa quæ versantur, & quibus terminantur.

Tertio queritur, An peccata specie distinguantur per excessum, vel defectum circa eandem virtutem? Respondet S. Thomas specie distingui: veluti prodigi, vel auari peccatum, meticolosi hominis fuga, & audacis temeritas. Excessum autē, & defectum accipit sanctus Doctor ex respectu, & ordine ad obiectum virtutis, eo quod contra

rectam rationē, ex materia virtuti subiecta plus æquo quispiam sumat, aut minus quàm debeat: vt ex cibo, vel potu, honoribus, præmijs, diuitijs, pecunijs, oneribus, commodis, & lucris. Et hoc modo distinguit etiam idem S. Thomas alio in loco infidelitatis species, vt in primo præcepto decalogi docebo.

Quartò queritur, An peccata inter sese specie differant per circumstantias specie diuersas? Respondet S. Thomas specie distingui, quodcumque circumstantia specialem habet cum ratione repugnantiam. Explicemus hæc singula suis exemplis. In materia luxuriæ sunt peccata specie diuersa ob circumstantias specie differentes, quæ specialiter rectæ rationi aduersantur. Nam luxuriæ peccatum est, cum quis rem habet cum femina sibi non nupta, quæ si fuerit vxor aliena, adulterium erit: Si virgo inuitè corrupta, stuprum: si puella per vim parentibus erepta, raptus: Si Deo dicata, sacrilegium: si aliqua sanguinis cognatione coniuncta, incestus: si omni vinculo soluta, fornicatio. Atque ita de cæteris peccatorum formis in alia quacunque materia iudicandum. In quibus peccatis si specialis rectæ rationis repugnantia sit, specialis quoque peccati differentia erit.

Cap. VIII.

De peccati differentia, quod, veniale, & mortale Theologi passim appellant.

PRIMO queritur, An peccata venialis, & lethalis distinctio, solū Theologorum Scholasticorum doctrina deducta, & accepta sit? Respondeo, Veniale aliquando dicitur ex causa, quando facilius veniam consequitur, quia ex certa causa committitur, cuiusmodi est delictum, quod ex infirmitate naturæ, aut per obliuionem, imprudentiam, & ignorantiam fit: Aliquando ex euentu, quod veniam adeptū sit, vt omne lethale, quod est diuinitus dimissum. Et hoc modo accipit Ambrosius, cum ait lib. de Para. cap. 14. Omne peccatum per penitentiam fieri veniale. At vbi dicitur in præsentia veniale non sumitur his modis, sed vt est peccatum, quod à Deo venia data, remittitur ob materiæ leuitatem, vel ob imperfectum opus, quod ex plena animi deliberatione effectum non est. Veniale dicitur quasi venia dignum, quod sit exiguum, & leue erratum, parua noxa; aut potius, quod venia dimitti solet semper iniustis.

Quidam nostræ tempestatis hæretici non dubitarunt asserere, hanc peccati diuisionem, in veniale scilicet, & lethale ex Patrum veterum doctrina non colligi, verum esse tantum Theologorum Scholasticorum inuentum. At enim illi certe magnopere hallucinantur: Namque spud Augustinum non rarò peccata legimus modica, minuta, quotidiana, parua, atque minima. lib. de ciuitate Dei 21. c. 27. ait B. Augustinus: Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita iustorum. Et paulò ante dixerat: Peccata sine quibus nec vos estis, & propter hæc docet Dominus, dicere semper iustos: Dimitte nobis debita nostra. Idem sermone de sanctis 41. capitalia peccata enumerat plurima, deinde minuta multa, quæ ait igne purgatorio mundari; sine quibus, inquit, nullus

S. Tho. 1. 2.
1. 72. ar. 7.

S. Tho. 2.
1. 72. ar. 7.

Matth. 6.

sanctorum

sanctorum esse potuit, aut esse poterit. In lib. de bono con-
tinga. c. 6. coning alio concubitus generandi gratia non habet
culpam; concupiscentia suiandae causa, venialem culpam ha-
bet; adulterium verè lethalem, & ca. 9. ait. Qui bonis, quae
propter aliud necessaria sunt, non ad hoc, propter quod infir-
mita sunt; vitur peccat alias venialiter, alias damnablem.
Ab eodem item Augustino, & alijs Patribus anti-
quus peccata distingui videmus, partim quidem
in leuia, partim in graua: neq; fingi potest, per
leuia, Patres intelligere lethalia crimina alijs le-
uioia, quia leuia appellant ea, propter quae quo-
tidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra, & de
quibus dixit Ioannes: Si dixerimus, quia peccatum non
habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Er-
gò de venialibus peccatis ista sunt dicta. Grego-
rius etiam lib. 4. dialogorum cap. 39. aperte docet esse
quædam peccata, quæ post hanc vitam condonan-
tur; at post obitum hominis, culpa veniales duntaxat,
nò lethales dimituntur, & abolentur. Pre-
terea, aperte colligitur hæc peccatorum distinc-
tio ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 11. & Conci. Mile-
ui. can. 6. 7. & 8.

Secundo queritur, An ex sacris literis colligi
possit omne peccatum esse lethale? Hæretici con-
tendunt ex sacris literis deduci, peccatum omne
lethale esse, nullum veniale: inde arguētes, quia
Paulus ait: Stipendia peccati mors; & apud Ezechie-
lem Dominus; Anima, inquit, quæ peccauerit ipsa mo-
rietur; Iacobus item Apostolus; Peccatum cum con-
summatum fuerit, generat mortem; & Ioannes: Qui facit
peccatum, ex diabolo est; rursus: Qui natus est ex Deo
peccatum non facit: præterea; Os, quod mentitur, occidit
animam; & perdes omnes, qui loquuntur mendacium; &
qui offendit in vno factus est omnium reus; & Maledictus
qui non permanserit in sermonibus legis huius, & eos opere
non perseuerit, & ad Rom. 2. Quicunq; sine lege peccauerit,
sine lege peribunt. Et tamen si leue, & veniale a-
liquod peccatum esset, id esset mendacium, præ-
sertim iocofum, & Basil. in regulis breuio. q. 4.
quis est, qui peccatum vllum cuiuscunque modi illud sit, leue
videat appellare, cum asseruerit Apostolus, qui per transgressi-
onem Deum in bonos? & q. 295. ait. Differentiam
maiorum, & minorum peccatorum nusquam in
nouo Testamento reperiri, siquidem vna est Do-
mini sententia, Qui facit peccatum, seruus est pec-
cati. Sed certe negari nò potest, ex scripturis col-
ligi, aliqua esse leuia, & venialia peccata. Etenim
Ioannes ait: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus,
ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: At Apo-
stoli, & iusti homines lethali peccato carent. Iac-
obus quoque; In multis, inquit, offendimus omnes; &
Salomon: In multiloquio non deerit peccatum: Que qui-
dem scripturæ testimoniõnia de lethali crimine in-
telligi nequeunt; verè autem de minoribus, &
leuiorib' peccatis, in quæ sæpenuerò labimur.
Paulus etiam Episcopus instituens, eum docet ta-
le esse oportere, qui sit sine crimine: at licet quis
liber ab omni crimine sit, graui scilicet, & letha-
li, non tamen à modicis, & leuibus peccatis. Vnde
Gregorius, in hac vita, inquit, multi sine crimine sed
nulli sine peccato est. Obiecta verò ex scripturis in-
contrarium, in peccato duntaxat graui, & lethi-
fero locum habent; non autem in omni genera-
tum culpa, atque delicto: & eodem modo loquu-
tus est Basilus, quo scriptura.

Tercio queritur, An veniale peccatum sit con-

tra legem Dei? Nostri temporis Hæretici Theo-
logos Scholasticos calūniantur, eo quod doceant
veniale peccatum non esse contra, sed præter le-
gem Dei: quod, inquit, est absurdum, quia pec-
catum, quatenus tale est, definitur ab Augustino,
dictum, vel factum, vel concupitum contra legem
Dei æternam; sed venialis culpa est peccatū, ergò
est contra legem Dei. Deinde, quia omne pec-
catum est contra rectā rationem: Sed quicquid est
contra rectam rationem, est contra legē Dei. Ad
extremum, præcepto decalogi: Non furtum facies;
non solum graue, & magnum furtum, sed etiam
paruum, & leue damnatur: & mendacium
officium etiam perexiguum, ac leuiculum, hoc
ipso, quod est mendacium, lege est interdictum.

Quim longè ante Lutherana hæresim, Durandus
quoq; inter Theologos tradidit, venialem no-
xam non solum esse præter, sed etiā contra legem
Dei. Equidem negare nò possumus veteres Theo-
logos, Altfio. in sum. lib. 2. tract. 28. Alex. p. 2. q. 108. m.
6. Alb. p. 2. tract. 18. q. 115. S. Tho. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. & 2. d.
42. a. 4. ad 4. Bonau. 2. d. 42. a. 2. q. 2. Aegid. 2. d. 42. q. 1.
a. 3. ad 1. Richard. 2. d. 42. a. 2. q. 2. & alios docuisse ve-
niale delictum non esse contra, sed præter legem
Dei. Sed nihilominus Hæretici, more suo, perpe-
ram eos criminantur. Nam Christus Dominus factis
perspicue dixit cuidam adolescenti: Si vis ad vi-
tam ingredi serua mandata; & tamen si quis absq; vlla
gramore, & lethali culpa decedat, in gratia, &
charitate Dei huius vitæ curriculum absoluit; ne-
mo autem Dei gratiā nanciscitur, nisi omnia Dei
mandata seruet, ac impleat; potest igitur quispiā
Dei gratiā, & charitatē habere, quamuis venia-
li peccato teneatur. Ergo qui peccato veniali tenetur,
si fuerit gratia Dei, & charitate præditus,
vniuersa Dei mandata exequitur, & complet; Ex
quo fit, vt culpa venialis aliqua ratione contra le-
gem Dei non sit: siquidem iustus omnem Dei le-
gem seruat, & tamen non continuo omni veniali
peccato caret.

Dicendum igitur est, vt docuerunt Dur. 2. d. 42.
q. 6. Cai. 1. 2. q. 72. a. 5. Vega super Concil. Trident. de insti-
ficat. lib. 14. c. 13. & Mai. 2. d. 42. q. 8. §. circa hanc. Veniale
peccatum esse quidem contra legem Dei, quia re-
uera lex Dei cum sit iusta, & recta ratio prohibet
& graua, & leuia peccata: id quod argumēta ad-
uersariorum comprobant: at verò veniale non
est contra speciale Dei legē de eius amicitia com-
paranda, & conseruanda: nec est contra speciale
præceptū de diuina eiussē amicitia nunquā vio-
landa, ac dissoluenda: est enim vnicū, & maximū
Dei mandatum, vt nihil faciamus, quod eius ami-
citiā, & charitatem dirimat tanquam cum ea pug-
nans. Et ideo Paulus ait Rom. 13. Plenitudo legis est
dilectio. & rursus: Qui diligit proximum, legem impleuit. 1.
Io. 2. Si quis dixerit, quia diligo Deū, & mandata eius non
seruat, mendax est: ergo mutuo se cōsequuntur dilige-
re Deū, & mādāta eius seruare. Veniale ergo pec-
catū diuinæ amicitie, & charitati nò aduersatur,
quemadmodū graue, & mortiferū. Et in hunc sen-
sum veteres Theologi tradidē, veniale non esse
contra legē Dei, quia eius amicitia, & charitatē,
neq; euertit, neq; dissoluit: esse tamē præter legē
Dei, quia seruata, & retēta Dei gratia, & Dei ami-
citiā interdū illud admittim', & hoc ipso impedi-
mur ac retardamur à seruētib' charitatis officijs.

Aug. li. 22.
contr. Fa-
sum c. 27.

Exod. 20.

Dura. 2. d.
42. q. 6.

Matth. 19.



Conc. Tri-
den. sess. 6.
cap. 11.

Ex his perspicitur, impudenter, ac temere Hæreticos reprehendere Concilij Tridentini decretū, quo dicitur, posse iustos feruare mandata Dei, & tamē aliquando cadere in peccata venialia. Hinc cōstat, immeritō ab eisdē reprehēdi Theol. Altiſi. in sum. li. 2. tr. 8. c. 2. q. 3. Alex. p. 2. q. 18. m. 6. Bon. 2. d. 4. 2. a. 2. q. 1. cū tradunt veniale peccatū nō esse lege prohibitū, sed cohibitū. Nā piē eos interpretari oportet, vt ex eorū scripturis manifestē liquet. Legē enim Dei prohibentē, accipiūt eā, cui⁹ violatio hominē gratia nudatū auertit, & alienat à Deo.

Quartò quæritur, An veniale delictum sit verè, propriè, & simpliciter peccatum, S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. docet, diuisionem peccati in veniale, & lethale, esse analogi in ea, quæ in vna ratione peccati æqualiter communi non conueniunt; & proindē lethale esse propriè, & simpliciter peccatum, veniale non item, quod idem ante S. Thomam Altiſiodorensis, & Albertus locis citatis tradiderant, & post S. Thomam Aegid. 2. d. 4. 2. q. 1. 4. 3. ad 1. Caiē. 1. 2. q. 88. 4. 1. Sed Durādus in 2. d. 4. 2. q. 16. diuisionem peccati in lethale, & veniale, docet esse generis in species, & propterea tū veniale, tum lethale esse propriè, & simpliciter peccatū, quia vtrūq; est Dei lege interdictū; quamuis vnū sit altero grauius. Profectò negari nō potest, quin scripturæ veniale dicant absolutē, & simpliciter absque vlla adiectione peccatum, vt compertum est ex testimonijs in secunda quæſtione productis. Ioannis quoq; 20. ait Christus Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis;* & reliq. at si solum leuioribus peccatis teneretur quis, posset nihilominus post sacram delictorum confessionē verè absolui. Verè igitur, & propriè peccata sunt veniales culpæ. Næc tamen propterea Altiſiodorēsis, Albertus, & S. Thomas reprehensionem merentur oppositum indicātes: quia licet veniale absolutē, & simpliciter sit peccatū, ratio tamen peccati maior est lethali culpa: & aliquando analogia esse dicantur ea, quæ licet simpliciter in vna aliqua ratione conueniant, inæqualiter tamen sibi communem eiusmodi rationem participant.

Quintò quæritur, An in culpa veniali, sit offensa apud Deum, S. Bonau. 2. d. 4. 2. art. 2. q. 2. ad vlt. negat peccato veniali Deum offendi: *Quia non offensa fit, inquit, nisi quando committitur; sed veniale non est contemptus Dei.* Vega *super Concil. Trident. lib. 1. 4. cap. 13.* scriptum reliquit, hoc quamuis à magno alioqui viro, esse incautē dictum; quia veniale peccatum verè displicet Deo, & proindē ipsū offendit. Et certè Iacobus apertē dixit: *In multis offendimus omnes: quod de venialibus culpis dictum est.* Scot. 4. d. 21. q. 1. Veniale peccatum dicit esse Dei offensam. S. Thom. peccatum veniale ait displicere Deo, sed non displicere personam peccantem, quia gratiam Dei retinet. Capreolus docet Deum offendi peccato veniali, sed non offendi in peccantem, quia Deus punit, & odio habet ipsum peccatum veniale, at non peccantem. Hæc omnia piē interpretari conuenit: quoniam peccato dicitur Deus offendi, eo quod ipsi displicet: & quia displicet, id punit, & damnat: sicut etiam dicitur peccatis irasci, quia ea vlciscitur, & vindicat. Quia igitur Deus veniale dictum meritis pœnis pœctit, & quia ipsi id peccati displicet,

Iacob. 3.

eo offenditur; & quoniam illud etiam vindicat, ei irasci quoque dicitur. Eodem modo Deus odio habet peccatū veniale, quoniam vult debita pœna mulctare, & vlcisci, ita etiam in peccatē, ob delictum veniale, pœna temporali animaduertit, & ideo ei quoque dici potest iratus, & offensus, non vt homo est, aut Dei amicus; sed quia venialem culpam admisit. Piō itaque interpretari Bonauenturam rationi cōgruit; quo modo etiam eundem, & veteres Scholasticos benignè interpretamur, cū docent, veniale peccatum non esse contra legem Dei, aut Dei lege non prohiberi.

Sextò quæritur, An veniale peccatum sit contra amicitiam Dei? Ratio dubitandi inde existit, quod culpa venialis Deum offendit, ipsique displicet. Item veniale peccatum Deus vetat, reprobatur, punit, ac vindicat tanquam malum; ergo est contra amicitiam Dei. Huic quæſtioni respondeo, Veniale peccatum nō esse contra amicitiam Dei, hoc est, amicitiam hominis cum Deo non dirimere, neque dissoluere: nam gratiam, & charitatem non tollit: non tamen negari potest, quin venialis culpa displiceat Deo. Item venialis culpa cum sit verè, & propriè peccatum, & malum in moribus, Deus verè illud improbat, ac prohibet, iustis quoque, & debitīs subiicit pœnis.

Septimò quæritur, An etiam in veniali peccato sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam? S. Bonauentura eumque fecutus Argentina distinguunt; ita vt dicant, veniale peccatum non alienare, & auertere hominem à Deo, hoc est, non adimere gratiam, charitatem, & necessaria salutis æter. subsidia; esse tamen actum quendam, qui verè displicet Deo, qui que in Deum referri non potest; & proindē actus est alienus, & auersus à Deo, quamuis hominem non abstrahat, & auellat à Dei coniunctione, societate, & amicitia. Item venialis culpa non conuertit hominem ita ad bonum creatum, vt in eo vltimum finem, qui peccat, constituat: is enim, qui veniale peccatum facit, eo est animo, & affectu, vt gratiam Dei, & charitatem rebus cæteris anteponat: nihilominus tamen ipse venialis peccati actus, est quædam conuersio ad creatum bonum iudicium, vel vile, non honestum.

Octauò quæritur, An veniale peccatum sit macula quædam mentis. S. Thom. 1. 2. q. 86. ar. 1. & 2. & q. 109. art. 7. videtur tanquam proprium effectū peccati mortiferi, maculam constituisse: quia macula, inquit, nihil aliud est, nisi priuatio gratiæ, quæ est animi nitor, & cultus. Alexand. p. 4. q. 15. m. 3. ar. 3. §. 4. ait: *Veniale peccatum esse naturæ suæ maculam, & tenebram.* Bonauent. 2. d. 4. 2. a. 2. q. 1. & Argent. 2. d. 4. 2. q. 1. ar. 2. conclus. 1. ad 2. distinguunt maculam. Aut enim inquit, est priuatio gratiæ, quæ est mentis munditia, & decor; & tunc venialis culpa macula non est, nec inducit maculam in animum: aut macula dicitur actus carens bonitate, & honestate, quam actio hominis voluntaria debet habere: & tunc venialis culpa hoc ipso, quod malum in moribus est, & Deo displicet, macula et nescitur.

Dicendum igitur breuiter putē, lethale peccatum maculam mētī importare, & auertere, quæ est priuatio gratiæ quam excludit ab anima, vt salutem excluderet, si cāreperiret, quæ gratia hominem mundat, & ornat interius: & hoc modo

veniale

Bonau. 2.
4. 2. q. 1.
Argent. 2.
4. 2. q. 1.
conclus. 1.

veniale delictum macula non est: at verò actus omnis per se malus, per se quoque macula est, quia est actio quæ iam recto, ac debito fine, & rationis ordine, & convenientia carens, & hoc ipso mentem polluit, ac maculat; mens enim operis mali deformitate inquinatur: actu tamen, non habitu, hoc est, maculatur actu malo, non privatione gratiæ modum habitus habente ex peccato relicta.

Nonò quæritur, An qui peccati venialis reus est, sit, aut dici queat peccator? *Respondeo* in sacris literis peccatores dici eos, qui lethali aliquo peccato tenentur: hi enim passim vocantur iniqui, immundi, iniusti, transgressores, prævaricatores; de quibus Paulus scribens Corinthiis: *Nescitis, inquit, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* David etiam: *Odisti omnes, qui operantur mendacium;* Sapiens ite m: *Odio sunt impius, & impietas eius.* At verò qui peccatis venialibus obstricti solummodò sunt, peccatores minime dicuntur: nam Apostolus Christus Dominus dixit: *Vos mundi estis;* cum tamen nõ omni culpa veniali carerent. Item qui gratiam adoptionis habent, filij Dei in scripturis vocantur, & tamen qui sunt Deo grati, & amici, peccatores neque sunt, neque nominantur.

Cap. IX.

Alia quedam questiones de peccati venialis, & lethalis differentia diluuntur.

PRIMO quæritur, An veniale peccatum à lethali differat in eo, quod lethale veretur in ijs, quæ sunt circa finem? Veniale verò in ijs, quæ referuntur ad finem. *S. Thomas 1.2. q. 88. art. 1.* docet veniale peccatum committi contra ea, quæ diriguntur ad finem, lethale verò contra finem. *At Scot. 2. dist. 21. q. 1.* hanc differentiam refutat, ac rejicit, asserens *primum*, contra virtutes Theologicas, quæ proximè circa vltimum finem versantur, venialia peccata aliquando committi; existunt enim quidam subiti infidelitatis motus, odij, & desperationis, qui nec plenè, & perfectè liberi sunt, nec omni rationis deliberatione carèt. *Deindè*, quia furtum, adulterium, homicidium, detractio, sunt peccata lethalia, & tamen contra bonum hominis perpetrantur: ergò non omne peccatum graue admittitur in his, quæ circa vltimum finem tanquam materiam subiectam versantur. *Attamen* S. Thomæ doctrinam mitius conuenit interpretari: proculdubio enim illud indicare voluit, peccatum veniale non separare, & abstrahere hominem à Deo qui est vltimus finis, eo quod peccato veniali gratia, & charitas Dei non amittitur: auertere tamen ab his, quæ in Deum vt in finem referuntur: quoniam peccatum veniale nos auocat, & abducit ab opere, & officio charitatis, quo ad Deum progredimur; non autem à gratia, amicitia, & consortio Dei. Lethale verò nos à Dei gratia, & charitate disungit; & proindè nos separat, & dinellit à Deo, qui est summum bonum, & vltimus finis noster: Nam id, quod nos auertere ab aliquo, quod est necessarium ad finem vltimum consequendum, nos quoque auertere, & abstrahit à fine. Non igitur eo spectauit fan-

ctus Doctor, vt doceret veniale peccatum aduersus eas virtutes committi, quæ bonum hominis tanquam obiectum, & materiam habet; & lethale contra eas virtutes, quæ circa Deum proximè versantur: hunc enim sensum merito oppugnavit Scotus: Sed illud tamen S. Thomas innuit, veniale peccatum impedire, & auertere hominem ab actu charitatis, quem posset à liquo præstare, & quo promoueretur ad finem; lethale verò plene hominem deijcere à gratia, & charitate Dei; & proindè se iungere, & alienare à Deo, qui est hominis vltimus finis.

Secundò quæritur, An veniale à lethali in eo distet, quòd hoc sit contra præceptum Dei, illud verò contra consilium? *Scot. 2. dist. 21. questio. 1.* & *Gabr. 2. dist. 22. questio. 1. artic. 3. dub. 1.* docent hoc esse discrimen inter hæc duo peccata. *Sed* hanc differentiam alij penitus rejiciunt, *primum*, quia venialis culpa est verè, & propriè peccatum; at nemo peccat, si Dei consilia prætermittat, modò non illa despiciat, atque contemnat: quod luce clarius est: nam lex & præceptum Dei prohibet mentiri, nugari, otio indulgere, inutilia cogitare, tempus vanè terere, aut loqui res vanas, & inutilis; cum tamè sæpè in his leuiter peccetur. *Postremò*, veniale hominem subijcit pœnis debitis, at qui consilia tantum omittit, nullis ob id pœnis addicitur. Ita contra Scotum, & Gabrielem Vega *super Concil. Trid. lib. 14. c. 12.*

Enimverò, vt nos Sanct. Thomam, Alexandrum, & Bonaventuram benignè hac in parte explicuimus, ita etiam mitius Scotum explicare possumus. Nam præceptum pro eo acceptisse videtur, cuius obseruatio est necessaria ad salutem æternam consequendam: & quicquid hoc modo necessarium non est, Consilium Scotus appellauit: Non autem quod ille putauerit in omittere consilio delinqui: Verum quod lethale dixerit situm esse in eo, quod quippiam efficiamus contra ea, quæ sunt ad vitam æternam necessaria; venialis autem culpa fit in his solum, quæ nos à gloria cœlesti consequenda impediunt, & remorantur. Is enim, qui contra præceptum facit, sese auertere ab eo, quod est necessarium ad salutem æternam consequendam: is vero, qui leuiora peccata, scilicet venialia committit, non deficit ab aliquo, quod sit necessarium ad Dei gratiam, charitatem, & amicitiam conseruandam.

Tertiò quæritur, An veniale peccatum à lethali distinguatur in eo, quòd hoc per se pœnam æternam, illud verò vi, & natura quidem sua pœnam quoque perpetuam mereatur, sed Dei misericordia, temporaria tantum pœna mulctetur? *Gerfon par. 3. tract. de vita spiritali. anime. lect. 1. coroll. 1.* in ea fuit sententia, vt dixerit, omne veniale peccatum dignum esse pœna æterna; ex sola tamen Dei misericordia, à lethali distingui in eo, quod hominem temporaria pœna subijciat, cum aliqui pœnis æternis esset obnoxium. Gerfonem sequi videtur *Almain, tract. 3. moral. cap. 20.* Suam sententiam probat Gerfon multiplici ratione. *Primo*, quia veniales culpas Deus gratuito cõdonat, ergò potest eas perpetuis pœnis damnare. *Deindè*, veniale magis est voluntarium, quam originis peccatum, ergò & grauius hoc perpetua

pœna punitur, ergo & illud. Item, omne peccatum Deum offendit, ergo ea ratione est infinita prauitatis: nam eò offensa est grauior, quò maior est dignitas eius qui offenditur. Præterea, si veniale sit cū peccato originis, aut cum lethali coniunctum, cum quibus peccatis quispiam decedat, perpetuò apud inferos supplicio plectetur: ergo veniale pœna quoque æterna dignum est. **Postremò**, omne malum pœnæ longè inferius, & minus est quouis etiam minimo peccato veniali. Nulla item culpa venialis est committenda pro cuiusquam hominis etiam innocentis vita, atque salute conseruanda: ergo est infinitæ deformitatis.

Petrus Sotus de inst. sacerdot. tract. de peccatorum discrim. lib. 6. prope finem. Vega li. 14. in Concil. Trident. c. 15. c. 16. Med. 1. 2. q. 88. ar. 1.

Verum enimuero hanc Gersonis sententiam Theologi recentiores refutarunt, & sunt qui eam etiam cõdemnent tanquam plus æquo fauentem recentibus Hereticis, docētib; omne peccatum vi, & natura sua esse mortiferum, diuinæ autem gratiæ beneficio aliud pœnæ æternæ subijci, aliud temporariæ. Immo quidam eorum dicere non dubitarunt, Gersonis opinionem accedere Stoicorum sententiæ omnia peccata æqualia esse dicentium, quia si omnia æternam pœnam merentur, ergo omnia sunt paria. Quod certè illi auctores malè contra Gersonè inferendo concludunt, cum vnum peccatum acerbius, & grauius, quàm alterum multari, & puniri queat, vt ipse quoque Gerson indicauit.

Communis ergò iuniorum Theologorum sententia est, venialem culpam per se, & propriè à lethali distingui, quod non æternam, vt hæc, sed temporariam tantummodò mereatur pœnam, & supplicium: atq; hæc sententia est verissima, neque ab ea recedendum vllò modo: **Primò**, quoniam Deus rerum naturas non mutat; at si veniale per se supplicio dignum esset æterno, & Dei beniguitate temporali pœna puniretur, rei naturam profectò quadam ex parte, & ratione mutare videretur. **Deindè**, negari non potest, venialia peccata esse, vel ex paritate materiæ, vel ex actu imperfecto leuia, atque modica, cuiusmodi sunt verbum otiosum, nugæ, mendacium iocosum, risus immoderati, rei furtum exiguæ, inutilis & vana mētis cogitatio, ac similes animi lapsus minimè graues: ergo veniale per se perpetuo supplicio dignum non est. **Accedit**, quòd Deus propior est ad miserendum, quàm ad puniendum, igitur verisimile non est, vt peccata, quæ sunt per se leuia pœnis damnent, ac vindicet sempiternis. **Postremò**, veniale delictum non tollit gratiam, & charitatem, nec Dei amicitiam dirimit; ergo non reddit hominem inimicum Deo; & proinde manet semper cum charitate, & gratia, qua expiari, & deleri potest. **Nec** est cur Gersonis nos argumenta deterreat, aut conturbent: nam ea nullius firmamenti sunt ad oppositum comprobandum. Quoniam licet veniale peccatum sit per se leue, nunquam tamen, nisi liberaliter Deo ignoscēte remittitur. Obijcit tamen ille: Ergo perpetuò maneret, nisi gratuito illud beneficio, Deus delinquentibus condonaret. **Respondeo**, peccatum veniale non deleri, nisi pœna quoq; temporaria ei debita ex toto, vel ex parte remittatur, ita vt vel tota tollatur, vel in minorem mutetur. **Is igitur**, qui eiusmodi culpam admittit, aut

in ea actu, & affectu persistit, aut ab ea cessat omnino, si perseueret, tunc radiu pœnæ temporariæ obnoxius est, quadiu in actu, & affectu malo perdurat; quòd si semper in eo persistat, merito in perpetuò punitur ex accidenti, quia semper peccat. Si autem ab actu desistat, aut est iustus, aut impius, aut est homo, quem fingere animo possumus, creatum à Deo cum solis naturæ viribus, ac doctibus. **Si** sit iustus, pœnam temporariam iustè, ac legitime soluit, ac luit, vel in hac vita, vel altera, culpa simul ipsi condonatur. **Si** impius, perpetuas culpæ venialis pœnas exsoluet, non quia eas talis culpa mereatur, sed quia pœnæ temporariæ solutionem nunquam iusta, & debita satisfactione compensat. Is enim, qui Deo inimicus est, quamuis pœnas sustineat, nunquam tamen iustè, ac debite satisfacit: quoniam nostra satisfactio pro peccatis apud Deum iusta, ac debita non est, nisi ei sit grata, & accepta, sed accepta Deo non est sine gratia, & charitate. **Pari** ratione, si homo cum solis naturæ viribus, extra gratiam, pro culpa veniali multa pateretur, nunquam iustam, ac debitam pœnam temporariam persolueret: & proinde quamuis perpetuò puniretur, nunquam satisfaceret, quoniam esset pœnæ solutio absque gratia, & charitate Dei; & proinde ei minimè grata, & accepta, ergo non iusta, ac debita: perinde enim esset, ac si nihil pœnarum daret. **Et** hoc forsitan voluit docere Gerson: nam benignus, & mitius eius mentem interpretari possumus, nimirum veniale peccatum, nisi quia est ab homine iusto Dei gratia, & charitate prædico commissum, perpetuò puniretur: nec tamen inde conficitur, vt paria peccata esse censeat, quoniam licet omnia in perpetuum puniantur, quia tamen vnum grauius, & deterius alio est, vnum durius, & acerbius punitur, quàm aliud, vt ante iam monui.

Quartò queritur, An veniale à lethali differat specie, quando vtrumq; circa eandem rem obiectam, & materiam versatur. **Respondeo**, minimè, quoniam paruum, & magnum in eadem obiecta re, & materia, speciem non mutant. **Obijcit**, lethale peccatum est mors animæ; auertitq; hominem à Deo, nosq; ab eius gratia, & charitate disijungit; eo quòd Dei, & hominis amicitiam dissoluat: sed horum nihil peccato veniali inest, ergo specie distinguuntur. **Respondeo**, ex eo solum deduci, pœnas peccato veniali, & lethali debitas specie esse diuersas, non tamè actus peccatorum. **Quæres**, quoniam igitur pacto hæc duo peccata, vt actus sunt, inter se inuicem distant? **Respondeo**, lethale crimen esse actum grauius cum recta ratione; veniale verò actum leuiter cum eadem ratione pugnantem.

Quintò queritur, In quo venialis culpe deformitas consistat, quando peccatum veniale omissione, vel factò committitur. **Quidam** existimant consistere in hoc, quòd is, qui peccat, eo ipso est obnoxius, & subiectus pœnæ temporali. **At** hæc ratio meritò ab alijs refellitur: quia prius natura, causa, & origine est culpa, qua se quispiam obstringit, quàm reatus pœnæ, cui ob culpam is, qui peccat, subijcitur. **Alij**, in eo sitam esse veniale culpam, quòd temporali supplicio sit digna. **Verum** & hoc eadem ratione cõuelliatur: nam ex eo, quòd

quod culpa venialis à recta ratione dissentit, in re poenam meretur, propterea quod quicquid rationem offendit, poena dignum est, ita ut secundum æquitatis, & iustitiæ leges puniri, & vindicari debeat.

Dicendum igitur existimo: quandocumque veniale peccatum pro actu, vel omissione sumitur, quo quis peccat, nihil aliud esse, nisi actum vel omissionem leuiter rectæ rationi aduersantē. Omne enim peccatum, quod in actu consistit, est actio voluntaria à ratione discrepans: quæ si magno opere cum recta ratione pugnet, lethalis; si parum, venialis est culpa; ob quam is, qui peccat poenæ temporali addicitur, subiectusque est: ut ea poena dignus.

Sextò quæritur, quidnam in homine maneat, cuius causa dicatur esse in peccato veniali post actum peccati præteritum. **Ratio dubitandi est,** quoniam qui semel in veniale peccatum est lapsus, tamdiu in eo permanere creditur, quamdiu id non est à Deo liberaliter dimissum; & tamen post actum culpæ transactum, nihil est in homine. **Respondeo,** minimè satisfacere eum qui dixerit (quemadmodum & superius ostendi) post actum culpæ transactum, hoc vnum tantummodo manere, hominem scilicet poenæ temporali esse subiectum. Non enim ideo, quod est poenæ addictus, dicitur esse in peccato, sed potius contra, quia est in peccato, & culpa, est poenæ obnoxius: & quia peccato tenetur, poenæ quoque reus, & debitor est. Eam ob causam sunt, qui opinentur, post actum culpæ præteritum, hominem dici esse in peccato veniali, quia peccatum admisit, quod nondum est diuinitus condonatum; ac proinde ob respectum rationis ad actum culpæ, qui præterijt, nondum Dei beneficio remissum, dici esse in peccato veniali: multa enim talia esse dicuntur ob respectum, & ordinem ad actum, qui amplius non est. **Exemplum do:** Titius mutuo accepit pecuniam à Caio: ea postea consumpta, dicitur debitor Caij, Caius verò creditor Titij; in quibus nihil remanet, nisi ratio dati, & accepti. **Dices,** in Caio esse ius exigendi pecuniam à Titio; in Titio verò obligationem, qua pecuniam soluere debet. **At contra est argumentum,** quia eiuſmodi ius, nihil aliud est, nisi quidam ut aiunt, respectus, & ordo rationis, quo Titius est debitor, Caius verò creditor. **Idem,** inquit, planè accidit in præſenti controversia: Nam qui peccato veniali tenetur, quamdiu eius culpa non tollitur, dicitur esse in peccato veniali, ob respectum, & ordinem, quem habet ad peccatum præteritum, necdum dimissum. **Ex quo,** inquit, intelligitur, aliud esse, Titium esse in peccato veniali; aliud, Titium debitorem esse poenæ temporalis: potest enim Deus culpam dimittere poena non ex toto dimissa, quamuis in minorem, & breuiorem mutata. **In hoc igitur,** quod Titius in peccato veniali esse dicitur, duo pariter continentur: & quòd Titius veniale peccatum admiserit, nec illud se commississe doluerit; & quòd nondum sit diuinitus sublatus; tamdiu autem venialis culpa non condonatur, quamdiu temporalis poena non remittitur ex toto, vel ex parte: non quòd remissio poenæ sit condonatio culpæ, sed quòd simul vna cum poena in totum re-

missa, aut in minorem, & breuiorem mutata ipsa culpa condonatur: non enim relaxatur poena, nisi cum eam homo luit, & soluit: at non est iusta, & debita solutio poenæ, nisi cum eam Deus gratam, & acceptam habet. **Ego tamen aliter arbitror dicendum,** quod ut clarius explicem, sciendum puto, tria esse peccatorum genera. **Primum est originale,** & hoc est priuatio iustitiæ; id est, gratiæ debitiæ, sed non per propriam voluntatem contracta, solum per voluntatem primi parentis suscepta: & ideo huiusmodi peccatum inducit in homine priuationem, & absentiam gratiæ debitiæ, à qua dicitur, & est quis peccator, & dicitur esse in peccato videlicet originali. **Secundum genus peccati est lethale,** quod post actum præteritum relinquit in homine auersionem à Deo, maculam siue priuationem gratiæ debitiæ, propria voluntate contractam, & conuersionem ad bonum creatum iucundum, vel utile, & non honestum, in quo voluntas in hæret, & permanet, quamdiu non mutatur per actum contrarium acceptum, & gratum Deo. **Tertium genus peccati est veniale,** ex quo non fit in homine priuatio gratiæ, sed relinquitur quædam conuersio ad bonum creatum, in quo voluntas malè in hæret quasi habitu tandiu, quamdiu per aliquem dolorem, & actum poenitentiae ipsi Deo gratum, & acceptum non se auertit: manet igitur in homine post actum peccati venialis præteritum voluntas, peccato, quod semel admisit, in hærens quasi in habitu, & in hoc culpa venialis consistit post actum præteritum.

Septimò quæritur, Quot modis veniale peccatum contingat in homine? id est quæreret, quomplex sit veniale peccatum? **Respondeo,** esse triplex; **Vnum,** quod veniale ex genere appellant, illud nimirum, quod ex obiecta re & materia graue non est, sed leue; ut verbum otiosum, iocosum mendacium, vana, & inuutilis cogitatio, risus solutior & immodicus, nugæ, & his similia. **Alterum,** quod veniale dicitur ex leuitate materiæ, ut rei minimæ furtum; parentibus nummulos, sodalibus ligulas, aut globulos, & aciculas furari; simile illud quoque, obuios non salutare. **Tertium,** veniale ex imperfectione actus appellatur. In his duobus postremis id, quod alioqui lethale esset ex natura sua, fit exiguitate materiæ veniale. huius generis sunt leuissimum furtum, exiguum conuiuium, percussio parua, quod alias itèr lethale foret, si ex plena animi deliberatione fieret, veniale peccatum est, si absque perfecta fiat animi deliberatione. **Tales esse solent subiti,** nec plenè deliberati impietatis, odij, desperationis, inuidiæ, & superbiæ actus: talia itidem imperfecta libidinis desideria. **Cuiusmodi venialia sæpe contingunt in interioribus animi actibus,** & in motibus nostri appetitus animalis, cum eos Ratio, ut posset, & deberet, non coerceret, & reprimat.

Octauò quæritur, Vnde cognosci queant peccata, quæ ex genere suo venialia esse dicuntur? **Respondeo,** venialia ob leuitatem materiæ, imperfectionem uè actus facile dignosci posse ex eo, quod materiæ exiguitas, aut imperfectio actus absque magno negotio discernitur. **At tamen diffici-**

le admodum est certam aliquam formulam præ-

scribere, ad dignoscenda peccata, quæ sunt ex suo genere, & natura venialia. Quia in re nulla alia, meo quidem iudicio, regula certior, ac melior constitui potest, quam ea, quæ communi consensu à Theologis adhibetur: nimirum, ea esse venialia peccata, quæ charitatem Dei, aut hominis grauius non lædunt; alioqui lethalia ex suo genere erunt, non venialia. Hinc apparet, peccata quæ contra aliquam virtutem Theologicam, fidem, spem, vel charitatem committuntur, ex genere suo esse lethalia: Secundo, eiusdem quoque generis esse peccata, quæ sunt contra iustitiam hominis, vel contra charitatem, aut religionem Deo debitam: Ea item peccata, quæ ad luxuriam, & incontinentiam spectant, vel ad rei bonæ, præsertim imperatæ contemptum. Quarto, peccata quæ quis committit solum contra bonum suum, magna ex parte sunt venialia ex genere suo, veluti cum quis peccat in vanè, & inutiliter cogitando, concupiscendo, se oblectando, immoderatè ridendo, cachinnù tollendo, respondendo impatientius, tempus otio conterendo, loquendo quantum, & quando libet, nugando, otiosè agèdo, sua bona malè administrando, aut prodigè dissipando, aut auarè retinendo, intemperanter comedèdo, bibendo, vt cum quis citra sicim potat, delicatioribus epulis ventriculum distendit, in cultu etiam, & vestitu immoderato, noxas, & delicta sua oscitanter confitendo, negligenter preces horarias recitando, se ingenio, memoria, viribus, & forma corporis omnibus alijs præferendo, ac similibus plerisque.

Nonò queritur, An veniale peccatum possit transire in lethale? quod est querere, An actus, qui per se venialis tantum est culpa, nulla alia lege, vel præcepto accedente, possit esse lethalis? Respondeo, rem esse compertam, actum, qui est venialis culpa, eo quòd non plena animi deliberatione fiat, in lethalem conuerti, si plenè deliberatè ratione permaneat circa idem obiectum, & materiam malam alioqui grauem: veluti si quis ante plenam animi deliberationem, alicuius hominis necem concupierit, & plenè deinde animaduertente ratione in eodem desiderio maligno sciens, ac volens perseverauerit. Illud etiam est certum, actus imperatos, quales sunt exterriores, quibus inest culpa venialis, in lethale crimen desinere ex eo, quòd continentur ob finem mutatum, & maximè malum; Veluti si Titius templum adierit studio, & desiderio inanis gloriæ duntaxat; ac deinde finè mutato, solum iter profectatur, vt Caium interimat, vel aliquid in templo surripiat: actus enim exterior idem numero perseverat, licet finis ex voluntatis affectu mutetur.

Quæstio igitur est de actibus voluntatis interioribus, qui dicuntur elicit, an actus, cui inest culpa venialis, possit in lethale crimen transire. Dux sunt opiniones; Vna affirmat posse: & probat, quia quando actus voluntatis ex obiecto, & materia est indifferens, potest ex fine diuerso primum culpa venialis esse, deinde lethalis. Exemplum adhibeo huiusmodi; vt si Titius, summo mane surgens velit templum petere ob inanem gloriam; postea verò eadem in voluntate persistens mutet finem, videlicet Caij necem exoptans: tunc

licet sit finis propositi mutatio, nulla tamen est variatio in actu, quo Titius vult templum adire, & quo, modò ad hunc, modò ad illum finem refertur. Sic Almain. *tract. 3. mor. cap. 21.* Altera opinio negat, quæ est Gabr. *3. dist. 23. quest. 1. art. & Ocham. quodlib. 3. quest. 15.* item Gab. *4. dist. 16. quest. 5. art. 3. dub. 4.* quamuis hunc auctorem putet Almainus pro se facere. Atque hæc opinio est vera: quia actus voluntatis interior omninò re ipsa, natura, & substantia mutatur variato finè, vel aliqua circumstantia actus. Nam actus voluntatis substantiam, & speciem suam sumit, & habet ab obiecto: Sed actus voluntatis interior in finem sibi propositum refertur tanquam in obiectum, & ipsam circumstantiam, quando est directò voluntaria, respicit similiter tanquam partem obiecti, ergo mutato finè, vel circumstantia, interior voluntatis actus idem re ipsa, natura, & substantia perseverare non potest. Et proinde Titius primò volens templum adire ob inanem gloriam, & deinde ob cædem Caij, vel ob furtum, in eadem re vera voluntate non permanet: actus verò exterior, finis mutatione nequam variatur, quoniam, vt secundo libro tradidimus, opus exterius per se, proprium obiectum, & materiam habet, ad finem verò refertur extrinsecus à voluntate, quæ alium finem sibi proponit, & actus exterioris substantiam non mutat.

Decimò queritur, An veniale peccatum in lethale desinat ex eo, quòd nouum præceptum Dei, hominis accedat? Exempli causa, Titius vult loqui otiosè, vel iocosè mentiri: Queritur, an hic actus transeat in lethalem culpam, si Titius in eo perseveret accedente Dei, vel superioris præcepto, quod prohibet, ne eum actum profectatur, neque perficiat. Almainus, Dionysium Cisterciensem secutus, tenet eiusmodi venialem culpam in lethalem deuenire ratione præcepti noui, quòd accessit. Ac certè, vt verum fatear, vterque falli videtur. Nam is actus ex leuitate materia, venialis tantum est culpa: accedente autem nouo Dei mandato, vel humano imperio, materia minime mutatur, ergo leuis semper censetur: & ob id non lethalem, sed duplicem venialis delicti habere poterit deformitatem: tum quia est contra ius naturale, tum quia contra præceptum Dei, vel hominis, qui id operis vetat: modò ne Titius in eo actu permaneat ob contemptum hominis, vel Dei, vel præcepti denuò dari, & accepti: tunc enim venialis culpa in lethalem iure ipso conuertitur. Animaduertere tamen, oportet, esse in controuersia positum, an votum de re minima Deo factum, tantam vim obligandi conscientiam habeat, vt eius violatio sit mortifera: adeo vt peccatum, quòd veniale ex genere suo tantum esset, euadat ratione voti mortiferum, & graue. Verùm hæc de re suo loco dicitur, cum de voto tractabitur. Item, quæstio solet esse, An mendacium alioqui leue, fiat lethale ex eo, quòd in sacra peccatorum confessione, quæ coram sacerdote fit, vel in publico iudicio coram civili iudice, & magistratu, profertur; de qua etiam quæstione alibi opportunius agetur. Interim illud sciendum est; exploratum apud omnes esse, mendacium etiam leuissimum, fieri grauisimum, si iureiurando confirmetur, vt proprio loco dic-

Alm. 11.
dist. 3. m.
ca. 21.

centur:

ceatur: quoniam Deo grauem iniuriam irrogas, dum ipsum in testem mendacij etiam leuissimi accerlis.

Vndecimò queritur, An veniale mutetur in lethale ex eo, quòd frequenter quodam vsu, & consuetudine committitur? Fuere, qui id senserint auctoritate Augustini permoti, qui, vt refertur dist. 25. cap. Vnum orarium, ait: *Ebrietas si nimia sit, crimine est.* Rursum: *quj ex consuetudine contra legem delinquit, hoc ipso ex legis contemptu peccat. Sed communis Doctorum sententia est, in lethale peccatum minime transire: quod expressè Scot. 3. d. 29. q. 1. Gab. 4. d. 16. q. 5. ar. 3. dub. 5. Almain. tract. 3. moral. c. 21. tradiderunt.* Ratio id concludit manifestò, quoniam actus replicati sunt eiusdem speciei, cuius est primus, ergo euidem deformitatis. Auctoritas verò illa, allata de ebrietate, siue sit Augustini, siue Gratiani, nihil concludit contra nos. Nec enim in ea dicitur, ebrietatem esse mortiferam ex eo, quòd sit assidua, sed significat esse crimen connumerandum inter ea, de quibus Apostolus meminit dicens, eum, qui in Episcopum eligitur, debere esse sine crimine. Est tamen animaduertendù, aliquando veniale mutari in lethale ex vsu, & consuetudine frequenti, non præcisè quidem ob frequentiam actuum, sed ob periculum peccati grauisissimi, in quod nonnunquam ex ipsa consuetudine, Deo permittente, homines incurunt: nec frequentia, & consuetudo venialium est propriè contemptus legis, vel præcepti, sed affert secum, & creat interdum, vt dixi periculum cõtemptus: at qui amat periculum, peribit in illo.

Duodecimò queritur, An venialia peccata hoc ipso, quòd multiplicantur, vnum aliquod lethale efficiant? *Glossa, in cap. Tres sunt, dist. 1. de penit. videtur innuere, posse efficere: sicut multæ, inquit, aquæ guttæ in flumen euadunt, domum deiciunt: multa grana aceruum grandè constituunt, sic generatim, multæ res parue vnam grandem componunt.* Item, quia Augustinus (vt in eo cap. refertur) ait: *Peccata quamuis parua, aliquando crebro subreptim, que si collecta contra nos fuerint, ita nos grauant, & opprimunt, sicut vnum aliquod grande peccatum.* Quid enim interest ad naufragium, vnum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, aut paulatim subrepens aqua in senam, & per negligentiam dereicta, atque contempta impetuat nauem, & submergit. Ergo significare videtur Augustinus his verbis, multis marinis fluctibus paruis simul inuentibus, nauem perindè obrui, & submergi, atque si vna graui procella opprimeretur. Alibi quoque videlicet in libr. de decem chordis cap. 11. Moyses, inquit, vnum vel alter homini exitum non offert; sed si examen apum, vel agmen pulicum pungentium est, lethale erit. Et ita peccata venialia quamquam singula non sunt mortifera, agmen tamen eorum est lethale. Postea subiungit: *Modica peccata attendite, quia modica sunt, & canere quia plura sunt.* Nam humana natura minutissimis etiam bestijs interiri potest: & arena minutissima sunt; si tamen multæ in nauem mittantur, eam ita possunt mergere, vt pereat. Tandem concludit: *Peccata quidem quotidiana, cuiusmodi sunt verbum duram, vel otiosum, immoderatum risus, nugæ vanae, quotidiana sunt, sed tamen peccata, & non leuia, quia plura: & quia quotidiana, & plurima, rimenda est ruina multitudinis, est non magnitudinis.* Hæc Augustinus: **Præterea**, si famulus suo domino irrumpiat singulis

bus assem, post vel sub exitu anni mortiferè proculdubio delinquet, ob multitudinem assu quos per partes furto abstulit. Non secus, ac si quis ex vinea aliena per multos dies vnum racemum furaretur, quemadmodum iridem si Titius ad annu promississet, se singulis diebus pro alicui Collegio Sodalium in elemosynam vnum assem daturum, promissione neglecta, lethalem maculam contraxisset. His tamen nihil obstantibus, vera est sententia S. Thom. 1. 2. quest. 88. artic. 4. Alexand. 2. ad 2. q. 15. mor. 3. artic. 1. §. Richard. 4. dist. 16. art. 2. quest. 2. ad finem: *communi consensu recepta, venialia peccata quantumcunque aucta, & multiplicata, nunquam in lethalem culpam transire: quia vt iam dixi, actus repetiti sunt eiusdem speciei, cuius fuit primus: nec propterea quod collecti simul sint, & aggregati, naturam mutant, & variant.*

Ad obiecta verò respondeo, ad primum quidem, *Glossam non expressè docere, venialia peccata, hoc ipso, quòd plura sunt, vnum grande peccatum efficere, sed innuere, in peccatis paruis, & leuibus sæpè tamen iteratis subreperere aliquando præcepti, legis contemptum; saltem imminere contemptus periculum.* Ob quæ Augustinus etiam in eo, quem recensui libello de decem chordis, meritò docet modica peccata esse fugienda. **Ad illud verò de furto** respondeo, in eis inesse lethalem noxam; nõ ideò, quòd multa furta vnum grande constituent, sed quia re aliena per minimas partes furtim sublata tadem graue damnum domino inferunt, vt dicam, cù de furto tractabo. In præsentia dixisse sufficiat venialia peccata, quamuis multiplicentur non efficere lethales, sed aliquando venialium peccatorum materia est talis, vt per partes minutas maior effecta lethalis peccati materia sit: quoniam facta sit grauis: vt si mille asses fureris millies, furto vnius assis repetito. Similiter si Titium leuiter percutias, & toties leuiter, vt multis leuissimis ictibus eum grauitè ledas. Si ex dolio parum vini effundas, & ita subindè parum effundas, vt totum vinum exhaurias: pariter promissisti, te pauperibus quotidie vnum assem erogaturum, mille nunc debes, quia millies denegasti. Secus est, quando materia per partes non crescit, quia singula peccata per se integram materiam, & obiectum habent, vt mædacia, otiosa verba, leues nugæ, risus immoderatio: sermo inurbanus, aburdus sonus, intempestiuus incessus.

Decimotertio queritur, An veniale peccatum in mortiferum vertatur ex eo, quòd nobis placeat, hoc est, quia ex certa rationis deliberatione peccamus. **Ratio** huius dubitationis est, quoniam distinctione 25. cap. Vnum orarium, tanquam ex Augustino profertur, nullum peccatum adeò veniale esse, quòd mortale non fiat, dum placet. **Respondeo**, veniale culpam, quæ ex genere, obiecto, & materia, vt potè leuis, & modica peccatum est, in lethalem nequaquam mutari: quoniam quamuis ex plena rationis deliberatione committatur, veniale tamen delictum tantum est ob obiecti, & materia leuitatem. S. Thom. 1. 2. quest. 88. artic. 4. Alexand. pari. 4. quest. 15. mora. 3. art. 1. §. 1. Richard. 4. dist. 16. art. 2. q. 2. ad finem, Gab. 4. dist. 16. q. 5. art. 3. dub. 6.

Id verò,

Aug. in
dist. 108.
qui est ad
Solentia
na.

Id verò, quòd ex Augustino opponitur, licet potius videatur esse desumptum ex Glossa, quam vocant, ordinaria ca. 11. epist. 1. ad Corinthios super illa *verba: Reus erit corporis, et sanguinis Domini, ubi ait: Nullum peccatum veniale est, quòd, dum placet, non sit mortale: Si verò displiceat, nullum iudicatur: intelligi debet, vel de peccato, quòd solum ob imperfectam rationis deliberationem veniale est, & in lethale desinit, dum placet, accedente plena animi deliberatione, quæ ante perfecta nondum erat: vel in uniuersum intelligitur de omni peccato veniali, quòd dum placet, nimirum quatenus Deum offendit, cù Dei, aut legis, præceptiue despectione fit mortiferum: & proinde venialis erit culpa, si leuis fuerit obiecti materia, quamuis plena deliberatione nobis placeat; lethalem verò, si ex contemptione præcepti, vel legis approbetur.*

Decimoquarto queritur, An veniale in lethale transeat ex dignitate eius, qui veniale peccatum admittit. *Fuere*, qui putauerint, venialia etiam ex materia, & obiecto modica, cuiusmodi sunt verba otiosa, seu duriuscula, iocosa mendacia, nimij risus, ac vani, lethalia euadere in viris alioqui perfectioris vitæ statum professis; cui sententia videntur subscripsisse Bonavent. 2. dist. 21. art. 3. quæst. 1. Richard. 2. dist. 21. art. 3. quæst. 1. Dicendum tamen existimo id verum non esse: quia dignitas, vel sanctitas eius, qui peccat, auget quidem peccati grauitatè; non tamen adeo, vt quòd veniale est, in lethale transire faciat, cum materia, & obiectum sint leuia: aut cum plena, & perfecta desit rationis deliberatio.

Decimoquinto queritur, An veniale efficiatur lethale ex eo, quòd ex contemptu legis, vel præcepti committitur? *Respondeo*, ex communi omnium consensu, lethale euadere: quia licet materia sit alioqui tenuis, ac parua, qualis est in iocoso mendacio, aut verbo otioso: contemptus tamen præcepti, vel legis ea prohibentis, est grauis. *Quare* Christi Domini consilia, quibus nos sibi minime obstrinxit, de quibus præcepta non dedit, ex contemptu prætermittere, etiam est grauisimum peccatum: licet enim in omittendo consilio nulla sit culpa, in contemnendo tamen, peccatum est non paruum: nam hoc ipso, quòd Dei consilium, lex, vel præceptum contemnitur, Deus ipse despicitur, qui consilium dedit, aut præceptum posuit, aut legem tulit. Illud tamen scire oportet, aliquos tradidisse eum hominem ex contemptu contra legem, vel præceptum facere, qui ex usu, & consuetudine contra legem delinquit. *Cæterum* falluntur isti: peccatum enim contemptus in voluntate interius perficitur non autem in opere, quòd exterius fit. Quocirca contemptus legis, vel præcepti non est, nisi eo animo, & voluntate quis peccet, vt lex, vel præceptum contemnat; & proinde quamuis frequenter quis contra præceptum, vel legem facitet, nunquam ex contemptu peccare videtur, nisi cum ex voluntate perperam facit eo animo, vt legem, vel præceptum despiciat.

Decimosexto queritur, An veniale peccatum ex parte charitatem minuat? *Nulli dubium est*, veniali peccato non amitti habitum charitatis. Quidam tamen senserunt minui ex parte; quorum sententia, Theologorum communi consen-

su merito confutatur. *Ratio* Theologorum est, quia quicquid ex parte aliud remittit, cum eo pugnat tanquam cõtrarium, & paulatim, ac sensim ita minuit, vt tandem ex toto auferat, ac tollat; ergo si venialis culpa habitum charitatis remittit ex parte, multiplicatis venialibus peccatis, poterit eiusmodi habitus totus euelli: non enim est maior ratio, cur prima culpa venialis diminuat ex parte charitatem, cæteræ verò subsequentes ex parte, etiam illam nõ remittant. *Communis ergo est omnium sententia*, peccatis venialibus nõ minui habitum charitatis, sed seruari.

Quæstio tamen est, quo pacto seruetur charitatis minuatur. Nam appellatione eiusmodi feruoris, vel intelligimus habitum magnitudinem, quam intensiorem appellant: vel qualitatem, & intensiorem actus; at veniale peccatum ex habitu charitatis nihil detrahit omnino, & cù veniali potest simul, vt feruentissimus etiam charitatis actus consistere. *Respondeo*, veniali peccato non ideo seruiorem minui charitatis, quia vel habitum, vel actum ex parte remittat, sed quia hominem charitate præditum ex parte retardet, aut impediat, ne charitatis opus, & officium exequatur; quòd posset alioqui præstare, sed quia peccatum veniale non admitteret: tunc enim charitatem feruere dicimus, cum opus suum, & officium præstat, & implet, quòd debet. Ergo, per contrarium, charitas tepere, aut refrigerare merito dicitur, cum à suo munere obeundo desistit, ac cessat. *Obijciunt*, venialia peccata seruiorem minuunt charitatis: Sed seruoer charitatis est charitas, sicut seruoer caloris est calor; ergo, minuunt charitatem. *Respondeo*, seruiorem charitatis non esse magnitudinem, vel intensiorem ipsius habitus, sed esse frequentem usum, & exercitationem charitatis, vnde peccata venialia habitum charitatis non minuunt, sed frequentem eius usum impediunt. *Secundo obijciunt*, si veniale peccatum seruoer charitatis minuit, ergo partem tollit, ac propterea venialia peccata totum seruiorem charitatis partes auferent, & charitas sine vilo penitus seruoere remanebit, quòd videtur incommodum. *Respondeo*, vt ante iam dixi, seruiorem charitatis, in hac parte, non esse aliquid in habitu charitatis, sed usum, & actum: & ideo quoad iustus venialiter delinquit, tandiu ab actibus charitatis desistit: nam eo ipso, actum charitatis non facit, & teste S. Thom. 1. 2. quæst. 85. art. 2. cum aliquid minuit alterum, non aliquid subtrahendo, sed impediendo, ne suo officio fungatur, quamuis semper minuat, nunquam tamen totum auferit.

Cap. X.

Quibus modis peccata venialia deleantur.

ANtequam propositam quæstionem explicem, alteram illam prius expedire constitui: *An culpa venialis poterit simul consistere cum prima Angeli vel hominis integritate, & innocentia, in qua fuerant Dei munere, & beneficio procreati. In qua re constat inter omnes Theologos, simul cum ea Angeli, vel hominis innocentia nequaquam potuisse consistere venialem no-*

xam, &

xam, & culpam ex imperfecto actu. Id ratio docet, ac probat; quia eiusmodi venialia errata sunt motus quidam, plena animi deliberatione carentes, qui ex surreptione, ac infirmitate naturæ exsunt, & surgunt; ac in prima illa Angeli, vel hominis institutione, nulla erat naturæ infirmitas, nulla fragilitas: in homine enim dum mens, & ratio Deo per gratiam adhærebat, omnis quoque inferior pars plenè erat rationi subiecta. In Angelo itidem voluntas rectam rationem sequebatur, interim, dum gratiam diuinam, & amicitiam mens non deserbat. Quocirca nec in homine appetitus sensus, suis motibus contra rationem irruerat, nec in voluntate Angeli subiti, ac repentini motus peccati venialis, etiâ minimi, rectam rationem præuertebant.

Caput igitur controuersia est; An in illo primi hominis, Angeliue statu, poterit venialis culpa contingere ex leuitate materiæ, tamen si plena cum animi deliberatione contracta. De hoc sunt duæ opiniones; Prima affirmat potuisse: quam sequuntur Scot. 2. d. 21. q. 1. Gabr. 2. d. 22. q. 1. d. 3. dub. 2. Baffo. 2. d. 21. q. 1. a. 1. Almai. in mora. tract. 3. cap. 22. Dionys. 2. d. 21. q. 1. Mai. 2. d. 21. q. 2. Alcisi. in sum. lib. 2. tract. 10. ca. 3. q. vii. Probant id multis rationibus: In primis, arctius, & perfectius hominem cum Deo gratia, charitasque coniungit, quam primi hominis, vel Angeli iustitia: sed in viris quantacumque gratia, & charitate præditis, immò etiam in his, qui sunt in gratia confirmati, quales olim Apostoli fuere, potest venialis culpa contingere. Deinde, quoniam alioqui tum venialis, tum lethalis casus primam illam hominis iustitiam, & integritatem euerteret, ac deleret, quod falsum est. Accedit his, quòd primus homo, in ea vitæ còditione, liber penitus erat in bonè, vel malè agendo: poterat ergo leuiter delinquere, vel otiosè loquendo, vel mentiendo iocosè, vel vxorem, ac filios, & seipsum, plusquam par erat, diligendo. Ad hæc, fructus arboris potuit interdici; ita vt eius vitus culpa tantummodo veniali mentem, & animum macularet, hominemque temporariæ poenæ subijceret. Postremò, quia saltem in partem superiorem, qualis ratio, & voluntas est, potuissent irrepere subiti infidelitatis, desperationis, odij, inuidiæ, iræ, & superbiæ motus. Secunda opinio negat potuisse. Eam tuerentur S. Thom. 1. 2. quest. 89. art. 3. Bonauent. 2. d. 21. art. 3. q. 1. Durand. 2. d. 21. q. 4. Aegid. 2. d. 21. q. 1. Argen. 2. d. 21. q. 1. art. 1. Alexand. p. 2. q. 103. m. 6. Richard. 2. d. 21. art. 3. q. 1. Richardus verò qui veramque opinionem existimat esse probabilè, huic posteriori potius accedit. Quod sic concludunt. Omne peccatum est miseria; sed homo in eo vitæ statu felicissimo, alienus ab omni profus miseria fuisset. Deinde, peccatum cum innocentia, & integritate naturæ pugnat: innocens enim, & integer dicitur; qui non cecidit. Quicumque item peccat, reus fit, & debitor poenæ; at ille vitæ status liber erat ab omni poena. Amplius, omne peccatum eget poenitentia, qua expiari, & deleri queat; at poenitentia dolorem habet, & tristitiam adiunctam; ergò cum ea vitæ còditione omnis peccati poenitentia pugnabat. Præterea, alioqui potuisset in primo homine ex peccatis venialibus frequentius iteratis gigni habitus peccandi; at ea ratio vitæ ho-

minis ab omni procliuitate ad malum procul ab erat. Ad extremum, quemadmodum in ea foelicitate, hominis corpus, omni vitio, & infirmitate carebat, ita animus quoque liber erat ab omni ægritudine: Omne autem peccatum est quædam animi ægritudo. Quæ perfectò rationes magni sunt momèti, & ponderis, & quæ hanc sententiam probabiliorem faciant. Scotus eas eludere conatur duplici argumento. Primum enim ait, statum innocentie non fuisse tantæ perfectionis, vt dici posset modis omnibus absolutus, in quem lapsus venialis non caderet, sed fuisse talem tantummodo, qui omne lethale crimen prorsus excluderet. Deinde, leuè, & venialem noxam, si quæ incurrisset homo, non egiuisset ad sui expiatione, & purgationem poenitentia: potuisset enim, Deo id volente, certo aliquo charitatis actu elui, atque mundari. Verumtamen hæc Scoti responsio, nequaquam omnem animo dubitationis scrupulum adimit; ea enim, vel vnica ratio contra eum firma, & efficax est: quòd status innocentie erat ab omni profus miseria, & poena solutus ac liber: at omne peccatum quatenus tale, miseria animi est, & per se debite poenæ subiectum, quamuis Deus aliundè posset, si vellet, pro sua sapientia, & bonitate, poenam delinquenti remittere, & condonare. Quare is status vitæ foelicitissimus, venialem casum nullum admittebat, quippe qui nec Dei gratiam excludit, nec eius amicitiam dissoluit, ac delet. Dum igitur primus homo integer, & innocens, ita vt fuerat à Deo conditus permanebat, nullius minimi peccati capax esse poterat. Modo verò iusti homines in venialia sæpenuerò labuntur, quia licet Dei gratia sint præditi, primam tamen illam iustitiam non habent, quæ omni tum corporis, tum animi miseria, & poena vacabat. Scire tamen conuenit, Bonauenturam, & Richardum locis supra citatis, eo vt argumento ad probandam prædictam sententiam, quoniam in eo naturæ statu, peccatum, quod alioqui veniale esse potuisset, lethale foret, aut quia ex Dei contemptu, aut quia in statu tantæ gratiæ plenitudine, & vitæ perfectione constante committeretur. Sed huiusmodi argumentum infirmum est: quia, vt dixi, peccatum, quod ex leuitate materiæ, vel imperfecto actu paruum est, in lethale non transit ob eius qui peccat dignitatem, perfectionem, & sanctitatem.

Secundò quæritur, Quidnam dum peccatum veniale remittitur, deleatur in homine? Duæ sūt opiniones: vna, reatum tolli, ait, siue poenam ex toto, vel ex parte, cui erat peccator addictus: ita vt remissio peccati venialis nihil aliud re ipsa sit, nisi condonatio poenæ temporalis ex toto, vel ex parte. Hoc videntur asserere Gabr. dist. 16. quest. 5. art. 1. Almai. 4. dist. 21. quest. 1. Maior. 4. dist. 21. quest. 1. Medin. de poenit. tract. 1. quest. 7. hinc rationibus adducti. Primum, quia transeunte actu peccati venialis, nihil manet, nisi poenæ debitio. Deinde, venialis culpa non relinquit maculam in mente, quæ est priuatio gratiæ: ergo licet in peccati lethalis remissione gratia infundatur, qua priuatio eius excluditur; in veniali tamen delendo, nec gratia inducitur, nec aliqua priuatio reijcitur. Altera opinio tradit remissionem

peccati venialis non esse condonationem poenae debitae, nec ex eo veniale remitti, quod poena, quam meretur, ex toto relaxetur, vel ex parte. Huius sententiae fuit sanctus Thomas, eiusque discipuli, Scotum magnopere reprehendentes, qui docuerit, peccatum tolli, esse idem, quod reatum auferri. Nam Scot. 4. dist. 21. quest. 1. docet esse probabile, quum peccatum veniale dimittitur, poenam solummodo temporalem condonari: sed tandem magis accedit oppositae sententiae, quoniam ex patribus, inquit, constat, aliud esse culpam deleri, aliud poenam culpae debitam remitti. At sanctus Thomae discipuli secundam sententiam comprobant. In primis, quia potest remitti culpa non remissa ex toto poena. Deinde, è contrario, potest poena condonari non remissa culpa. Praeterea etiam, quia non ex eo, quod quis poenae est subiectus, aut quia debitor est poenae, dicitur esse in peccato veniali: quoniam prius origine, & causa Ticius est in culpa, quam sit in reatu, & debitor poenae. Postremo, nemo potest dici esse in peccato ex eo, quod iustae, & debitae poenae subijcitur. At certe si Scotus, & alij eius sectatores rectè explicentur, nihil erit causae, quare reprehendantur. Primum enim dicere volunt, post actum peccati venialis praeteritum, nihil re ipsa in homine manere. Deinde, ob hominis culpam venialem admissam, esse in Deo voluntatem puniendi, quae voluntas dicitur etiam ira, & iustitia Dei, hominemque, uti eiusmodi voluntatis obiectum, esse poenae debitorem: quae poena soluitur, ac luitur saltem ex parte, cum venialis culpa deletur: nam eo ipso, quo culpa venialis dimittitur, poena eius in minorem, & breviorè mutatur. Nolunt tamen illi, hominem dici peccatorem, aut esse in peccato à debitorum poenae, quem ipsi reatum appellant, sed ab actu culpae praeterito, qui tandiu Deo volente, eiusque iustitia exigente, subiectus poenae manet, quamdiu culpa perseverat in anima: & tandiu perseverat, quamdiu voluntas se à peccato, quod sua sponte voluit, per aliquam poenitentiam non auertit, & reuocat. Neque verò, remitti poenam, volunt illi, esse idem, quod culpam deleri: nam dimissa culpa veniali, poena postea temporalis soluitur, & igne purgatorio poenae venialium peccatorum expiantur, quorum saepe in hac vita fuit culpa dimissa, sed nunquam, inquit, Deus venialem culpam delet, quin aliquid de poena etiam minuat, ac detrahat pro sua misericordia: aliquando enim totam poenam condonat, aliquando in minorem, & breviorè commutat. Rogabis, Quid ergo est, noxae venialis culpam deleri? Respondent, actum culpae venialis praeteritum, non amplius obiectum esse divinae irae, & iustitiae, ut poena merita dignum, quamvis hoc non fiat sine aliquo actu ipsius hominis, quo dolet expressè, vel tacitè se peccasse, & quo priorem voluntatem, qua spontè deliquit, deponit, ac mutat, & quo se ad peccati veniam diuinitus impetrandam idoneè, & legitime praeparat: neque enim fit peccati venialis remissio, sola extrinseca voluntate Dei non imputantis homini culpam, sed fit gratuito quodam Dei beneficio, homine per aliquam poenitentiam explicitam, vel implicitam resipiscente, & pristinam voluntatè, qua peccato adhæsit, mutante: nam per huiusmo-

di actum homo se auertit à culpa, quam sua sponte commiserat.

Tertio queritur, An remissio culpae venialis, sit diuinæ gratiae iustificantis effectus. Item, an fit ex gratuito Dei beneficio, hoc est, ex auxilio Dei, speciali, & supernaturali; an verò per naturam fieri possit? A iunct nonnulli, Scotum, Durandum, Gabrielem, Almainum, & Maiorem asserere, venialem noxam per naturam posse tolli, hoc est, per actus liberi arbitrii solis naturae viribus elicitos: quorum sententiam, ut temerariam damnant, Verum praedicti auctores id nequaquam docent. Solum hoc illi affirmant, transeunte actu peccati venialis, re nihil manere in homine, nisi poenae reatum, & posse peccatorem Dei gratia vacuum plene, atque integrè pro venialibus erratis satisfacere: immò & apud inferos idem posse concedunt: & addunt, venialem noxam per quaecumque opus poenitentiae, vel charitatis expiari, & elui. Quae singula per se licet falsa sint, ut statim docebo, nunquam tamen h, quos nominavi, auctores asseruere peccatum veniale deleri absque gratuito, & speciali Dei munere per solas naturae vires, & generale Dei auxilium cum natura conueniens.

Ex communi igitur Theologorum sententia dicendum arbitror, primum, venialis remissionem peccati, gratum, & supernaturale esse beneficium Dei: id, quod facillè colligi potest ex Concilio Mileitano canone 5. 6. 7. & 8. & ex Arausiano 2. canon. 14. & 22. Omnis enim miseriae liberatio est Christi Domini donum, beneficium, & minus: item Deum quotidie precamur: Dimitte nobis debita nostra; quia quotidie in veniales culpas incurrimus. Remissio in super peccati venialis ad gloriam caelestem adipsam eandem conducit, & iuuat, at quicquid hominem promouet ad vitam aeternam, gratuitum, & speciale Dei donum est. nihil itidem homo potest per seipsum praestare, quod peccati veniam mereatur. Praeterea, veniale peccatum Deum offendit, & hoc ipso, Deus irascitur. Irasci enim Deum, est eum velle peccatum punire, & vlcisci. At per solas naturae arbitrii nostri vires, solo Dei generali auxilio adiutas, Deum nobis placare non possumus: ipse igitur Deus peccantibus, & malè merentibus liberaliter ignoscit. Remissio ergo peccati venialis non solum est gratuitum, & speciale Dei beneficium, sed etiam est diuinæ gratiae iustificantis effectus, hoc est, nemini extra gratiam Dei constituto peccatum veniale dimittitur, ut statim probabo. **QVAERES,** Quid dicendum sit, si homo aliquis cum solis naturae conditionibus crearetur, & veniale peccatum admitteret? Respondeo, Non posset homo ille peccatum exuere, nisi Deus hoc illi gratuito condonaret. Potest quidem homo in peccatum per seipsum cadere, at surgere per seipsum à peccato non potest. Immo si in prima sui institutione homo venialem culpam, & noxam contraxisset, nisi Deus pro sua misericordia deleuisset, nunquam contractum peccatum eluere, & absergere potuisset. Sed obijciens: Ergo veniale peccatum, Deo illud non remittente, perpetuò manebit, & poenam proinde merebitur sempiternam. Respondeo, absque dubio, nisi Dei beneficio condonetur, duraturum perpetuò,

petuò, & pœna ob id perpetua puniendum: non quod veniale per se æterno sit dignum supplicio; quoniam per se, Dei gratiam, & charitatem non aufert, & proinde non tollit principium, quo possit homo pro illo idoneè, & legitime satisfacere: sed ex eo, quòd quandiù non remittit Deus, tandiù homo in culpa est: quæ culpa dum permanet, debita pœna punitur. Veniale itaque solum temporariæ pœnæ subiectum est, modò semel culpa diluatur, aut gratia adfit, qua possit elui, & expiari. Paluda. in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 1. docet, si homo solum peccato veniali, & originali teneretur obstrictus, posset viribus naturalibus Deum diligere super omnia, & per eum actum reformare voluntatem, quam per peccatum veniale deformasset, & posset gratas esse Deo, tum ad bona, & commoda naturalia, tum etiam ad pœnam sensus devitandam, licet gratas non esset ad gloriam cœlestem assequendam, & effugiendam pœnam damni peccato originali debitam. Hæc ille, sed falsò, vt in alijs locis offendi. Neque enim peccator per naturam potest Deum plusquàm omnia diligere, aut idoneè, & legitime, vt debet, de peccato contracto dolere.

Quartò quæritur, An veniale delictum remitti queat homini, diuina gratia, & charitate carenti? quod est quærare, an homini in peccatum lethale, & veniale lapsò, possit veniale sine lethali condonari? Duæ sunt opinioniones præcipuæ: vna affirmat posse, quam sequuntur Scot. 4. dist. 18. 21. quæst. 1. Durand. 4. dist. 16. quæst. 2. Gabr. 4. dist. 18. quæstio. 5. artic. 3. dub. 2. Almain. 4. dist. 18. 21. quæst. 1. Maior. 4. dist. 18. 21. quæst. 1. Medin. de pœnit. tract. 3. quæst. 2. Id probant multiplice ratione. Nam in primis, peccator potest bona temporaria mereri, ergo etiam mereri potest pœnæ temporariæ debitæ veniali peccato remissionem: Sed omni pœna culpæ venialis soluta, culpa quoque ipsa aboletur. Deinde, vsu venit interdum, vt iustus leuiter delinquat, & postea ea culpa dimittatur, pœna non ex toto relaxata, qui si deinde grauius peccet, poterit plenè satisfacere pro pœna culpæ veniali debita, & ante casum non soluta: ea enim pœna est temporaria. Præterea, si quis cum peccato lethali, ac veniali ex hac vita discederet, haud dubiè de vtroque in perpetuum puniretur: quod videtur absurdum, cum veniale sumptum per se, temporariam solummodò pœnam mereatur. Item, peccatori multa alia beneficia diuinitus conferuntur, in quibus potissimum numerantur fides, spes, & auxilia specialia ad multa bona præstanda, ergo potest etiam peccator à Deo impetrare auxilium, quo peccatum veniale per pœnitentiam eluat, & expiet. Postremò, remissio peccati venialis fit absque vlla infusione gratiæ, ergo potest peccatori venialis culpa dimitti. Altera opinio oppositum affirmat: quæ fuit veterum Scholasticorum sententia. Alexand. par. 4. quæst. 15. m. 3. artic. 3. §. 4. Albert. 4. dist. 21. artic. 9. S. Thom. par. 3. quæst. 87. artic. 4. Bonauent. 4. dist. 18. 21. artic. 5. quæst. 1. Richard. 4. dist. 21. ar. 2. quæst. 3. & d. 16. ar. 5. q. 2. qui omnes vnica ea ratione mouentur, quòd nemo culpam exuere, & deponere possit, nisi per idoneam, & legitimam satisfactionem: at talis apud Deum satisfactio hominis esse non potest, nisi ipsi Deo sit grata, &

accepta, quæ in peccatore nequit esse, cum sit Dei inimicus. Præterea, satisfactio pro culpa, quam peccator exhibet, vel ex iustitia remissionis culpæ venialis meretur, vel ex gratuito Dei beneficio. Non ex iustitia, quæ peccatoris ad Deum nulla potest esse; non ex gratuito Dei munere, quia talis minimè datur, nisi Deo sit grata, & accepta. Item, quia alioqui apud inferos, damnatis hominibus venialia possent peccata dimitti, quod dici posse tutò non videtur, quoniam cum eiusmodi reprobis, & damnatis Christus Dominus sua merita non communicat; & tamen veniales culpæ sine Christi merito non abolentur. Ad hæc argumenta, Scotus, Gabriel, & Durandus respondent, duplicem aientes esse satisfactionem; Vnam qua vitam æternam promeremur, quæ quæ iratum Deum homini reconciliat, & placat; Alteram quæ tantummodò pœnam debitam soluit: qua soluta, culpam quoque delet, ac tollit: Vnde peccator licet primam satisfactionem præstare nequeat, secundam tamen potest. Sed certe magis pia videtur secunda sententia, & proinde mihi quoque magis arridet: quoniam nulla culpa contracta potest sine Deo gratis, & liberaliter remittente deleri. Is enim, qui Deo inimicus est, ipsi satisfacere non potest, nisi eam satisfactionem Deus ipse acceptam, & gratam habeat: nam eam satisfactionem Deo peccator debet, sed debitum Deo non soluitur, nisi ipse sit nostra solutione contentus. Item, satisfactio est debiti solutio, ergo iustitiæ actus inter debitorem, & creditorem, inter offensum, & eum, qui offendit; sed inter hominè, & Deum nulla est iustitia, nisi in nobis sit gratia, per quam Deus se nobis, quodammodo obstringit, & obligat: potest verò peccator à Deo impetrare commoda, & bona temporalia huius vite, sed non veniam peccatorum leuiorum promereri sine gratia Dei, quia nequit pro ipsis idoneè, & legitime satisfacere.

Quintò quæritur, An veniale cum lethali peccato coniunctum perpetuo apud inferos supplicio puniatur? Triplex est sententia. Prima est Scot. 4. d. 21. q. 1. Gabr. 4. d. 18. a. 3. dub. 2. Mai. 4. d. 21. q. 1. Almai. 4. d. 21. q. 1. & tract. 3. mora. c. 23. in vniuersum asserentium, etiam apud inferos peccatum veniale dimitti, eo vnico argumento, quod veniale per se, pœna solum temporaria debetur; qua per soluta eluitur, & tollitur culpa: ac licet Deus posset pœnam non tamen culpam condonare; facto tamen, cum ex toto Deus pœnam peccati venialis relaxat, culpam quoque similiter delet. Obijcies, veniale peccatum cum mortifero coniunctum, ex accidenti perpetua pœna, & supplicio puniri. Contra vrget Scotus; quia veniale per se temporaria solum dignum est pœna, & Deus procliuor est ad ignoscendum, quam ad puniendum. Præterea, Deus alioqui maiores pœnas repeteret, ac sumeret, quam venialis culpa mereretur. Secunda opinio est veterum Scholasticorum. Alfiod. lib. 2. tract. 18. c. 4. q. 3. Alexand. p. 4. q. 15. m. 3. a. 3. Alber. 4. d. 21. ar. 8. & in sum. p. 2. tract. 18. m. 4. ar. 4. S. Thom. 4. d. 21. q. 1. a. 2. ad 4. q. 3. & 1. 2. q. 87. art. 5. ad 2. & 3. Bonau. 4. d. 21. a. 1. q. 1. ad finem. Richard. 4. d. 21. a. 1. q. 3. nullam esse apud inferos peccati venialis remissionem: quod duplici potissimum argumento probare contendunt. Primum est, quia nulla est

apud inferos redemptio. At respondet Scotus, nullam esse redemptionem, scilicet qua inde liberetur. Verum contra Scotum instant alij ea ratione: quia saltem apud inferos ex parte minuerentur, & relaxaretur poena, quod sine meritis Christi fieri non potest: sua autem merita Christus Dominus minimè cum damnatis voluit esse communia. Item, possemus orare, & sacrificia offerre pro ijs, qui sunt ad inferos dānati, & ipsis possent indulgentiæ pontificiæ prodesse. Hoc argumento quidam vtuntur, & eo euidentissimè Scotum, & alios cōuinci putant, sed profectò falluntur: nam Scotus, & alij solam docent apud inferos damnatos posse pro suis peccatis venialibus satisfacere; non item nos pro ipsis, quoniam sunt extra communionem sanctorum. Alterum argumentum est: quod damnatis hoc ipso, quod sunt tales, Dei nempe capitales hostes, summoque eum odio prosequētes, specialia auxilia denegantur, quibus possit eos suorum malefactorum poenitere: at quamdiu quis in culpa est, tamdiu poenæ reus, & debitor est. Tertia opinio est Durand. 4. d. 21. q. 2. ita distinguētis: Aut quis, inquit, cum lethali peccato decedit, & cum obligatione, qua debeat soluere poenā temporariam venialis culpæ, iam ante in hac vita dimissa; & hic apud inferos ad tempus, nō in perpetuum poenas luet. Aut decedit cum mortifera, & veniali culpa dum viueret non dimissa, & hic, vtriusque culpæ poenas æternas sustinebit. Vtrunque probat Durandus: primum quidem, quia culpa veniali dimissa, poena temporaria omni ex parte soluitur patiente, & perferente criminis reo poenam, quam debet: tunc enim de eo debet poenæ sumuntur ad tempus. Secundum ita confirmat: quia quamdiu quis in culpa perseuerat, iustæ poenæ subijcitur. Et in hoc Durandus ab Scoto dissentit. Et certè contra Scotum est magnum argumentum. Nam si in hac vita venialis culpa dimissa non esset, postea apud inferos, cum semper in damnatis permaneat, perpetuum supplicium promeretur. Quamquam Gabriel, Almainus, & Major fatentur apud inferos venialem culpam remitti, non quia peccator bonum aliquod opus efficiat, sed quia poenam temporariam quam debet, sustinet, & exluit. Ex quo iam argumentum illud diluitur, quo obijciebatur veniali per se poenam duntaxat temporariam deberi: hoc enim verum est, quia veniale peccatum per se gratiam, & charitatem non adimit, qua potest aliquis pro eo idoneè, & legitimè satisfacere Deo: Secus verò est ex accidenti: nam si homo sit extra Dei gratiam, & charitatem, non habet, vnde pro culpa veniali, aut pro eius poena legitimè satisfaciatur; & idèo quamuis poenam sustineat, nunquam tamen soluit, quod debet, quia non soluit, vt Dei lex, & iustitia postulat. Et ideo siue in hac vita culpa veniali dimissa, siue ante non remissa, poena superest soluenda. Mihi certè in hac controuersia secunda opinio veterum Scholasticorum videtur magis pietati, rationique congruere; vel ob id solum, quod remissio poenæ, quam veniale meretur, etiam post culpam dimissam, non videtur vlli concedi citra Christi Domini merita, quæ damnatis minimè Deus impertit. Sine gratia item Dei, idonea, & legitima pro pecca-

tis satisfactio non redditur, ergò licet, quæ debetur, poena non sit æterna; quia tamen iusta, apta, & conuenienti satisfactio non soluitur, nunquam finitur, nunquam extinguitur, & definit, neque enim peccator debitor, aut offensus is, qui offendit, satisfaciatur, nisi secundum leges, & iura satisfaciatur: nulla hominis satisfactio apud Deum idonea, & legitima habetur, nisi fuerit ipsi grata, & accepta.

Sextò queritur, An veniale peccatum cum peccato originis coniunctum, perpetua post hanc vitam poena plectatur? S. Thomas, & Alexander, Bonauentura, Richardus locis supra citatis, negant posse quempiam decedere cum solo veniali, & originali, eo adducti argumento, quod puer cum primum vsus rationis fit compos, aut conuertitur ad bonum rationis, aut non: Siquidem, tunc speciali Dei auxilio iuuatur, & gratiam sibi diuinam conciliat, qua ab originali mundatur: Sin minus, lethale peccatum contrahit, quia Dei præceptum violat, quo tunc temporis vnusquisque compellitur ad bonum rationis diligendum. Hoc argumento vtitur S. Thom. 1. 2. quest. 89. art. 6. & de malo quest. 5. artic. 2. ad 3. At enim eo tempore, vnumquemque hominem ad bonum rationis præstandum peculiari præcepto, & rationis lege compelli, pauci Theologi tradiderunt. Palu. 4. dist. 16. quest. 1. art. 1. admittit, posse aliquem cum solo veniali, & originali decedere; addit tamen ex liberali Dei benignitate post exitum animæ à corpore, huiusmodi veniale dimissum iri per aliquem bonum actum, quem potest homo natura viribus elicere. Verum hæc absque ratione probabili dici videntur. Tum, quia nihil certi est de ea liberalitate Dei, quam Paludanus futuram diuinat: tum etiam, quia, vt præmonui, venialis culpa maior est, quam vt solis naturæ viribus delecti queat. Scotus 4. dist. 15. quest. 2. art. 4. & eum sequitur Ledes. 4. part. 1. quest. 28. art. 4. veniale concedit post hanc vitam cum solo originali: docet tamen perpetuo supplicio puniendum, sed ex accidenti, quia tunc decedens semper manet in culpa, & proinde semper debitam poenam luit. Probabilius meo iudicio hic auctor, quam Paludanus de hac re loquitur. Quibusdam, veluti etiam Durando 4. dist. 21. quest. 2. ad 1. non videtur probabile, huiusmodi hominem cum cæteris damnatorum punitum iri, qui infelices, & miseri sunt obstinate voluntatis & animi, Deum perpetuo odio habent, in ipsam irascuntur, maledicta semper conijciunt, denique ipsius leges, & præcepta contemnuunt: quæ res de eo homine cum solo originali, & veniali mortuo vix credi possunt. Quare, inquitur, aut alibi perpetua poena, & leuiori multabitur, aut certè (quod ego magis approbo) nunquam bonitas diuina parietur, quemquam cum solo veniali simul, & originali ex hac vita decedere, cum in altero seculo cōstituta sint diuinitus loca, in quæ benè, vel malè merentes recipiantur; inter quæ locus ille, quem dixi, minimè reponitur, & numeratur.

Septimò queritur, An ad remissionem culpæ venialis sit diuinæ gratiæ infusio necessaria? Sunt qui censeant esse necessariam: At communis est Theologorū opinio eam non requiri, quia veniale peccatum sine lethali iustis hominibus con-

natur;

natur; & infusio gratiæ solum est ad lethalis culpa remissionem necessaria. Sanctus verò Bonaventura, Sanctus Thomas, Alexander, & Albertus solum docuerunt gratiam gratum facientem esse necessariam, ut venialia remittantur, quod est dicere; Quando veniale est vna cum lethali crimine coniunctum, nunquam veniale sine lethali remitti: & hoc negandum non est, verum enim est, ut ante probauimus: at quando venialia sine mortiferis sunt, remitti, & deleri queunt sine gratiæ infusione, nisi quispiam velit in peccati venialis remissione, non esse primæ gratiæ infusionem, sed secundæ, quæ est gratiæ incrementum: qua de re statim dicemus.

Octauo queritur, An quodcumque extra sacramenta, prima gratia adoptionis infunditur, venialia peccata deleantur? **S. Thom. part. 3. quest. 87. artic. 2.** ait quodcumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. Sic ille ea ratione: quia tunc temporis, primæ gratiæ infusio non est absque legitimo poenitentiae actu, quæ dicitur contritio, qua quis ob amorem Dei, dolet se peccasse, & statuit nunquam amplius peccare, ac vult Deo pro peccatis satisfacere, ut eius gratiam sibi conciliet malefactorum venia impetrata: sed hic actus omnem peccandi voluntatem excludit: ergo omne veniale peccatum expurgat. **Alij negant, inde probantes**, quod potest quis primam adoptionis gratiam adipisci, vel per sacramenta, vel per proprium actum, & debitam animi ad sacramenta suscipienda præparationem, & siue hoc, siue illo modo assequatur, potest in peccati venialis studio, desiderio, & voluntate manere, ita ut vel eo deleatur, vel id committere desideret, & decernat. Et contritio expellit quidem omnem peccati grauioris voluntatem, non tamen leuis, seu venialis. **Cæterum S. Thomas non loquitur de eo, qui à lethali crimine labe per primam iustificationem abstergitur cum peccati venialis studio, desiderio & cupiditate, sed de eo, qui cum in gratiam, & iustitiam restituitur, explicitè, vel implicitè omnem culpæ venialis voluntatem deponit, & abijcit, cui quidem homini omne veniale remitti, Sancti Thomas arbitratur: quod est valde probabile.**

Nono queritur, An quodcumque veniale peccatum per proprium actum remittitur, amplior gratia conferatur? **Sectatores S. Thomæ negant cum ipso S. Thomæ, inde comprobantes**, quod actibus charitatis remissoribus gratia nequaquam augetur: at venialis culpa potest per remissiores charitatis actus deleri: ergo non est necesse, ut venialis peccati remissio sit semper cum incremento gratiæ: quam sententiam puto esse **S. Thomæ, & veram.** Cæterum cum prædicti Auctores ea ratione, & sententia innitantur, qua putant minus intensi charitatis actibus gratiam nequaquam augeri: ideo hoc alijs minimè probatur: quoniam ut suo loco inferius docebo iuxta aliorum probabilem sententiam, quocumque charitatis actu etiã remissiore, gratia statim augetur, ac proinde quodcumque per proprium charitatis actum veniale dimittitur, gratiæ quoque incrementum confertur. Atque hoc proculdubio, nisi fallor, est quod superius nonnulli tradiderunt,

remissionem nempe peccati venialis semper esse cum gratiæ infusione coniunctam, non quidem primæ, sed secundæ. At verò lib. 7. vbi de gratia diuina tractabo, S. Thomæ, & aliorum veterum sententiam probabo, gratiam & charitatem actibus tantum feruentioribus, quos intensiores appellant, crescere, ac proinde existimo actibus charitatis remissoribus aliquando culpas veniales remitti sine gratiæ incremento.

Decimo queritur, An quando venialis culpa per proprium actum deletur, actus poenitentiae requiritur? Inter omnes conuenit, actum poenitentiae esse necessarium. Poenitentia verò actum non omnes eodem modo accipiunt. Alij, n. quemcumque charitatis actum appellant poenitentiam, non quidem expressam, sed implicitam, & tacitam. Alij vero poenitentiam requirunt expressam: & ideo in præsentia queritur, an veniale peccatum in homine iusto per quemcumque charitatis actum elicium, vel imperatum deletur. **Scot. 4. d. 21. q. 1.** quem alij sequuntur, præsertim **Gab. 4. dist. 16. q. 5. artic. 2. conclus. 4.** censet esse probabile, ad venialis expiationem culpæ, sufficere qualecunque opus charitatis; quia plus boni & meriti habet in se quilibet charitatis actus, quàm mali in fit in veniali peccato. Præterea, actio quæcumque charitatis cum Deo nos perfectè coniungit, ergo hoc ipso venialem culpam expellit; non existimo Scotum generatim, omnem charitatis accepisse, sed eum duntaxat, quem homo iustus refert, ac dirigit ad remissionem peccatorum venialium obtinendam: hunc enim actum appellat poenitentiam implicitam. Probabilius esse alij opinantur, non quocumque charitatis opere veniale delictum auferri, quando id proprio actu dimittitur: quia bonum opus quatenus tale, voluntatem peccati venialis non tollit, ergo cum eo peccato minimè pugnat. Culpa verò venialis eo actu expiari, & condonari videtur, qui ei aduerfatur nisi respondere Scotus velit, non se loqui de veniali quod actu placeat, sed de eo, cuius, post actum præteritum voluntatem exuimus: tunc enim ad veniale, à cuius voluntate desistimus, auferendum sufficit qualecunque charitatis officium. Scotus item respondere potest, nostris actibus veniale peccatum non tolli vi, & natura ipsorum, ut inferius dicam, sed tanquam præparationibus Dei institutione requisitis, ad venialem culpam delendam: talem autem esse quemcumque charitatis actum, nec ad hanc remissionem requiri actum peccato veniali contrarium. Sed quicquid velit Scotus probabilior est sententia **S. Tho. p. 3. q. 87. artic. 1.** ad venialis culpæ remissionem requiri, tanquam debitam animi præparationem, eum charitatis actum, qui, si culpa venialis occurreret, omnem eius voluntatem, & studiū depelleret: non quòd in eiusmodi actu lateat aliqua cõditio ex futuro pèdens, nam ob tales conditiones, nec laudamur, nec vituperamur, & proinde nec benè, nec malè meremur, sed quòd talis sit actus charitatis aliquando, ut in se eam vim & potestatem habeat implicitam, per quam detestamur veniale delictum nostra sponte commissum, quando in mètè cogitationemque venit: tunc enim actus eiusmodi charitatis peccato veniali repugnat, & eius studium, desiderium, & voluntatem excludit.

Vndecimò quæritur, An per actum feruidum charitatis in Deum, peccata venialia deleantur? Durandus in 4. dist. 16. quæst. 2. nu. 9. negat, per actum charitatis in Deum feruentiores peccata venialia expiari, cui assentitur Sotus in 4. dist. 15. q. 2. ar. 1. Id vterq. probat, quia feruentissimus charitatis actus potest simul cum veniali peccato consistere: quia aliquando vsu venit, vt is, qui feruidè Deum amat, habeat veniale peccatum. in quo delectatur, vel quod admittere decernit: nam à viris etiam integerrimæ, & sanctissimæ vitæ peccata aliqua venialia committuntur. Sed videtur Sotus à suo Magistro in hac parte discedere. Profeculo S. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. ar. 2. ad quæstionem 2. ad secundum, ad primum sic ait: Feruor charitatis consumit, vel aliqua, vel omnia peccata venialia, etiam sine memoria, & cogitatione illorum, quia eo ipso continet disciplinam aliquorum, vel omnium. Nam ei qui feruidè Deum amat, eo ipso displicet omne id, quod tum à Dei amore retardat, & q. 7. de malo, art. 11. ait: veniale, quantum ad culpam remittitur per feruorem charitatis, mortale verò per gratia infusionem. Et paulò inferius sufficit, inquit, ad remissionem venialium quantum ad culpam, & forsus etiam quantum ad penam, si sit intensa dilectio in Deum. Sic etiam Richardus in 4. dist. 16. artic. 5. q. 1. ad 2. Ledesmius in 4. part. 1. q. 28. art. 1. dub. 2. Tabienfis verbo aqua q. 2. Has duas opiniones quidam conciliare contendunt: ita vt prima tantummodo neget dimitti venialia peccata, per actum feruentiorem charitatis, qui virtute non continet tantum odium venialium culpæ, vt si ea memoriæ occurrissent, detestaretur, & execraretur ea: & secunda affirmet per actum charitatis feruidum, venialia peccata deleri, quando ita est feruidus, vt virtute contineat dolorem de omnibus venialibus delictis: Et ita tota quæstio eo reuocabitur, an per actum charitatis eo ipso, quòd est feruens, omnia venialia peccata condonentur. Durandus, & Sotus negant, nec S. Thom. locis supra citatis videtur oppositum tradidisse, dicens per huiusmodi actum, vel aliqua, vel omnia deleri: ergo non semper omnia expiatur, sed ea duntaxat, quorum odium feruidus charitatis actus contineat virtute. Sed hoc idem est, quod Durandus, & Sotus affirmant. Alij & fortassis verius sentiunt omnino Durandum, & Sotum, cum S. Thoma in hac parte pugnare: eò quòd S. Thomas docere voluerit per actum charitatis feruentem venialia peccata dimitti, dummodo ea voluntati nostræ nõ placeant, ita vt eiusmodi actus charitatis, sit lege Dei, certa, idonea, & debita præparatio mentis ad venialium peccatorum remissionem impetrandam, & sit meritum, quo eam remissionem promeremur. Hinc facile argumenta soluntur. Nam si obijcias, fieri potest, vt sit feruentissimus charitatis actus, & nihilominus, vt is, qui ita diligit, aliqua veniali noxa oblectetur, vel eam committere statuat, ergo actus charitatis feruentior cù delicto veniali non pugnat: Respondeo, si dixeris, per actum charitatis feruidum venialia peccata expiari, quatenus eorum detestationem virtute continet, vt Durandus, & Sotus aiebant: tunc dicas per actum charitatis feruidum, solum ea delicta venialia deleri, de quibus vir iustus dolet explicitè, vel implicitè, virtute vel actu. Si verò aliorum sententiam sequaris, videlicet, per actum feruidum charita-

tis omnia venialia peccata diuinitus condonari, non quia feruidus charitatis actus cum veniali peccato pugnet: sed quia Deus feruidum charitatis actum certa lege acceptum, & gratum habeat ad noxarum venialium remissionem concedendam: tunc dicas ea tantum venialia delicta condonari, quorum obicem vehemens charitatis actus in iusto homine non inuenit: obicem autem inuenit, cum iustus feruidè Deum amans in aliquo veniali peccato cù voluptate versatur, vel id facere constituit. Si secundò opponas, feruidus charitatis actus non est delicto veniali contrarius: ergo nõ continet virtute penitentiam, quia de peccato veniali dolemus. Respondeo, per huiusmodi actum tolli veniale peccatum, nõ quidem tanquam per causam efficientem, sed tanquam per debitam, & idoneam præparationem hominis, & tanquam per meritum: ergo satis est, si talis actus sit legitima præparatio cordis ad veniam leuiorū culpæ impetrandam: satis est quoque, si quis per eum actum promeratur hanc veniam: at reuera talis est huiusmodi actus, nam qui feruidè Deum diligit, meretur, vt sibi peccatum veniale diuinitus condonetur, quod remoratur duntaxat hominem à feruore charitatis in Deum, & eo ipso, quòd aliquis actus, est iustus, & debita præparatio mentis ad remissionem leuiorū culpæ obtinendam, implicitè, vel virtute continet penitentiam, si eo actu vratur, vt idonea, & debita præparatione, & vt remedio ad veniam peccati assequendam adhibito: nobis etenim sic præparatis Deus statim certa lege factus propitijs, culpam veniale remittit. Rogabis, quemnam actum charitatis in hac parte, appellemus feruidum. Responder Ledesmius p. 4. q. 28. art. 1. dub. 2. talem actum esse, quo quis interior vult ex animo placere Deo in omnibus, aut quo vult omnia Dei mandata seruare, aut quo vult non offendere Deum vlla in re, aut actum, quo ipsi displicet omne peccatum, aut quo statuit se deinceps singula peccata deuitare, aut se in omnibus emendare. Mihi hoc quidem eius dictum probatur. Nam in singulis hisce actibus explicitè, vel implicitè continetur noxarum venialium detestatio: sed præter hos actus, videtur sufficere, si sit actus charitatis intensus, vt dixit S. Thomas de malo, quæst. 7. artic. 11. Non est ignorandum, actum charitatis dupliciter feruidum dici, & esse posse, videlicet extensione, aut intensione. Extensione est feruidus, qui sese fundit, & extendit ad plura, vt cum volo Deo in omnibus placere, eius omnia mandata seruare, meam omnem vitam corrigere. Intensione est feruidus, vt cum volo, & gaudeo vehementer tantam, & talem in Deo bonitatem esse, quantam, & qualem ipsum habere, mentis cogitatione, & huiusmodi actum confidero. Et feruor charitatis dicitur per metaphoram instar caloris: sicut enim caloris feruor talis ac tantus est, vt eo aqua igne subiecto ebulliat, ac proinde multa excoquat, & absumat: sic charitas suis actibus igne Spiritus sancti supposito, diuinitus accenditur, & tunc quasi ebulliendo erumpit, & venialia peccata eluit, & extinguit: aliquando per peccatorum odium, quod gignit: aliquando per desiderium, quo vitæ emendatione sibi, vt sine proponit: aliquando per mentis

propositum, quo iustus habet in animo omnia divina legis mandata servare: aliquando per actum egregium, quo vir iustus de Dei bonitate cogitans, gaudet, quod Deus sit, & habeat in se, quicquid est, & possidet, hoc est, quod sit omnipotens, sapiens, immensus, iustus, bonus, quod d' ametur, & religiosè colatur ab omnibus: quod sint ipsi vniuersa subiecta, in qua supremum dominatum, & imperium habeat.

Duodecimò quæritur, An veniale peccatum possit sine poenitentia deleri. Respondet S. Thomas *tertia parti. q. 87. arti. 1. saepe deleri sine poenitentia, quæ est sacramentum: at non sine poenitentia, quæ est virtus. Sciendum est, inter omnes convenire, non dimitti veniale peccatum, per aliquid, dum voluntati ipsum peccatum placet, ac libet. Item constat etiam inter omnes, non remitti sine actu poenitentia explicito, vel implicito, hoc est, sine actu, quo peccatum veniale, quod nostra sponte contraximus, nobis aliqua ratione displiceat. Sed dubie quæstionis est, an sit necessarius expressus actus poenitentia, quo de veniali noxa, quam admisimus, doleamus; an sufficiat actus tantum implicitæ poenitentia. Durandus, in 4. d. 16. q. 2. n. 9. & d. 21. q. 1. ad finem, videtur requirere explicitem actum poenitentia, sed communis est Theologorum opinio, implicitum sufficere. ita docent Bonavent. 4. d. 21. ar. 1. q. 2. Richard. 4. d. 16. ar. 5. q. 1. Scot. 4. d. 21. q. 1. Palud. 4. d. 16. q. 1. a. 1. & 2. Gabr. 4. d. 16. q. 5. a. 1. nota. 2. & 3. Cai. p. 3. q. 87. a. 1. Scot. 4. d. 15. a. 1. Atque id quidem ratione concluditur: nam ad peccatum veniale tollendum, solum necessarius est actus, quo voluntatem in peccato veniali, acta, vel habitu inhaerentem mutemus: ergo sufficit qualiscunque actus, per quem ab ea voluntate recedamus spe, & causa venia impetranda. At, in quibus, per venialem noxam rectæ rationis ordinem voluntas deformavit: ergo necesse est, vt per alium actum, illum ordinem voluntas reformet, & corrigat. Item, per veniale peccatum rectum ordinem sponte nostra transiliumus: sed qui certos terminos, & fines transilit, necesse est ad eos reuertatur. Item, quum veniale peccatum admittimus, in eo voluntatem nostram constitutumus, ergo oportet, vt eam inde reuocemus: sed id non facimus, quousque per actum voluntatis contrarium ab ea voluntate recedamus. Respondet, his argumentis solum cõcludi, esse necessarium non solum ab actu culpæ venialis cessare, sed etiam aliquem actum facere, quo voluntatem priorem deponamus: at voluntatem priorem in peccato veniali manentem abijcimus, cum opus aliquid præstamus, per quod Deo nos ipsi subiicimus, causa venia consequenda. nam eo ipso, quo aliquid facimus, id tanquam remedium adhibentes ad veniam impetrandam à Deo, volumus, vt veniale peccatum in nobis amplius non sit: ergo eo ipso voluntatem, qua illud vltro contraximus, per alium actum mutamus.*

Tertiodecimò quæritur, An sufficiat ad peccatum veniale delendum, actus poenitentia, qui dicitur *Attritio*; hoc est, dolor de peccato conceptus metu gehennæ, vel spe gloriæ cælestis, vel odio turpitudinis, quæ est in peccato cum spe venia consequenda. Quidam negant hunc sufficere dolorem, eo quod talis dolor cum veniali pec-

cato simul consistere queat: sed hæc ratio parum firmamenti, & vitium habet, nõ enim quærimus an deleatur per attritionem venialis culpa, dum ea nobis placet: nam hæc nec per ipsa sacramenta aboletur, quoniam placet, etiã dum sacramenta suscipim⁹, ac proinde remissioni culpæ venialis obicem ponimus: sed id solum quæritur: an per attritionem prædictam in homine iusto remittatur veniale delictum, quod fuerat ante commissum, & iam amplius voluntati non placet. Sotus respondet, deleri per huiusmodi dolorem, cum is a charitate imperatur. Mihi hoc probatur, sed nondum Sotus quæstionem plenè dissoluit, quoniam non accipit attritionem per se, sed vt à charitatis actu profecta. Et tunc dicere quis posset, venialem noxam expiari, & auferri per actum charitatis ad attritionem hominem mouentem, non autem præcisè per ipsam attritionem. Et hoc est, quod quærimus. Quare dicendum est cum Bonau. Scoto, & Gabriele, locis supra citatis, sufficere in viro iusto ipsam attritionem, ad illud omne peccatum veniale tollendum, à quo voluntas ipsa per huiusmodi dolorem recedit: quia est actus poenitentia, quamuis imperfecta, quo voluntatem, in peccato veniali quasi habitu manentem deponimus. Item, licet attritio non sit dolor de peccato veniali, Dei amore susceptus, est tamen metu gehennæ, vel spe præmij sempiterni, vel odio turpitudinis, vel amore virtutis conceptus: qui cum sit actus hominis iusti, & Dei gratia præditi, promeretur apud Deum venialis culpæ remissionem, & est ad eam idonea, & debita preparatio.

Quartodecimò quæritur, An ad venialis delicti remissionem sufficiat dolor de peccato veniali metu ignominia, vel alicuius incommodi temporalis, vel spe honoris, famæ vel alterius cuiusvis humani præmij susceptus. Respondet, minime: nam S. Thomas in 3. parti. q. 87. arti. 1. sic ait. *Vnde sequitur, quod requiratur aliqua virtutis dispositio, puta, cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quicquid sibi occurreret, quod eum à motu in Deum retardaret, displiceret ei. Hæc ille. Item, dolor de peccato metu dedecoris, vel spe honoris, vel studio, & amore humanæ gloriæ, per se est actus indifferens: nam dedecus, ignominia, & infamia, & alia huiusmodi incommoda temporalia, nõ sunt mala, & turpia per se. Honor itidem, fama, & gloria, & similia humana commoda non sunt bona, & honesta per se: nec referuntur in Deum, nisi impulsu, & imperio charitatis: ac proinde non sufficit dolor de peccato metu horum malorum, aut spe, & amore huiusmodi bonorum. At dices: per hunc dolorem voluntatem in peccato, acquiescentem mutamus: at supra diximus sufficere qualemcunque poenitentia actum, quo veniale peccatum nobis incipiat displicere, ergo sufficit huiusmodi dolor. Respondet, debere esse actum, quo peccatum nobis displiceat spe, & causa venia consequenda à Deo. Sed quando metu huiusmodi malorum, vel spe, & studio talium bonorum de peccato veniali dolemus, non tristamur spe, & gratia venia impetranda. Nec dolor hic per se Deum vt finem habet, at dolor de peccato conceptus metu gehennæ, vel spe cælestium bonorum, vel amore virtutis, vel odio turpitudinis per se, nisi mala alia circum-*

Le def. 4. d.
28. ar. 1. du.
20.

Sot. 4. d. 15.
q. 2. ar. 1.

stantia polluat, in Deum ut ultimum finem refertur: Et ideo hic dolor spe, & studio veniæ obcinendæ susceptus sufficit.

Decimoquinto queritur, An sufficiat quicumque dolor idoneus & legitimus, sed remissus & parvus? Respondeo, ad veniale peccatum auferendum, in quo spontaneo actu voluntatis adherescimus, non sufficit quicumque actus, etiam si fuerit vera contritio intensa, & vehemens, quoniam culpa venialis non tollitur, dum voluntati placet. nam fieri non potest, ut peccatum deleatur, & nihilominus in voluntate permaneat: & quamdiu peccatum placet, in voluntate permanet: & in hoc omnes conveniunt, ut constat ex S. Tho. p. 3. q. 87. a. 1. Palud. 4. d. 16. q. 1. a. 1. Gabr. 4. d. 16. q. 5. ar. 2. conclus. 1. Sor. 4. d. 15. q. 2. art. 1. Quare ad delendum aliquod veniale peccatum, quod in mentem, & cogitationem venit, sufficit contritio, etiam remissa, & parva, qua nobis illud displiceat ob spem veniæ obcinendæ. Item, si nos generatim poeniteat omnium delictorum venialium, quamvis nullum speciatim nobis cogitantibus occurrat, sufficit contritio, tamen si fuerit remissior, ad omnium peccatorum venialium de quibus uniuersè dolemus, culpam abolendam.

Decimosexto queritur, An iustus per contritionem mereatur peccati venialis remissionem: quod perinde est, ac si quereretur, an culpa venialis, ratione contritionis in homine iusto remittatur ex merito, & ex debito. Quidam videntur negare iustos mereri ex dignitate operis, vel satisfactionis remissionem peccati venialis: atque id probant ex concilio Mileuitano, Arausicano, vfu Ecclesiæ, auctoritate Augustini, & S. Thomæ, ut ipsi citant. Sed constans est opinio Theologorum, in hoc veniale peccatum à lethali differre, quod lethale non remittitur per contritionem ex debito, aut ex vilo hominis merito; quia contritio solum est vltima hominis præparatio, quam Deus requirit in nobis ad peccatum per gratiam auferendum: sed contritio non tantum hominem præparat ad remissionem culpæ venialis, sed etiam iustus per eam meretur remissionem eiusdem. Et id videntur aperte docuisse S. Thom. p. 3. q. 87. a. 3. ad 3. Scot. 4. d. 21. q. 1. Palud. 4. d. 16. q. 1. ar. 2. conclus. 2. Durand. 4. d. 21. q. 1. & d. 16. q. 2. Gabr. 4. d. 16. q. 5. ar. 2. conclus. 4. Atque idem ratio ipsa cogit fateri: quoniam iustus per actus poenitentiae, & charitatis satisfaciit Deo pro tota poena temporalis, quæ peccato veniali debetur, & non solum pro tota poena, sed etiam pro culpa: nam per eam satisfactionem, poenam delet simul, & culpam, ergo ex iustitia, & dignitate operis per contritionem iustus culpæ venialis remissionem promeretur. Item, per contritionem iustus gratiæ incrementum meretur: ergo & veniam leuiorum peccatorum. Accedit, quod per actus poenitentiae, & charitatis vitam promeretur aeternam: ergo meretur quoque ut tollantur ea omnia, quibus à consequenda gloria caelestis impeditur. Qui enim finem vltimum meretur, ea etiam mereri potest quibus ad illum pervenitur, nisi fuerit prima gratia, aut principium meriti, aut perseverantiæ donum. Sed culpæ veniales impediunt quominus vitam sempiternam consequamur: ergo qui meretur vitam aeternam, meretur quoque peccatorum venialium

remissionem. Postremò, contritio quatenus gratia, & charitate formatur, magis nos ex iustitia, & dignitate operis, posita Dei lege, & promissione cum Deo ipso coniungit, & diuinæ amicitiae restituit, quam nos à Deo culpa venialis auerit, quæ simul cum charitate consistit: ergo magis Deo contritio placet, quam ipsi peccatum veniale displiceat, siquidem per contritionem vitam aeternam certa Dei lege meremur, & tamen culpæ veniali solum per se tantum temporalis poena debetur.

Ad ea verò, quæ obijci possent; Respondeo, S. Thom. 3. p. q. 87. art. 4. solum docere, remissionem culpæ venialis fieri non posse in homine à Dei gratia, & charitate alieno, non negare in iustis fieri per contritionem ex iustitia, & dignitate operis lege Dei constituta. Item solum docet remissionem peccati venialis non fieri, per solum naturam sine gratuito Dei beneficio. Sed hoc non impedit, quin iustus viator per contritionem, culpæ venialis remissionem mereatur: nam tota remissio est gratuita in origine, & causa, quæ est in homine iusto: is enim non promeretur veniam leuiorum culparum per contritionem, nisi ut gratia, & charitate formatam. Quare sicut Paulus ad Romanos ait, gratiam esse vitam aeternam, quia nobis confertur ex merito quidem, & debito, & beneficiis nostris, sed quæ non per naturam, sed per gratiam habemus: sic etiam gratia Dei est remissio peccati venialis in sua causa, & origine, videlicet in gratia Dei, non in ipsa sola hominis natura. Eodem modo intelligitur illud ex concilio Mileuitano. Arausico. ex Augustino, & vfu Ecclesiæ, quo Deum oramus: Dimitte nobis debita nostra, quod locum habet in peccatis venialibus, hoc solum probat extra gratiam, remissionem peccati venialis non esse. Item, sine gratuito Dei munere nos præstare non posse per naturam, & commune auxilium, quod natura datur, actum, quo peccata venialia deleantur, & ideo quotidie iusti precantur, ut detur eis auxilium, quo faciant opera, quibus ex iustitia, & dignitate, culpæ venialis remissionem, sicut etiam vitam aeternam, & incrementum gratiæ mereantur.

Decimosextimo queritur, An iustus per contritionem, non solum veluti per legitimam, & idoneam mentis præparationem impetret, & mereatur ex iustitia, & dignitate operis, peccatorum venialium remissionem, sed etiam vi, natura, & efficacitate ipsius operis, eam remissionem efficiat. Hanc questionem expressim tractavit Palud. 4. d. 16. q. 1. ar. 2. conclus. 2. Animadvertendum est, idem non esse, mereri aliquid, quod illud esse mere: nam vnus meretur præmiū, & alter præmiū confert tanquam ipsius Auctior, sic etiam nos meremur vitam aeternam, & gratiæ incrementum, & tamen Deus solus efficit gratiam in nobis, & vitam aeternam largitur. Item, non est idem, materiam præparare ad aliquam formam excipiendam, quod formam in materiam inducere: nam vi naturalium causarum, præparatur corpus ad animam rationis participem recipiendam, & tamen solus Deus eam creando, in corpus infundit, & inducit: sic etiam homo suis actibus supernaturali Dei auxilio factis præparatur, ad excipiendos habitus infusos, & supernaturales. Deus

tamen

Petrus Sotus de inst. sacer. lect. 18. de poenit.

tamen solus efficit, & infundit. Queritur ergo, an iustus per contritionem solum præparetur ad remissionem peccati venialis obtinendam, & eam ex iustitia, & dignitate operis mereatur. an verò eam etiã efficiat: an potius Deus solus sit, qui peccati venialis remissionem faciat. Ait Paludanus loco citato, esse hac de re duas opiniones; ynam, quæ affirmat, iustum per contritionem non solum mereri, sed etiam efficere peccati venialis remissionem, eo quòd contritio sit actus vi, & natura sua peccato veniali contrarius. Altera opinio docet, nullum per contritionem præparare se, & mereri leuiorum culparum veniam, non eam efficere. Huic sententiæ Paludanus magis accedit: & eam solum veram existimo. Nam Scripturæ passim affirmant, solius Dei esse remittere peccata, & Glossæ ad Rom. 4. testatur id generatim dici, & locum habere in omnibus peccatis: ergo etiam in venialibus. Item, peccatum non remittitur, nisi Deo factò nobis propitio, & placato: sed ipse Deus sese nobis propitium, & placatum reddit, quia desinit nobis malum velle. His accedit, quòd in scripturis Deus dicitur peccata remittere, nobis ea non imputare, ea tegere, eorum obliuisci. Adde, quòd 1. Ioan. 2. dicitur de Christo. *Ipsè est propitiatio, & hostia oblata patri pro omnibus peccatis nostris.* Et ex Paulo ad Hebr. 9. colligitur. Non sine sanguine ipsius effuso, placuisse Deo quemquam sibi reconciliare. Postremò, quia alioqui sequeretur, veniale peccatum deleri per contritionem etiam in homine ante Dei gratiã infusã: siquidem tollitur, vt docet opposita sententia, vi, & natura ipsius contritionis, quatenus est quidam actus peccato veniali contrarius. Quare longè verius est, per huiusmodi actum remitti; tãquam per legitimam præparationem mentis, quam sua lege Deus requirit à nobis, vt leuiorum culparum veniã consequamur: & tanquam per actum, quo peccati venialis remissionem promeremur, quia est actus gratiæ formatus, & Deo acceptus, & gratus ad vitam æternam, & ad noxam venialem delendam.

Cap. XI.

Quomodo, & quando venialia peccata, ex opere operato deleantur.

Hactenus explicui breuiter, & dilucidè, vt potui, quemadmodum proprijs nostris actibus venialia expiantur, quòd Theologi appellare solent, ex opere operati: Reliquum est iam, vt exponam quando nam ex opere operato, vt iidem loquuntur, auferantur. Tunc ex opere operato (vt hoc obiter attingam) peccatum deletur, cum vi alicuius signi, vel remedij ad id instituti remittitur.

Primò queritur, An ex opere operato per omnia sacramenta tollantur venialia delicta? Respondent nonnulli, tolli quidem per Baptismum, per Pœnitentiam, & Eucharistiã; per reliqua sacramenta non item: quòd ea ratione probare contendunt: Baptismus enim est regenerationis sacramentum, quòd omnem culpam delet ac pœnã: Pœnitentia vero, est lapsi hominis reparatio: Eucharistiã, est iustorum hominum alimentum. Verùm, S. Thom. 3. part. q. 87. art. 3. apertè tradit in

vniuersum per sacramenta veniales culpas auferri, quòd longè verius est: hoc enim de extrema Vnctione negari non potest, quòd fatetur S. Tho. 3. part. q. 87. art. 3. cum sit sacramentum ad delendas peccatorum reliquias institutum, vt patet ex Iacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, &c. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei:* Idem docet expressim. S. Thom. de Eucharistiã. 3. part. q. 87. art. 3. Idem & de cæteris sacramentis dicendum puto, quoniã licet ea ad peculiãres fines, & effectus sint à Christo Domino instituta, hoc tamen commune habent, vt sint certa quædam, & salutaria peccatorum remedia, & spiritales medicina: & per eorum singula sæpe etiam prima gratia confertur, qua lethalia peccata penitus extinguuntur. Obijciens, interdum euenire, vt qui suscipit sacramentum, peccati venialis studio, & voluntate teneatur. Respondet, hoc argumētum æquè in omnibus sacramētis locum habere: nullum quippe sacramētum, etiam Baptismum id peccatum veniale delet, in cuius desiderio, & voluntate homo perstitit. Immo nec ipsa quoque prima adoptionis gratia eiusmodi peccatum expellit: nam ea peccati voluntas impedit, ne sacramentum, aut gratia culpam aboleat. Quare sacramenta, ea duntaxat venialia videntur delere & ejicere, quorum desiderium & voluntas est omnino deposita. Item, cum per sacramenta peccata diluicimus, intelligimus, dummodo is, qui ad sacramenta accedit, idonee & legitime præparatus accedat, alioqui onim impedit, vt sacramētum, quòd potest, efficiat. V. G. si venialibus tantum delictis tenearis, & sine vllò penitus dolore confitearis, impedis, ne sacramētum faciat, quòd potest: quoniã sacramentum pœnitentiæ constat materia, quæ in tribus pœnitentis operibus consistit, confessione, contritione, & satisfactione. Pari ratione si vnum tantum peccatum veniale, quòd habes, confitearis sine vllò prorsus dolore, veniam, & gratiam non consequeris, quia confessio peccatorum requirit dolorem. Deinde, obijciens; sacramentum cum peccato veniali nequaquam pugnat, vt nec prima adoptionis gratia: ergo neque illud tollit. Respondet, cum peccata venialia nostris proprijs actibus eluuntur, tunc tales debent esse actus, quibus homo peccati venialis studium, & desiderium abijciat, quibusque voluntas, & animus mutetur: non eo quidem, quòd vi sua, & potestate peccata expient, & deleant: sed quòd talem in nobis Deus præparationem postulet ad peccati veniam consequendam. At verò quòd veniales culpæ per sacramenta deleantur, indè profectò est, quòd Deus sacramenta constituit tanquam signa, remedia, atque instrumenta, quibus vitur ad peccata tollenda. Quare mirum nõ est, si ea cum peccato veniali non pugnent tanquam causæ physicæ, & naturales inter se inuicem contrariæ, sed tanquam signa quædam, & instrumentariæ causæ; à Christo Domino institutæ ad culparum venialium remissionem.

Secundò queritur, An sacramenta per se ipsa deleant veniales culpas, siue peccata, an verò per motum, & actum pœnitentiæ, quem in suscipientibus excitant, & gignunt. Fuere, qui senserint generatim peccata, siue lethalia, siue etiam venialia non tolli per sacramenta proximè, sed per

actum

actum poenitentiae, quem in nobis ingenerant sacramenta rite suscepta. Et quemadmodum lethalia, inquit, per sacramentum poenitentiae non tolluntur per se ac proximè, sed quia sacramentum tanquam certum Dei signum, & instrumentum generat motum, & actum veræ & perfectæ poenitentiae, quo deinde actu mortifera peccata delentur; sic etiam per sacramenta eluuntur veniales culpæ, non quidem per se, & proximè; sed tanquam per certa quædam Dei signa, & causas instrumentarias, quibus actus poenitentiae, & charitatis in suscipientibus excitatur, qui actus postea veniales culpas conuellit. Hæc sententia nata est ex ea, de qua paulò ante dixi, lethale peccatum vi contritionis auferri, & veniale delictum deleri nostris poenitentiae actibus vi, & natura ipsorum, non tanquam præparationibus ad id diuinitus institutis. Enimvero hæc opinio nullum videtur firmum ac solidum habere fundamentum. Mirum enim est, eorum, qui sacramenta sumunt, adhuc neminem experiri ac persentire in se eiusmodi poenitentiae actum, & motum. Verius ergo ac melius alij respondent, sacramenta per se, & proximè tanquam signa, remedia & instrumenta diuinæ bonitatis venialia peccata delere, cum eam ad rem sint diuinitus instituta.

Tertio queritur, quænam sit iusta ac debita præparatio in nobis requisita ad venialium remissionem vi ac ministerio sacramentorum consequendam? Dubitatio inde oritur, quia vel attritio omnem peccati voluntatem excludens requiritur, vel contritio, & tunc potius per talem actum veniam consequimur, quam vi sacramenti: vel nullus actus est necessarius nisi ipsa sacramenti susceptio, & ita sacramenti suscepti virtute omnia venialia tolluntur; adeo, ut nunquam quis sacramenta percipiat, quin ab omnibus venialibus munda detur. Opinio est quorundam; debitam satis, & idoneam esse præparationem, quancumque quis deposito, & abiecto peccati venialis desiderio, ad sacramentum accesserit. Mihi tamen magis probatur eorum sententia, qui requiri volunt eum actum in homine, quo sacramentum suscipere velit, ut remediū diuinitus constitutum ad venialium culparum suarū remissionem; volo dicere, ut ad sacramentum accedat, studio, desiderio, & voluntate vtendi sacramento tanquam remedio ad peccata venialia tollenda: & loquor in præsentia de eo, qui alioqui debitam attritionem, vel contritionem habens, qua dolet de lethaliibus peccatis, ad confessionem accedit animo, & voluntate, vt per eam confessionem venialia quoque peccata ipsi remittantur: vel de eo, qui accedit legitime dolens de vno peccato veniali, vt cætera omnia per confessionem auferantur: nam alioqui sacra peccatorum confessio necessaria parte careret, nimirum debita cōtritione: ergo hoc legitimo dolore posito, per confessionem, possunt cætera venialia peccata deleri, si sacra confessione vtamur, vt remedio ad peccatorum remissionem consequendam. Ac proinde qui alioqui legitime contritus, vel attritus confiteatur, veniam leuiorum culparum obtinebit, si confiteatur vtens confessione, vt remedio ad peccata auferenda, tunc enim est in eo poenitentia implicita, quamuis non explicita: nec est in eo vllus obex sacramenti.

Quarto queritur, An per ea, quæ sacramentalia Theologi vocant, veniales culpæ deleantur ex ipsorum opere, an ex opere hominis iusti ipsi ventis: *Exempli gratia*, An per aquam lustralem & sacram, quam benedictam dicimus, peccatum veniale tollatur ipsa actione, per quam aqua illa aspergimur, an verò per actum nostræ poenitentiae, quem cōcipimus ob detestationem, & odium peccati, & per quem aqua per fundimur. Dux sunt opiniones, altera negat peccata auferri opere eiusmodi sacramentalium: sic opinantur Palud. 4. d. 16. q. 1. a. 2. concl. 4. & d. 1. q. 2. art. 2. concl. 2. Syluest. verbo aqua benedicta. q. 1. Ange. q. 2. Tabien. n. 4. Gabr. 4. d. 16. q. 5. art. 3. dub. 3. Abulen. 4. Reg. ca. 2. q. 39. Petrus Sot. trakt. de poenit. sacrament. lect. 19. Mari. 4. d. 23. q. 92. & eam sententiam tribuunt Theologis antiquioribus. Alexand. p. 4. q. 15. m. 3. a. 4. §. 2. S. Thom. p. 3. q. 87. a. 3. Bonau. 4. d. 21. p. 1. a. 1. q. 2. Richard. 4. d. 16. ar. 5. q. 1. ad 2. Vnico argumento hi Auctores mouentur, quia veniale delictum saltem lege cōmuni, & confueta, non tollitur absque actu poenitentiae, quo nos peccasse dolemus: oportet enim, vt voluntatem, qua peccato sponte adhaesimus, mutemus; sed hæc sacra opera, & officia pietatis per se ipsa sine actu poenitentiae voluntatem nostram ad peccatum non abstrahunt, siquidem non sunt peccato veniali contraria. Nam sæpe quis sacra aspergitur aqua nihil de peccatis venialibus cogitans, immò eis interdum se oblectans: ergo huiusmodi opera per se ipsa culpas non delent. Deinde, si eiusmodi aqua per se ipsam peccata venialia aboleret, sequeretur, vt quis ea resperlus nihil penitus animaduertens, immò etiam dormiens, aut mortuus à culpis venialibus purgaretur. Altera opinio affirmat, quam sequuntur Sot. 14. d. 5. q. 2. a. 3. Cæn. velle de sacramentis. part. 1. ad 6. & lib. 12. de locis Theolog. c. 13. ad 9. Walden. tom. 3. de sacramentis. lib. 4. cap. 68. Ledel. 4. 1. p. q. 25. art. 3. dub. 3. quæ & mihi magis probatur. nam inter opiniones ea est præferenda, quæ magis pietati fauet, dammodo nihil cum recta ratione pugnare videatur: sed hæc talis est, ergo est tenenda. Annotare tamen oportet, aquæ sacræ posse duplicem vsum esse: aut enim eam adhibemus ad communes vsus, videlicet, ad purgandas corporis fordes, aut ea vtimus, vt sacra, & instituta ab Ecclesia ad veniam leuiorum culparum assequendam, & hic vsus est religiosus, & sanctus, non profanus: & nihilominus est vsus ipsius aquæ. Cum igitur secunda opinio docet per eas res, quæ sacramentales dicuntur, peccata venialia extinguui, opus ipsarum rerum accipit, quatenus est vsus quidam sacer, per quem his rebus vtimus, vt remedijs ad remissionem peccatorum venialium obtinendam. Hoc posito, secunda opinio probatur decreto Alexandri. quod habetur de conse. dist. 111. cap. Aquam vbi legitimus, aquam sale confersam in populis benedicimus, vt ea cunctis aspersis sanctificentur, & purificentur. Et postea: Si enim cinis vitula aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale confersa populum sanctificat, & mundat: & si sale asperso per Elisan prophetam, sterilis aqua sanata est, quanto magis diuini precibus sacras sal sterilitatem rerum auferit humanarum: & inquinatas sanctificat, & purgat. Sic ibi. Et Ecclesia ipsa, quando precationibus adhibitis cōsecrat aqua sale mixta, ait: vt sit sumentibus salus mentis, & corporis. Solent

quidam

quidam respondere, in hoc decreto peccata sumi pro pœnis, quæ venialibus noxi debentur. Sed hi facile refutantur, quoniam ipsis verbis Alexandri, & Ecclesie conuincuntur; cum non solum dicat, peccata per aquam auferri, sed eos, qui asperguntur aqua, sanctificari, mundari, purgari: quæ verba non de pœnis, sed de culpis intelligenda sunt. Alij respondent, per hæc, quæ sacramentalia dicuntur, veniales noxas aboleri, quatenus mentem excitant in nobis ad pœnitentiæ actum, & odium peccatorum, quo illa expiantur; & ideo non ex ipsorum sacramentalium opere, sed nostro actu peccata delentur. **Cæterum** his primum opponimus, quod in decreto pontificio dicitur: si cinis vitule aspersus sanctificabat, multo magis aqua sanctificat nos et aspersus. Deinde, si Propheeta Eliseus sae in aqua immisso, sterilitatem aquarum sustulit, multo magis aqua sale commixta, diuinis precibus adhibitis, curat sterilitatem animarum; at cinere vitulæ aspersi ab immundicijs legalibus purgabantur, & sale velut instrumento Eliseus aquas sanauit; ergo per aquam nos à peccatis mundamur. **Secundo**, si aqua, & reliqua sacramenta, peccata solum extinguunt, quia nos ad pœnitentiæ actum excitant: cur nouem, aut decem tantum sacramentalia numerantur, cum sint innumera, quæ nos ad huiusmodi actum incitare, & mouere queant? Respondent Gabriel, & Abulenſis, nouem, aut decem tantum referri, quia ea potissima sunt, quibus ad odium peccatorum venialium excitamur, & inuitamur: & quia cætera ad hæc parua reuocantur. At illi profecto falli videntur, tum quia alia non desunt efficaciora remedia, cuiusmodi sunt actus pœnitentiæ expressæ, opus feruidum charitatis, sacrificium Missæ: tum quia reliqua cum sint innumera, & maximè ab his diuersa, non videntur posse commodè ad hæc pauciora restringi, & contrahi. Alij respondent, per hæc, veniales culpas dimitti, quoniam qui his sacramentalibus vtuntur, certa Dei lege mouentur ad peccatorum venialium odium, nisi ipsi impediatur, quo minus excitentur, & moueantur: & proinde sacramentalia non proximè per seipsa, sed per pœnitentiæ actum, quem illa certò in nobis ingenerant, maculam abluunt peccatorum. Sed certè non minus difficile est crediti, hanc legem esse diuinitus constitutam, vt semper pœnitentiæ actum è nobis eliciant, quam opere ipsorum sacramentalium peccata mundari. Accedit, quòd ea lex nullam extat, nec vnquam experimur illum pœnitentiæ actum in nobis.

Ad argumenta primæ opinionis respondeo, non inficior, quin antiquiores Theologi, Alexander, Bonauentura, S. Thomas, Richardus, locis citatis apertè doceant, per sacramentalia veniales culpas deleri, & non sine actu pœnitentiæ: sed existimo eos solum docere, in vsu sacramentalium oportere, vt ad sit actus pœnitentiæ, alioqui peccata non remittuntur: sed actum pœnitentiæ implicitum, non explicitum intelligunt; hic autem adeſt, quoties sacramentalibus vtimur tanquam remedijs ad peccata venialia abolenda. Ad secundum respondeo quidem, venialem culpam tolli non posse, nisi hominis voluntas à peccato, cui hæserat, auellatur: sed nego, per sacramentalia, à peccato voluntatem nos non reuocare, nisi

simul illud expressim detestemur. Nam cum sacramentalia adhibemus, vt remedia ad leuiorum culparum veniam assequendam, eo ipso, peccata venialia tacitè, & implicitè detestamur, & odio habemus, quoniam nolumus, ea amplius in nobis esse, & hoc sufficit.

Tertiò argumentabatur supra citati doctores: Si culpas sacramentalia deleret per se ipsa, inde fieret, vt qui nihil de peccatis cogitans, aut etiam dormiens aspergeretur aqua, eo ipso, peccatorum veniam obtineret. Respondeo, nihil concludi, quoniam qui ad sacramentalia non accedit, tanquam ad remedia ab ecclesia instituta contra veniales culpas, is vtitur aqua ad vsum communem, & profanum, non sacrum: ac proinde suscipit sacramentalia, sine vilo pœnitentiæ actu explicito, & implicito.

Quartò obijciunt primæ opinionis Auctores. Si opus est, vt vtantur sacramentalibus, tanquam remedijs ad peccata delenda, ergo non conditione, & vi sua culpas extinguunt: sed per actum nostrum, quo ipsa nobis applicamus. Respondemus vsus, quo sacramentalia adhibemus, vt remedia ad peccata expianda, non distingui in hac parte ab opere ipsorum sacramentalium: Et hic vsus tanquam idonea præparatio requiritur, vt nos à peccatis mundemur: causa enim efficiens, & instrumentalis postulat in materia debitam præparationem, vt in eam formam inducat. Pari quoque ratione sacramenta, quibus inest vis gratiam conferendi, eam non efficiunt, nisi qui ipsa suscipiunt, legitime præparati accedant. Nec itidem veniales culpas tollunt, nisi ea fuerint, tanquam remedia ad venialia peccata delenda.

Quintò, obijciunt: Si per sacramentalia datur venia peccatorum, ergo sunt sacramenta, non sacramentalia. Negamus, quòd infertur: quia sacramenta primam gratiam adoptionis conferunt; sacramentalia non item: sed tantum remissionem leuiorum culparum. Insistes in Decreto Alexandri supra citato habetur: inquinatos per aquam sanctificari, & mundari, ergo gratia, quæ est sanctitas conferitur. Respondeo, iustos homines culpa veniali tanquam labecula inquinari, licet à gratia non decidant; quoniam ipsa culpa, quamuis minima, quidam actus est à recta ratione & Dei lege dissentiens, ac proinde ij, quibus peccatum veniale condonatur, labe mundantur, & sanctificantur; quemadmodum enim ipsum veniale peccatum est labe, quamuis leuissima, sic remissio peccati est quædam sanctificatio, licet non prima illa, qua impius redditur iustus: Si vrgeas, in eodem decreto Alexandri contineri, aqua domus, & loca nostra esse aspergenda. Ecclesia itidem eadem aqua mortuos aspergit: ergo non est ad peccata venialia tollenda. Respondeo; Aqua Iustalis esse multos effectus, vt ex eodem Alexandri decreto, & precationibus, quibus eam consecrat Ecclesia, patet. inter alios sunt duo: Vnus est, quo Dæmones arceat à nobis; alter, quo nos mundat à culpis. Loca igitur, & corpora mortuorum aqua perfundimus, vt Dæmones abigamus, & vt fugati loca nostra, & mortuorum corpora omni oppugnatione libera relinquunt.

Sextò, obijciunt: solus Deus peccata remittit, at sacramentalia sunt ab Ecclesia instituta:

ergo

ergo vim non habent, vlla peccata delendi. Ecclesie enim potestas data non est, vt instituat remedia ad peccata tollenda, alioqui posset Papa legem statuere, vt quicumque hoc vel illud fecerit, leuiorum culpam veniam consequatur. In hoc argumento controuersia est, vnde habeat Ecclesia facultatem, qua remedia constituat ad remissionem venialium peccatorum assequendam. Ad quam respondeo, ex eisdem verbis habere, ex quibus habet auctoritatem à Christo, qua posset extra sacramenta concedere condonationes peccatorum, quas indulgentias vocamus; videlicet ex illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Obijcies, hæc dixisse Christum vt iuxta Ecclesie daret ius, & auctoritatem, qua posset per sacramentum poenitentiae à peccatis absolvere, non autem, qua posset extra sacramentum. Respondeo, generatim esse dictum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & habere Ecclesiam potestatem remittendi lethalia quidem peccata per sacramentum poenitentiae; venialia verò, siue per idem sacramentum, siue absque eo: nam qui totum dicit nihil excludit. Accedit, quòd Ecclesia his verbis accepit à Christo potestatem poenas culpis debitas remittendi extra sacramentum: ergo non est, cur negemus accepisse quoque facultatem condonandi veniales noxas extra sacramentum, siquidem non sunt materia necessariò subiecta sacramento poenitentiae. Vergebis etiam, Christum simul dixisse, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* est; ergo locutus est tantum de peccatis lethalibus, à quibus nemo liberatur, nisi per sacramentum poenitentiae, aut saltem voto susceptum. Et propterea si lethalia crimina retineat Ecclesia, hoc est, si ab eis non soluat, vel re ipsa, vel saltem voluntate, Deus non remittit. At venialibus peccatis etiam si Ecclesia absolutionem denegat, Deus interdum remissionem concedit. Et ideo potest quisque eorum veniam adipisci, etiam si nolit illa sacramento poenitentiae per sacramentum confessionem subiecere. Respondeo, in praefatis verbis generalem quidem Christi Domini sententiam contineri, sed intelligendam de peccatis lethalibus, & venialibus iuxta eorum conditionem, & naturam: nam lethalia sunt materia necessaria confessionis, ita vt remitti nequeant nisi illa, vel re ipsa, vel saltem voluntate, & voto poenitens confiteatur; venialia verò sunt vera quidem materia confessionis, sed voluntaria tantum, non tamen necessaria: ita vt si illa confiteri velimus, possimus verè per sacramentum absolui: si autem confiteri nolimus, eorum veniam obtinere possimus absque vilo sacramento, re, vel voto suscepto, per actum poenitentiae internae, vel charitatis, vel per aliqua remedia ab Ecclesia instituta. Condonantur enim iustis hominibus veniales culpa, vel ipsorum hominum, vel Ecclesiae merito. Nam quemadmodum cum Ecclesia condonationes peccatorum concedit, quas vocamus indulgentias, merita Christi Domini, & sanctorum hominum triumphantium in caelis nobis impertit & applicat, quibus poenae peccatorum nostrarum soluantur; ita & per sacramentalia communicat nobiscum, & Christi Domini, & sua me-

rita, quibus veniales noxae eluantur. Vt enim poenae ex peccatis relictae, & culpis debite ingressum iustorum in caelestem patriam remouant, quantum non in perpetuum prohibeant; sic etiam leuiora culpa iustos retardant, quo minus statim in caelum euolent; sed non in perpetuum impediunt, in hoc enim, aut in altero saeculo, penitus expiantur. Accipit igitur Ecclesia potestatem à Christo, qua peccata venialia sine vilo sacramento dimitteret, & ideo accepit etiam auctoritatem, vt posset instituire remedia, quibus illa penitus tollerentur. Nec inde tamen conficitur, vt possit Papa legem suo arbitratu ferre, vt qui hoc vel illud quocumque modo fecerit, ab omni culpa veniali soluat; nisi ea lex talis sit, vt pium aliquod charitatis, poenitentiae, vel religionis officium praecipiat, hoc enim est quod tradidit. S. Thom. p. 3. q. 87. art. 3. scilicet veniales culpas deleri non posse nisi per opera virtutum, videlicet charitatis, pietatis, poenitentiae, religionis, quibus quis se Deo, vel rebus diuinis subijcit, quae ad cultum, & honorem diuinum quoquo modo referantur: tunc enim huiusmodi remedij Ecclesiae auctoritate instituti vterentur iustus ad sua peccata venialia penitus eluenda: Non secus ac modo lastrali vnda perfunditur eandem ob causam.

Quintò quaeritur, quot numero sint sacramentalia, quibus venialia expiari solent? Respondeo, cum Glossa in 6. praemio, in ver. benedictionem, & Hostiensis, esse nouem, quae sunt, oratio Dominica, pia & religiosa percussio pectoris, Generalis peccatorum confessio, largitio elemosynae, Pontificia, seu Episcopalis precatio, qua Episcopus solemni ritu, & caeremonia signo Crucis adhibito, populo bona, & foelicia precatur, quam benedictionem vocam, ieiunium religiosè susceptum, venerabilis eucharistiae perceptio, unctio sacra, & aqua laustralis, quae dicitur benedicta: ex nouem huius sacramentalibus, quatuor prima non sunt ab Ecclesia instituta.

Circa precationem Dominicam animaduertendum est, eius meminisse Augustinum, non vno in loco, sed multis; videlicet in Epist. 108. ad Seleucianum, in lib. 50. Homil. in vlt. c. 3. lib. de Poenitentia medicina cap. 2. & in Enchiridio, cap. 71. Concilium quoque Toletanum, 4. cap. 9. Item, de poeni. d. 3. c. de quatuordecim. Percussio pectoris, pia, & religiosae meminit idem Augustinus in epistola ad Seleucianum praedicta. Item, sit mentio de poeni. dist. 1. c. tres sunt autem aitiones.

Confessio generalis peccatorum licet nulla reperiat apud Patres mentio, ad probandum venialia eius virtute deleri, veteres tamen Scholastici, S. Thomas, Albertus, Bonaventura, Richardus, & alij in 4. dist. 21. id communiter tradiderunt. Hostiensis, in c. omnis. de poeni. Glossa, loco citato.

De elemosyna, quòd proficit ad peccatorum veniam promerendam, tradit Augustinus in Enchiridio, cap. 72. & 73. Item, tract. 12. in Ioannem, vbi idem dicit de remissione iniuriarum, & generatim id ipsum etiam tribuit operibus misericordiae, & ieiunio. Et dist. 3. de Poenitentia cap. Medicina, & c. Medicamentum, & c. Quomobrem, ex Ambrosio, Hieronymo, & Chryloto testimonio profertur, in quibus aperte traditur nos operibus misericordiae pro peccatis Deo satisfacere. & cap. sanè ca uendum. de poeni. d. 3. ex Augustino.

De Benedictione (quam vocant) Pontificia, seu Episcopali, iure Canonico nullus extat Canon, nec vlla in Patribus traditio. Cōmuniter tamen Scholastici Theologi. 4. d. 16. & Hostiensis, & Glossa docent per eam venialia deleri: quamvis Paulus 4. d. 16. q. 1. art. 2. citet caput. Dicitur est, & cap. Maledicam, cap. intra. cap. Benedictio. i. quæst. 1. in quibus tamen locis, nihil certi hac de re expressè traditur.

Precationem fufam in templis siue in sacris Aedibus, nonnulli Theologi addiderunt: nihil etiam scriptum reperitur in Iure Canonico, & tamen aliqui Scholastici, id etiam tradidere.

De sacra Vnctione habetur integrè titulus in Iure Canonico, licet nihil expressim de venia peccatorum dicatur.

De venerabili Eucharistia piè, & religiosè precepta, habetur. cap. cū omne, de consecra. d. 2.

De ieiunio, pietatis, & poenitentia, ac religionis studio, & gratia suscepto, legimus. cap. sanè cauendum, de poenitent. dist. 3.

Aliqui addunt etiam panem sacrum, quem benedictum, vocamus, de quo nihil certi habeo ex antiquis patribus: nonnulla in epist. 31. quæ est Paulini, ad Augustinum, tom. 2. operum Augustini, & epistola 34. quæ est Augustini, ad Paulinum, & apud Augustinum lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. legimus, videlicet, Panem sacrare consueuisse Ecclesiam pro Catechumenis: quia enim ab Eucharistia arcebantur, loco eius panis à Parocho inuocatione Dei, crucis signo, & alijs cæremonijs ac ritibus adhibitis sacratus in omnes Catechumenos distribuebatur. Postea verò cepit etiam mos in Ecclesia introduci, vt panis singulis quibusq; diebus Dominicis, à Parocho sacratus, certa precationis formula subministraretur fidelibus, de quo Pane Thomas Waldensis de sacramentalibus. tom. 3. tit. 23. cap. 167. & 168.

De aqua lustrali, quam dicimus benedictam, extat Alexandri Primi epistola prima, quæ refertur de Poenitentia, dist. 3. cap. Aquam, vbi aperte dicitur Aquam benedicti, & sacrari, in sanctificationem, & purificationem fidelium: eamque comparat cæremonijs legis antiquæ, quæ conuincatos emundabat à maculis contractis.

Sextò quæritur, An vnum veniale possit absq; alio seorsim dimitti? Respondeo, liquido constare, remitti posse. hoc enim discrimè est inter mortiferum, & veniale peccatum, quod lethalia omnia simul delentur, quia per gratiam infusam tolluntur: hæc autem cum quocunque crimine lethali pugnat, & proinde simul vniuersa depellit, & eijcit, veniale autem ad sui expurgationem minime eget gratia infusa. Illud etiam pro certo statuendum, saepe vnum veniale sine alio dimitti: vbi enim venit non raro, vt quis de vno, non de alio agnatur, ac doleat, & statuat vnum cauere, non aliud. **ROGARE** s, an si quis de omnibus doleat, vel omnia deuotare constituat, per eiusmodi actus omnia venialia expientur? Respondeo, expiari omnia. At oppones, ergo iustus poterit ad tempus omni prorsus veniali carere, & verè, si omni peccato liberù esse, affirmare: is igitur minime egebit ea precatione: Dimitte nobis debita nostra. Respondent nonnulli, iustum hominem breui temporis morula posse omni veniali culpa

vacare, & nihilominus neminem, licet ad tempus breuissimum, planè omnis peccati venialis expertem, absque mendacio, hoc est, absq; omni mendacij periculo, posse dicere, se sine peccato esse. Atque huc referendum esse dictum illud Apostoli Ioannis: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Eorum tamen sententiæ ego minime assentior: non enim definitio, vel traditio Ecclesiæ in hoc solù modò cōsistit, quòd iusto. um nullus per omnem vitæ cursum, aut certè ad longum tempus possit omni veniali carere, sine peculiari Dei munere, & beneficio, sed nec ad breuissimum etiam temporis momentum. Nam quòd quis nullo peccati vinculo teneatur, id diuinæ gratiæ dono tribuendum est. Sicut enim, cum quis sacro baptisinate abluitur, ab omni peccati labe mundatur, quodque ad modicum tempus se in ea animi mūdicie, & sanctitate conseruet, in diuinam est gratiam referendum, in quam ipsum quoque Baptisima refertur: ita etiam si quis de omnibus venialibus admissis verè doleat, omnia quidem per eiusmodi dolorem expiabit; sed non solum is dolor, diuinæ gratiæ donum est, sed etiam ipsa vitæ sanctimonia ad breue temporis spatium, ab omni labe peccati aliena, singulare est Dei munus. **Illud est verissimum**, quod Ioannes affirmavit: Neminem posse dicere, Peccatum nō habeo, quia aut veniale aliquid habet, aut non: si nullum, indè profectò est, quia id dimittit, & cōdonat Deus suæ gratiæ beneficio singulari, aut quia iustū hominem, ita dirigit, ita suis auxilijs gubernat, ac mouet, vt venialia peccata caueat, deuitet ac fugiat. si verò habet aliquid peccatū, soluta est omnis dubitatio. Hoc enim voluit Ioannes dicere, nec posse nos omni peccato carere sine Dei gratia, nec sine ea vnquam posse iustum verè dicere, se esse sine omni peccato.

Septimò quæritur, An cū venialia peccata per sacramenta delentur, vnum sine alio tollatur? Respondeo: quodcumq; sacramentū aliquid sumitur, & homini suscipienti placet aliquid veniale delictū cui voluntate adhærescit, cum tamè de alio peccato doleat; tunc sacramento delentur veniale, quod displicet, alio, q̄ placet, remanente. Si tamen omnia displiceant, tunc vniuersa expurgat ac tollit sacramentum. **Quartio tamè est**, quādo nullum affectu vel actu placet, nec tamen de omnibus dolor concipitur, an tunc omnia sacramentum aboleat? Respondeo; si Baptisimus sit, vniuersa delet, quia omnem culpā soluit, & poenam: & idem existimo de extrema vnctione, & de sacramento Poenitentia, & Eucharistia, eo modo, quo supra explicari. De cæteris verò sacramentis minus certum est: fortassis enim venialia delent pro varietate præparationis, qua suscipiuntur, sicut etiam poenam relaxant, siue remittūt pro varia suscipientium præparatione.

Octauò quæritur, An venialia peccata post hæc vitam in homine iusto deleantur. Fuit vetus quondam opinio id negantium, ita videntur sensisse Hugo, S. Victoris. lib. 2. de sac. p. 15. c. 13. Alex. p. 4. q. 15. m. 3. a. 3. 6. 5. ea ratione quòd in alio saculo nullū est meritum hominis, nec vlla satisfactio: at culpa venialis remissio, sine vlllo hominis meritò, & satisfactio non est. Quare cum quis decedit è

vita, aut dolet se peccasse, aut non dolet. Si quidem dolet, tunc à venialibus liberatur; si non dolet, hoc ipso, lethale peccatum admittit, quia beatitudinem suam remoratur. Sed merito hæc opinio communi omnium consensu confutatur: nam frequenter vii venit, ut quis penitus oblitus cum peccato veniali decedat. Deinde, nullo argumento convincitur, esse lethale crimine eius hominis, qui venialis culpæ memor, & conscius ex hac vita migrat absque dolore villo. Alexander censuit similiter omnia venialia extremo huius vite tempore deleri. Ceterum eadem ratione, hæc sententia refellitur: Tum quia sine argumento probabili dici videtur, venialia vniuersa pariter cum vita finire, & deleri, si quidem potest accidere, ut nulla tunc temporis adit venialium detestatio: tum etiam quia interdum contingit aliquem hominem hinc decedere cum peccati venialis desiderio, & voluntate. Nec est firmum Alexandri per fugium dicentis eiusmodi affectum, & propositum tunc temporis esse lethale crimen: aut merita hominis in ante acta vita, venialium remissionem sub vltimum vitæ exitum impetrare, & assequi, cum nulla id ratio persuaseat. Standum igitur est communi Theologorum sententiæ, aliqua venialia post hanc vitam auferri: tum quod ad culpam: tum quod ad poenam atinet: ita S. Tho. Bonau. Richard. Scot. Palud. Gabr. Dur. 4. d. 21. Atque hæc sententia videtur aperte colligi ex Aug. Greg. Isid. Beda. Ansel. Ruperto, Mag. sentent. & Gratiano, qui ex verbis Christi apud Matth. c. 12. colligunt esse aliquot peccata, quæ in alio sæculo remittuntur, cum dixerit esse quædam quæ neque in hoc sæculo neque in futuro deleantur, Greg. 4. dial. c. 39. perspicue docet leuiiores, & minores culpas post obitum condonari: nec est, quod dicas ipsum loqui de peccatis lethalius leuioribus: quoniam ibi exempla ponit venialium peccatorum: sicut, inquit, est aspidus ostiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum cura rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei. c. 26. ait de illis, qui ædificant lignum, fœnũ, stipulam, de quibus Apost. 1. Cor. 3. loquebatur, inuenient ignem tribulationis transitorie, cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines, cremantem. Et aperte Aug. lib. 6. contra Iul. c. 5. & li. 21. de ciuit. c. 24. & Greg. lib. cit. Beda. Glossa. Ansel. Ruper. Magist. sent. 4. d. 31. Gratia. d. 25. c. qualis hinc. de peccatis venialibus interpretatur locum illum Matth. 12. quo dixit Christus esse peccata, quæ nec in hoc sæculo, nec in altero remittuntur. Nam quamuis scripturæ phrasim ea possit esse, quod nec in hoc sæculo, nec in futuro tollantur, perinde ac si diceretur, nunquam dimittentur: negari tamen non potest, quin Patres hinc locum intellexerint eo modo, quo diximus: nam si nullum peccatum in altero sæculo remittitur, non dixisset Christus esse aliquod quod nec hic, nec illic dimittitur: sicut non bene diceret quis, vxorem non ducam, nec in hac vita, nec in altera: quoniam in altera vxor non ducitur. Ratio quoque hoc idem ostendit: si quidem potest quispiam decedere cum peccati venialis desiderio, vel eius penitus immemor, præsertim in tot tantisque moribundi hominis angustijs, & difficultatibus. Nec satis fit dicendo, diuinæ esse providentiæ, ne id ita contingat; hoc enim ratione probabili caret, & Patrum aucto-

ritate. Sed obijciunt Hugo, & Alex. Primo, quia refertur Damasc. li. 2. de fid. ort. c. 4. quod est in Angelis casus, est in hominibus mors: sed Angelus post casum, à nullo peccato liberatur: ergo nec homo post obitum. Secundo, Gloss. in illud. 1. Jo. 5. est peccatum ad mortem, ait, quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem eius venia postulat. Tertio, ex Aug. habetur. c. tempus. 13. q. 2. omne hic meritum comparatur: quo possit post reuocari quispiam, aut granari. Quarto, quia post hanc vitam locum poenitentiae, aut meritum non est, quoniam amplius homo in via, & peregrinatione non est. Quinto, quoniam facilis homo in peccatum labitur, quia à peccato surgit, sed post mortem iustus amplius peccare nequit, ergo nec à peccato liberari. Ad hæc omnia respondeo Damasc. Gloss. & Aug. intelligere post mortem locum poenitentiae in peccatis lethalius non esse: item in altera vita non esse meritum, quo vel vitæ æternæ, vel gratiæ incrementum mereamur, aut poenæ æternæ remissionem impetremus, nisi hominum tam esse remissionem peccatorum venialium. Item, facilius labimur in peccatum, quam surgamus ab eo, quoniam surgere nemo potest nisi per gratiam Dei, & peccatum est ex nobis, sed iustus post mortem confirmatur in bono, ita ut amplius peccare non possit: & quia est in gratia, per actum charitatis obtinet remissionem peccati venialis.

Nonò quaeritur, quo pacto venialia iustorum hominum delicta in futuro sæculo remittantur? Causam dubitanda dedit, quod post exitum animæ à corpore nec vllus est meritum hominis neque satisfactio: at culpa venialis absque hominis merito, vel satisfactione iusta, & debita non tollitur. Tres sunt Theologorum sententiæ. Prima docet venialia in futuro sæculo condonari propter merita hominis in ante acta vita: quod est dicere, iustos pro charitatis, & poenitentiae opera, quæ dum viuere effecerunt, promeruisse, ut veniales culpæ statim post obitum remitterentur, videlicet in primo temporis momento, quo eorum anima corpore soluta transit ad ignem purgatorii: licet certo tempore poenæ debitas perloquatur: sic Sco. 4. d. 21. q. 1. Hoc tamē ratione vlla non comprobatur. hoc docuit, ut defederet venialia peccata non dimitti sine merito hominis in hac vita, quia in altera homo nequeat promereri. Secunda opinio est Gab. Alma. & Mai. 4. d. 21. afferentium peccati venialis remissionem esse poenæ temporalis, ex toto vel ex parte relaxatione: & ideo in altero sæculo venialis noxa dimittitur: quia hominis iusta anima corpore soluta in igne purgatorio detenta, ab omni poenæ culpæ debita liberatur: sed fallum est quod isti ponunt, in remissione culpæ venialis solū poenā temporariā condonari. Tertia sententia est S. Th. 4. d. 21. q. 1. ad 3. ad 1. & ad 4. culpas veniales iustorum hominum in altero sæculo remitti merito boni operis, quo ipsorum anima corporis vinculis liberata, & ad ignem purgatorii trāsata diligit Deum, & de suis peccatis dolet, & poenā patienter iuitinet, sic Sor. 4. d. 19. q. 3. ad finē. Cai. 2. 2. q. 12. 4. d. 4. ad 2. tenet anima primo temporis momento, quo à corporis vinculis soluitur, nec esse omnino extra hanc vitam, cum adhuc sit in termino, & sine vitæ, nec esse omni peccati potestate liberata, & ob eam causam bene & male mereri posse. Sed certè hæc sententia probari nulla ratione potest, quia terminus vitæ, aut est extrinsecus, aut intrinsecus: si de extrinsecis loquatur, tunc talis terminus est primum momentum

alterius

alterius seculi intrinsecum, in quo anima est iam corpore exuta, & sic meriti, & satisfactionis capax non est: at terminus intrinsecus huius vitæ esse non potest, quia res naturales per terminum intrinsecum, esse non desinunt. Quare existimo dicendum venialia, per charitatis actum primo statim alterius seculi initio deleri, & extingui, & poenam deinde paulatim relaxari, & solui. Ad argumentum verò respondeo in altero seculo nullum esse meritum hominis, nimirum quo caelestem gloriam mereatur: nam ille charitatis actus, quem dixi, culpæ quidem venialis remissionem teste S. Thom. promeretur, nouum verò beatitudinis gradum non item. Similiter in alio seculo nulla est culpæ satisfactio, scilicet, quæ tanquam debita, & legitima præparatio primam gratiam conciliet, nosque Dei amicitia restitua, quæque beatitudinem, aut eius incrementum promeretur: bene tamen potest pro culpa leuiori esse satisfactio, quia venialia delicta nobis diuinitus condonantur.

Cap. XII.

De septem capitalibus peccatis:
De superbia.

Agendum nobis nunc est de ea peccatorum distinctione, qua peccata in septem capitalia diuidi solent, de qua re Alex. p. 2. q. 135. m. 1. c. 2. S. Tho. 1. 2. q. 84. art. 4. Nauar. in Man. cap. 23.

Primo quaeritur, quam ob causam peccata omnia, in septem potissimum capitalia distribuuntur; cum pleraque alia sint, quæ ad ea septem minime reuocari queant? Respondeo, Septem capitalia peccata, non ideo dici, quod sint cæterorum omnium causa, & origines; sed quia vnumquodque illorum sit multorum aliorum caput, & causa. Ac licet apud Apostolum Ioannem habeatur, *omne quod in mundo est, aut concupiscentiam carnis esse, aut concupiscentiam oculorum, aut superbiam vite*: vbi tria præcipua peccatorum genera ponuntur, videlicet Superbia, Auaritia, & Libido, eo quod cæteris frequentiora, & vitatiora sint in hominum vita: Nihilominus tamen statuendum est, esse communi Theologorum doctrina, septem esse capitalia crimina, scilicet, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Inuidiam, & Accidiam, de quorum singulis breuiter, & dilucidè eo, quem posui, ordine, est mihi in præsentia differendum, vt ita facile quandoam ea lethalia sint, quando venialia, inter nosci queat.

Secundo quaeritur, quot modis Superbia accipi solet? Respondeo, ex Greg. lib. 31. Mora. cap. 31. S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 1. c. 8. & Nauar. in Man. c. 23. Alex. p. 2. q. 136. m. 1. c. 3. Primo eam sumi latius, prout est voluntas violandi legem siue præceptum: & tunc omne peccatum est superbia, quia est alicuius præcepti seu legis violatio. Dicitur autem omne peccatum, Superbia, quia aliquid commune habet, quod est superbiam propriam. Superbus enim propriam excellentiam concupiscit, & quaerit, ac ideo vult, & amat excellere, ac eminere cæteris; & propterea vult, quantum potest, nemini subijci. Omnis autè, qui peccat, hoc ipso, quod legem perumpit, & præceptum perfringit, vellet nulli legi, aut præcepto subesse: factio saltem, licet nõ affectu. Deinde, accipitur Superbia præ-

fus, & strictius, quatenus scilicet est quædam legis, & præcepti contemptio; quod etiam solet esse superborum, qui cum propriam excellentiam appetant, cæteros homines despiciunt, vt seipso extollant, & efferant. Tertio modo, accipitur superbia adhuc restrictius, prout est immoderata propriæ excellentiæ cupiditas, sed in quacunque re siue materia. Sic superbi dicuntur, qui amant cæteris esse, & haberi superiores in doctrina, disciplina, arte, ingenio, facultate, potestate, administratione quarumcunque rerum: ac tales solent esse alijs omnibus odiosi, & infensi. Tandem Superbia sumitur proprie; eo, inquam, modo, vt est immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus, siue ijs in rebus, quibus honor, & reuerentia debetur. Quo fit, vt Superbia sit accepta à cæteris peccatis, quæ cum ea affinitatem habent, distinguatur, Nam superbus, vt talis, propriam excellentiam concupiscit in his, quæ reuerentia, & honore sunt digna; honos autem, & reuerentia debetur ijs, qui ætate, sapientia, dignitate, potestate, auctoritate, vel virtute præstant.

Tertio quaeritur, An ad rationem superbiæ pertineat Dei aliorumque despectio, atque contemptus? Cai. 2. 2. q. 162. a. 2. c. in sum. superbia, id videtur affirmasse. At enim superbus solet quidem Deum cæterosque despiciere; ad rationem tamen superbiæ, non attinet contemptus, & diuersæ peccatorum formæ sunt superbia, & contemptus: vt testatur Nau. c. 23. a. 6. superbus enim, personæ suæ excellentiam in honoribus affectat; contemptus autè est deprauatus animi affectus, quo quis alios spernit, infra se ducit, ac pro nihilo putat, & æstimat.

Quarto quaeritur, cuiam virtuti superbia opponatur? Respondeo, cum S. Tho. 2. 2. q. 162. a. 2. ad 3. Alex. p. 2. q. 136. m. 1. Humilitati, ac magnanimitati. Humilis enim est, qui sese alijs subijcere amat, & studet, iuxta rectæ rationis præscriptum: vnde etiam se pari, & æquali inferiorem præbet, prout ratio postulat. Humilis item se à magnis rebus, & excelsis gerendis abstinere, quantum potest; primum omnem, & excelsam recusat, & fugit. Magnanimus autem est qui magna quidem, & excelsa amat, & appetit: sed iuxta rectæ rationis, & prudentiæ regulas: quare licet magnitudinem, principatum, & excelsum optet; nõ eo tamen animo, vt propriam excellentiam quaerat, sed vt magnas res administret ac gerat eo modo, quem recta ratio homini à natura insita, vel etiam lex ipsa diuina suadet, ac præcipit.

Quinto quaeritur, quandoam superbia lethalem culpam inducat? Respondeo, cum S. Tho. 2. 2. q. 162. a. 5. Alex. p. 2. q. 136. m. 5. Nau. c. 23. a. 8. tunc, quando quis appetit propriam excellentiam immeritam, aut suis meritis maiorem, aut malis artibus, hoc est, modis minimè debitis, videlicet contra ius omne, & fas, lege vel præcepto violato, aut cum damno, & detrimento notabili aliorum. Item, quando propriam excellentiam concupiscit, capta, aut quaerit ex re falsa, vel vera, sed mala: vel bona quidem, at in malum finem relata. Est verò veniale peccatum, Superbia, quando caret plena, & perfecta animi deliberatione, cuiusmodi sunt subiti animi motus, quibus præsticiam propriam quis affectat: item, quando res in qua primatum, & excellentiam appetimus, parua est, & exigua.

Sextò quæritur, quot & quæ sint Superbiæ filia, hoc est, species siue partes? Respondeo cum Greg. lib. 23. Mor. c. 7. S. Tho. 2. 2. q. 162. a. 4. Alex. 2. p. 9. 136. m. 10. Nauar. c. 23. n. 7. quatuor. Prima est: qua quis putat bona, quæ habet, à se habere, non aliunde, siue ea sint naturæ siue gratiæ bona: nam & naturæ quidem bona siue sint animi, siue corporis, siue externa, Dei dona sunt. Quoniam quicquid boni in nobis inest, id omne referendum est acceptum vni Deo honorum omnium fonti, & auctori. Altera filia superbiæ est, cum quis agnoscit quidem bona, quæ habet, se à Deo accepisse, sed tanquam suis meritis digna, & debita. Tertia est, cum quis sibi assumit, ac tribuit bona, quæ habet, aut maiora, quam habet. Quarta, cum quis alios contemnit, aut non vult cuiquam subijci. Est tamen animaduertendum, superbiæ propriè non esse iudicium rationis, quia superbia in actu voluntatis consistit, supradicta autem mentis iudicia dicuntur superbiæ filia, quia ex inflato, & superbo voluntatis affectu mens tenebris offusis obscuratur, & talia iudicia fingit, ac formæ.

Cap. XIII.

De inani gloria.

Ad superbiæ rediguntur deprauati voluntatis affectus, quibus magnum quiddam, & excessum immodicè concupiscimus: & talis animi affectio, inanis gloria est, atque Vana gloria nominatur.

Primum itaque quæritur, in quo consistat inanis gloriæ peccatum? Respondeo, cum S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1. Alexand. 2. p. 9. 137. m. 1. Nauar. c. 23. nu. 9. in eo, quòd sit immoderata gloriæ, laudis, famæ, vel sui ipsi exultationis libido. Nam fama, nominis celebritas, laus, & gloria, mala quidem per se non sunt, nec per se bona, sed media tantum, & indifferentia: cum tamen ea captamus, aut captare cupimus, vel ab ijs rebus, quæ laudem non promerentur, vel ab ijs personis, à quibus laus, & commendatio nostra expectanda non est, vel malis artibus, & modis iure vitæ, vel ob finem malum, vana sunt. Quo fit, ut qui virtutis officium præstat eo animo, ut humanam laudem aucupetur, inanis gloriæ vitium contrahat. Virtus enim ipsa per se quidem laude est, & commendatione dignissima: sed eam à Deo solo, & non ab hominibus quærere, & expectare debemus. Præterea, virtus laude humana longè maius, & præstantius bonum est, & per se laudem habet: ergo virtutem in humanam laudem tanquam in finem referre, vanum est & inane.

Secundò quæritur, quando Inanis gloria lethalis sit? Respondeo, cum S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 3. Alex. p. 2. q. 137. m. 2. Nauar. c. 23. nu. 10. esse tunc, quando operatur, aut quæritur ex re valde mala, aut malis artibus, aut ad malum finem relata. Ex quo etià efficitur, ut sciri possit, quando ea venialis sit, sæpe enim irrepunt, & influunt in animum subiti quidam motus, quibus laudè, & gloriam humanam auidè concupiscimus, quos reprimere, ac frænare negligimus.

Tertiò quæritur, An laudem, & gloriam humanam captare sit malum? Respondent. S. Tho. Alexand. & Nauar. locis cit. esse, si solam hominū lau-

dem, vel gloriam aucupemur. Apostolus aiebat: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Glossa i. rem Matth. 6. Laus hominum (inquit) appeti non debet, nimirum sola. Laus enim, & gloria, ut sit rationi congruens, expectari debet ab ijs, à quibus oportet: sicut etiam appetenda est in rebus, in quibus expeti debet: à solis autem hominibus, qui labi, decipi, & falli, & alios item fallere, ac decipere possunt, nequaquam est laus, & gloria quærenda, vel expectanda. Poterit autem citra vllum vitium humana laus amari, & appeti, quando non sola, sed propter Dei honorem, & hominum salutem expetitur.

Quartò quæritur, An ob virtutum officia, & opera liceat humanam laudem, & gloriam exquirere? Dubitatio indè oritur, quia virtutis opus per se laudem, honorem, & gloriam promeretur, item, Matth. 5. dicitur: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Apostolus quoque: Proiudicet, inquit, bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Sapiens etiam nos admonet, ut curā boni nominis habeamus, quia & multi sapientes, & probi viri studio laudis, & honoris plurima præclare gesserunt; vnde ille: Honor (inquit) alit artes, & omnes ad studia accendimus gloria. Respondeo, Christum Matth. 6. monuisse nos. Nam attendit, inquit, ne inflati vestram faciatis coram hominibus; ut videamini ab eis; ac postea subiungit de inanis gloriæ cupidis; Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Virtus itaque, amanda, & colenda est propter se, honestas enim per se est expectanda. Et cum obijcitur, laude & commendatione est digna: Respondeo, Verum est, & cum ita sit, virtus proinde est colenda, quia per se laudabilis, & honorabilis, non eo quidem, ut ob eam fas sit humanam laudem, & gloriā venari, sed vt studiosè, & bene agatur, cum virtuti & honestati laus, & gloria debeatur; eam autè expectare debemus à Deo; apud quem virtus, & honestas certam habet laudem, & commendationem, iuxta illud Apostoli de Iudæo, qui verè est circumcisus corde, in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Quintò quæritur, quoniam sint, & dicantur filia Inanis gloriæ? Respondeo ex Greg. lib. 31. Mor. c. 31. S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 4. Alex. p. 2. q. 137. m. 10. Nauar. c. 23. n. 10. esse septem, & propterea à quibusdā inanis gloria pro capitali vitio ponitur; Superbia exclusa: aiunt enim illi, superbiā inter capitalia crimina numerandam non esse, quia est omnium fons, & origo peccatorum, vt docet Greg. li. 31. Moral. c. 31. Cōmunis tamen opinio superbiā inter capitalia peccata recenset, & ad eam potius Inanem gloriā, & filias eius reuocat. Sunt itaque Inanis gloriæ filia septè hæc, quæ sequuntur, test. Greg. loco cit. Iactantia, Nouitarum, vel Nouarum rerum cupido, Hypocritis, Pertinacia, Discordia, Cōtentio, Inobediencia: hæc enim omnia sunt quidam immoderati voluntatis affectus, quibus homo præter modum propriam excellentiam affectat factis, & verbis.

Iactantia est qua quis immodicè se extollit, & effert. Qui si se laudet ob re malè factā, falsam, vanā vel inutilem, peccat: quòd si cū graui hominis detrimento, lethalis erit culpa. Velut si se aliqua in arte, administratione, vel disciplina peritū & expertū prædicet, eum tamē sit ignarus, rudis, & ineptus.

Cupidi-

Cupiditas nouitatu, aut rerum nouarum, cum nimia est, & immoderata, culpā habet lethalem quidem, quando graui damno quemquam afficit, aut finis deprauatus exquiritur: venialem verò, quando est de re vana, inutili, & leui. Qui igitur noua ciborum, epularum, vestium, ludorū, spectaculorum, & similibus rerum genera in ciuitates inuehant, qui rerum nouarum inuenta, sine causa introducunt, in vitio, & culpa sunt. Qui item nouas opiniones in scholas inducunt, meritò notantur, & arguuntur.

Hypocrisis, est vitium, quo, quis factis vitæ integritatem & sanctimoniam fingit, ac simulat, cupiens, & studens bonus haberi, & prædicari.

Pertinacia, vitium est, quo quis suo iudicio adherens, aliorum sententiæ non cedit. is enim dicitur Pertinax, qui suæ sententiæ, & iudicij nimium est tenax: quare pertinacia, volūtas est, & studium, vincendi in eo, quod quis sentit, & iudicat.

Discordia est, qua quis suæ voluntati aduersus alienæ voluntati minimè consentit.

Contentio, qua quis cū alio peinaciter decernat.

Inobedientia, est vitium, quo quis imperata facere recusat, ac refugit. Quæ aliquando generale crimen est, aliquando speciale à reliquis distinctum. Generale est, cum leges, & iura perfringimus, cum contra iussa, & præcepta delinquimus: speciale verò, cum eo animi affectu peccamus, vt iussa, & imperata violemus: ad inobedientiam enim, vt talis sit, voluntas, & amor non parendi superioris imperio requiritur.

Annotandum est, in his tunc lethalem culpam inesse, cum Proximo graue damnum infertur, aut grande aliquid imminet peccati, periculum, aut cum in deprauatum finem animum, & mentē intendimus. Deinde, sciendum est, aliqua ex his, quæ diximus, interdum ex alijs peccatis oriri, talis est Contentio, Pertinacia, & Discordia, quæ vitia sepe ortum habent ex Ira. Præterea, sapius in finem alium malū diriguntur, velut Hypocrisis, & Inconstantia ob lucrum comparandum. At verò siue ex alijs peccatis enascantur, siue in alium finem referantur, semper ex suo genere, & natura suat species Inanis gloriæ, quoniam quiddam superbiæ proprium retinent sibi, nimirum propriæ gloriæ, & excellentiæ studium, & amorem.

Cap. XIV.

De Ambitione.

PRIMO queritur, In quonam consistat Ambitionis prauitas? Respondeo, cū S. Tho. 2. 2. q. 131. Alex. 2. p. q. 141. m. 7. in eo, quod sit immodicus honoris, potestatis, vel dignitatis appetitus. cupit Ambitiosus honores, dignitates, imperia, publicas rerum administrationes, dominatus, & alios honorificos titulos, & gradus. Ex quo fit, vt Ambitiosus a superbo differat, quòd hic ceteris omnibus excellere cupit, ac studet, & proinde nemini subijci; ille verò proprium honorem, & dignitatē, potentiam & dominatum affectat. Distinguitur etiam Ambitiosus ab inanis gloriæ cupido, quòd ille ad potestatem, imperium, dominatum aspirat, auidē, hic verò amat honorari, & clarus haberi. Quòd fit, vt in appetendis beneficijs Ecclesiasticis; aut in publicarum rerū administrationibus possit quis diuersis rationibus in superbiā, ambitio-

nem, inanam gloriā, auaritiā, & arrogantiā incurrere. Si enim prædicta concupiscat, vt alijs excellat, est superbus: si vt potentia, & dominatu valeat, ambitiosus: si laudem, & gloriā humanā aucupatur, gloriæ cupidus: si lucrum appetit, Auarus: Arrogans verò est, cūm vltra vires suas publicæ officia, & administrationes affectat, & cupidē consecratur.

Secundo queritur, Quando Ambitio sit lethifera? Respondeo, eodē modo esse de Ambitione dicendum, quo de inani gloria diximus. Nam si quis ex re mala, vana, inutili, falsāque honorem aut dignitatē concupiscat, peccat: item, si malis artibus, ac modis contra ius, & fas ea sibi comparet, si ad malū finē dirigat, si indignè ea retineat. Indignè aut videtur acquirere, vel retinere is, qui cōtra legem naturālē, diuinā, vel humanā sibi ea cōparauerit, vel ante quæ sita retinuerit. Idem planè est dicendū de Arrogantia, quā præsumptionē appellant, peccat enim, qui cum sit rudis, imperitus, inexpertus, aliqua alia ratione minimè idoneus, rerum publicarum administrationes appetit, vel assumit sibi, vel suscipit etiam oblatas.

Cap. XV.

De Auaritia.

PRIMO queritur, Cui virtuti Auaritia se opponat? Respondeo, cū S. Tho. 2. 2. q. 115. ar. 3. Alex. 2. p. q. 141. m. 3. Nau. c. 23. m. 69. Liberalitati, & Iustitiæ: nam Iustitiæ est, tribuere cuique, quod suū est: Auarus aut, aliquādo etiā quod alienū est, sibi retinet, vsurpat, & occupat. Liberalis viri est ex suis bonis alteri gratis aliquid dare, eo affectu, & animo, vt donet, conuenienter tamen recte rationi, nimirū ijs, quibus æquū est, & sicut oportet; Auarus verò suorum bonorū nimium est tenax: quòd fit, vt ad restituendum cōpelli debeat, quādo contra iustitiā peccat, nō autem si contra liberalitatem agat, nam quando agit contra liberalitatē, solum sua alteri denegat; quando verò cōtra Iustitiā, alteri eripit, quod suū est, aut quod est alienum, sibi retinet.

Secundo queritur, In qua materia & re obiecta versetur Auaritia? Respondeo S. Tho. 2. 2. q. 118. a. 2. c. 3. Alex. 2. p. q. 141. m. 1. in pecunijs, & diuitijs præter modum acquirendis, augendis, conseruandis, & retinendis: vnde auaritia opponitur liberalitati. Est itaque Auaritia, nil aliud nisi immodica lucri cupiditas; lucrum autem maxima ex parte in re pecuniaria consistit, & ex ea comparatur.

Tertio queritur, Quot & quæ sint Auaritiæ filia? Respondeo, ex Greg. lib. 31. Mor. c. 31. S. Tho. 2. 2. q. 118. a. 8. Nau. c. 23. m. 72. Alex. p. 2. q. 141. m. 1. c. 9. 144 m. 5. esse sex vitia, quorum caput, & origo est Auaritia, videlicet, Duritiā cordis, & Immisericordiam, qua necessaria ad vitæ vsus inopi denegantur; Nimiam mentis sollicitudinem, diuitiæ namque avari animum sollicitant, & angunt; earumque curę velut spiciæ pungunt, & cruciant. Tertia filia Auaritiæ, est violentia, quæ saepe alijs infertur. Quarta est Perfidia, qua fides in promissis, pactis, conuentis, & rebus creditis frangitur atque violatur. Quinta, Periurium. Sexta, Fraus, & Dolus, qui in negocijs contrahendis sæpenumero intercedit. Et quamuis huiusmodi vitia ex alijs oriuntur, frequentius tamen ex Auaritia enascuntur.

Ex dictis cernere est, quando Avaritia sit lethalis. tunc enim est, quando ea infert alteri graue detrimentum, & damnum.

Cap. XVI.

De Luxuria.

PRIMO queritur, Quare Luxuria dicatur capitale vitium? *Respondeo*, cum S.Tho. 2. 2. q. 153. a. 4. Alex. 2. p. q. 143. m. 1. Naua. c. 23. n. 12. non ideo dici: quia sex vel septem, sub se species habeat, de quibus in sexto Decalogi præcepto differendum erit, sed quia aliqua vitia tãquam filias quasdam gignat, ac procreet; quæ iuxta B. Greg. lib. 31. Mora. c. 31. S. Th. 2. 2. q. 153. a. 5. Alex. p. 2. q. 144. m. 7. Nau. c. 23. n. 13. sunt octo: Cæcitas mentis, Præcipitatio rationis, Inconsiderantia, Inconstantia, Immodicus amor sui, Nimius huius sæculi amor, Horror futuri, Odium Dei: quæ omnia ex alijs quoque vitijs licet pullulent, sepius tamen solent esse luxurix partus.

Secundo queritur, quid sit luxuria, vt est capitale vitium? *Respondeo*, immoderatam esse rerum libidinosarum cupidinẽ, quæ in eo consistit, quod sit extra legitimũ coniugium. S. Th. 2. 2. q. 153. art. 4. Alex. 2. p. q. 113. m. 3. & 6. Quo verò pacto luxuria sit in nostris factis, dictis, vel affectibus, in eodem sexto Decalogi Præcepto latè explicabo.

Cap. XVII.

De Ira, & Inuidia.

PRIMO queritur, Quid sit Ira, vt est capitale vitium? *Respondeo*, S. Th. 2. 2. q. 158. a. 1. & a. 2. & a. 6. Alexan. p. 2. q. 139. m. 1. Nau. c. 23. n. 15. nequam esse animi affectum, sed deprauatum habitum vel actum, quo præter modum iniuriæ acceptæ vindictã appetimus, quare mansuetudini, clementiæ, recti cõs, ac debite vindicationi aduersatur.

Secundo queritur, quot sint Iræ species? *Respondeo* cum Greg. lib. 31. Mora. c. 31. S. Th. 2. 2. q. 158. a. 7. Alex. 2. p. q. 144. m. 3. Nau. c. 23. n. 15. septem, quæ sunt Indignatio, Tumor, Clamor, Blasphemia, Contumelia, Opprobrium, & Rixa. Addunt quidam his quatuor alias, nempe Maledictum, Seditio-nem, Bellum, & Vindictam, sed prioribus septem concluduntur.

Tertio queritur, quando Ira sit culpa mortife-ra? *Respondeo*, cum S. Th. 2. 2. q. 158. a. 3. Alex. p. 2. q. 139. m. 5. 6. & Nau. c. 23. n. 15. 16. & 17. ad hoc requiri primò plenam animi deliberationem: *Deiudè*, vt ira sit absq; iusta causa, & legitima; aliò qui enim peccatum non est. Postremò, vt sit in re graui, quæ non parũ habeat momẽti, & ponderis.

Quarto queritur, Cui virtuti opponatur inuidia? *Respondeo*, S. Th. 2. 2. q. 36. a. 1. & 2. Alex. 2. p. q. 13. m. 8. Nau. c. 23. n. 18. Charitati, quæ gaudet bonis alterius. Non tamen ita opponitur, vt sit vitij Charitati contrarium; tale enim est odium: sed opponitur charitatis effectui. Charitas enim lætitiã parit, quæ delectatur alienis bonis: Inuidia verò est huic lætitiæ contrariã tristatur enim prosperitate aliena, quæ ipsi nos caremus, quo fit, vt Inuidia sæpe sit lethalis; quia cum charitate pugnat, quæ rebus secundis alterius delectatur.

Quinto queritur, Quare Inuidia inter capita lia vitia numeretur? *Respondeo*, cum Greg. lib. 31.

Mora. c. 31. S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 4. Alex. 2. p. q. 144. m. 2. Nau. c. 23. n. 18. Ideò, quod gignit quinq; alia vitia tanquã filias, Odium (inquã) Detractionẽ, Sursurationem, Lætitiã de rebus aduersis, & Tristitiã de secundis rebus alienis: quæ omnia ex suo genere, & obiecto lethalia sunt crimina; venialia verò, vel ob materiæ paruitatẽ, vel ob imperfectionem actus.

Cap. XVIII.

De Gula & Accidia.

PRIMO queritur, in quo Gula, vt est capitale vitium, consistat? *Respondeo*, cum S. Th. 2. 2. q. 148. a. 1. & 2. & a. 5. ex Greg. lib. 30. Mora. c. 27. Alex. 2. p. q. 142. m. 1. Nau. c. 23. n. 19. in cibis, & potib; quibus auidè vltra modum vtimur, quare Gula Temperantiæ, & Sobrietati aduersatur.

Secundo queritur, quot sint Gulæ partes? *Respondeo*, ex S. Greg. lib. 31. c. 31. & S. Th. 2. 2. q. 148. a. 6. Gulam ob id esse capitale vitium, quod pariat alia quinque vitia. Hebetudinem mentis, immoderatam lætitiã, Multiloquium, Scurrilitatem, & Spurcitiã, quæ ex alijs quoque peccatis nascuntur, sed frequentius ex Gula.

Tertio queritur, An sint aliqua veræ, & propriæ species Gulæ? *Respondeo*, S. Th. 2. 2. q. 148. a. 3. Alex. 2. p. q. 142. m. 6. Nau. c. 23. n. 19. Alex. p. 2. q. 144. m. 6. quinque species enumerasse sequenti versiculo contentas.

Præpropere: Laue: Nimis: Ardentè: Studiõ.

Videlicet, Ante tempus edere, vel potare: Nimis festinãter vel zuide: aut nimio apparatu vel sumptu. Alij verò hæc quinque non species Gulæ, sed modos quosdam appellant, in quibus non est lethalis culpa ex genere suo, sed venialis duntaxat: de quibus, & de alijs contra Temperantiã, & Sobrietatem peccatis dicitur cum de Ieiunio tractabitur.

Quarto queritur, quid sit Accidia, vt est capitale vitium? *Respondeo*, cum S. Th. 2. 2. q. 35. a. 1. & 2. Cassia. lib. 10. de inliu. c. 10. in principio. & lib. 9. Alexan. p. 2. q. 40. Nau. c. 23. n. 12. esse vitium, quo quis fastidium deserit. In præsentia tamen pro tristitia sumitur. Nam pigritia res diuinas, aut bonas refugit, & auersatur vt laboriosas, difficiles aut molestas: piger enim timet in agendo laborem, difficultatem, aut molestiam. At verò Accidia res ipsas diuinas, vel bonas fastidio quosdam aspernatur, ac respuit, nulla etiã laboris, difficultatis, aut molestiæ habita ratione. Vnde Accidia si Latina vox esset, videri posset nonẽ accepisse ab Acore, eo quod res bonæ, & salutares velut acide

nobis videantur: ita ut sicut, res, quae acescunt, fastidimus, & auersamur, sic etiã res bonas, veluti acescentes cum tãdio quodam respiciamus, & refutemus.

Sextò queritur, Quot sint Accidia filii? Respò-
deo, ex Greg. lib. 31. Mora. ca. 21. Irido. lib. 2. de sum. hon. S. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 4. Alex. par. 2. q. 14. m. 4. Naua. ca. 23. m. 25. esse quinque, Desperationem, Pusillanimitatem, Torporem animi, Rancorem, & Euagationem mentis: quae omnia ex genere suo lethalia sunt, quia aduersantur plurimũ charitati.

Cap. XIX.

De magnitudine, & paruitate peccatorum.

Hactenus explicui modum, quo peccata inter se distinguuntur: reliquum est, ut exponam, quae peccata sint alia alijs grauiora, quae leuiora.

Primò queritur, An peccata vniuersa sint sibi inuicem connexa? Respondeo, non esse: neque enim qui cõtra vnum aliquod præceptum delinquit, contra alia omnia peccat. Solum huic rei illud videtur ob stare, quod Iacobus Apostolus ait: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: quae sententia non paruam quibusdam negotium facebat: quo pacto omnium præceptorum reus sit, qui vnum tantum præceptum violauit. Non enim quisquis fur est, idem homicida, periurus, aut adulter est. Quidã exponunt esse reum omnium, ratione beatitudinis cœlestis amissa, quia eam admittit perindẽ, ac si contra omnia præcepta deliquisset. Alij, ratione gratiæ, & charitatis, quae quocunq; graui crimine amittitur. Augustinus, & Beda explicant: Qui offenderit in vno, hoc est in præcipuo charitatis præcepto, quae est plenitudo legis, est omnium reus, quia illud præceptum violauit, in quo pendet omnia. Alij eadem verba intelligunt de ingrati animi vitio: Alij verò exponunt sic: factus est omnium reus, quia legis vniuersitatem, inquit, quam implere oportebat, non seruauit. Alij deum ratione poenae, quam Theologi appellant Damni, interpretantur; quia quicunque in vno offenderit, ab omni iure hereditatis cœlestis excluditur. Sed reuera germana videtur esse sententia Apostoli, quam alij tradiderunt: quam ut plenius, & clarius explicem, animaduertendum puto, Primis Ecclesiae nascentis temporibus fuisse hæreticam quorundam sententiam, putantium quocunq; lethali crimine Deum minimè offendit: nisi cum quis vniuersam legem perfregisset, aut contra charitatem in Deum peccauisset. Lenia item peccata aiebãt, esse charitatis officium erga homines, etiam sæpius denegare, & deserre. Vnde quidam peccata interiora, non esse peccata arbitrabantur. Cõtra quos Dominus pronunciauit, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, tam machabim est eam in corde suo. Ita etiã alij censebant vnum, aut alterum legis præceptum dissoluere, non esse graue peccatum, quo Deus offenderetur, nisi omnia legis mandata violarentur: nec omne peccatum esse iniquitatem: nec vl-

lum esse facinus, aut crimen hominis, qui charitatis officium erga alium hominem prætermitteret. Contra quos scripserunt Iacobus, & Ioan. Apost. ut merito Iacobus dixerit: Qui totam legem seruauerit; in vno autem offenderit, factus est omnium reus, quod idem valet, ac si dixisset; Falli, ac decipi, qui putant, eos solum esse reos legis, qui omnia legis præcepta conuellerent: qui enim in vno offenderit, reus erit legis: sicut etiam est reus, qui contra ius, & legem omnium peccauerit. Et ideo subiungit Apostolus: Qui enim dixit: Non machaberis, dixit & Non accides. Quod si non machaberis, occidas autem, factus es transgressor legis: quasi dicas; Deus, qui legem tulit, non solum offenditur, quando tota lex violatur, hoc est, quãdo ex toto perfringitur, sed etiam quando contra aliquod vnum præceptum delinquitur: hoc est quando lex ex parte soluitur, quoniam qui vniuersam legem condidit, singula quoque eius præcepta constituit. Aduersus eos quoq; scripsit Ioannes dicens: Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas: quasi diceret, qui peccatum facit, etiam iniquè facit, quoniam peccatum est iniquitas, & subijcit: Qui non facit peccatum, ex Deo est: rursus, qui non diligit fratrem suum, in tenebris est. **QVAERE S,** an vitia, qui sunt habitus deprauati, inter se inuicem iuncta, copulataq; sint: cuius quaestiois causa est, quòd virtutes inter se conueniuntur omnes, atque colligantur: ergo & vitia omnia vnã cum Imprudentia debent esse mutuo sociata, & colligata. Respondeo, non esse: sæpe enim contingit, ut quis certo alicui vitio assuetus, & non alijs. Nec virtutes omnes copulantur, & coherent, ut tertio libro demonstrauit.

Secundò queritur, An peccata omnia sint paria? Cicero in tertio Paradoxo docet Stoicorum fuisse sententiam, æqualia esse peccata, & August. tom. 6. de Hæresib. hæres. 82. tradidit Iouinianum sensisse cum Stoicis, Peccata esse paria. Verum enim uerò non solum absurda, & ridicula, quippe quae cum omni sensu generis humani pugnat, sed hæretica etiam hæc sententia est. Ait enim Pilato Christus, qui me tradidit tibi, minus peccatum habet. Nec contra hæc illud multum valet ex Stoicis assertum, id quidem, in quo peccatur, aliud alio maius esse, aut minus, sed peccatum vnum esse, hoc inquam, nihil obstat: nam reuera peccatum est, quatenus rationi contrarium: vnum verò grauius, quia magis rationi aduersatur, quàm aliud. quis enim neget magis contra ream rationem agere, & peccare eum, qui parentem, aut domesticum, aut principem vitium necauerit, quàm qui ignotum hominem, extraneum, aut priuatum? Quis item nisi metis inops inficiari audeat, odiũ, & maledictum coniectum in Deum peius esse, quàm maledictum in hominem, aut quàm odium eius & malenolentia? quis furtum mille aureorum, dicat minus esse furto aureorum centũ pauciorum? At obijciunt Stoici ad suę opinionis patrocinium: Peccatum consistit in priuatione debitæ rationis, sed priuationes aliæ alijs maiores, aut minores non sunt: nõ enim recte quis dixerit, magis mortuum esse, qui multis ab hinc annis decesserit, quã qui tertio ab hinc diemec minor est gubernatoris inscitia & negligetia, si nauẽ periclitari sinat nimio auri, argenteue pòdere,

Exod. 20.

1. Ioann. 3.

S. Tho. 2. 2. q. 73. ar. 2.

quàm si immodica arenæ, vel salis grauitate. Itē si peccare est rectæ rationis metam transilire, ad augendā in transeundo culpā, nihil refert, quàm longē progrediari, cum iam semel trāseris. Respondeo ad hæc omnia, ea facile dilui: asserimus enim peccatum nō esse solam formæ debitæ priuationem, qualia sunt mors, cæcitas, tenebræ, & his similia pleraque; sed etiam esse actum contra rectam rationem factum, vel debiti operis omissionem. Grauius igitur peccatur, cum magis contra rectam rationem agitur, aut cum magis debitum officiū deseritur, & negligitur, aut cum maius præceptum prætermittitur. Nec verò similia dici possunt: Rectæ rationis metas transilire, aut certū loci lineas transgredi, & rectæ rationis normam, & regulam præterire. Nam in transilendis lineis, tota culpa sæpenumero existit, nec semper grauius peccat, qui cum semel transierit, longius procedit; at verò quod magis metas rationis prætergredimur, eo magis delinquimus, quia peccatum est contra rationem agere. Deinde obijcies; Poena peccatis debita, quæ Damni vocatur, est vna, nec maior nec minor, ergo peccata sunt æqualia. Fuere, qui senserint, nō solum poenam sensus malè agentibus debitam inæqualem esse, sed poenam etiam Damni, quia cum peccata non sunt æqualia, poenæ etiam nequeunt esse pares: præsertim cum quisque ea Dei visione, & aspectu priuetur quem obtineret, si benè mereretur. Sed dicendum existimo, poenam damni esse æqualem, quæ est perpetua hereditatis, & regni cælestis priuatio, & sicut peccati macula in eo esse sita, vt sit priuatio gratiæ, nec vlla ratio habetur, quāta sit gratiæ portio, à qua quis exciderit, maior ne an minor, sicut non est maior, aut minor cæcitas ex eo, quod maior, aut minor aspectus oculorum sit amissus; ita nec maior etiam, aut minor poena dāni esse potest, quod maior, aut minor futura esset clara Dei visio, & cælestis hereditatis adeptio. Postremò obijcies, peccatum ideo esse malum, quia est priuatio recti, ac debiti ordinis: & priuatio maior, aut minor non est. Respondet S. Th. 1. 2. q. 73. art. 3. Richard. 2. dist. 42. ar. 4. q. 2. Peccatum non esse priuationem ex toto formam remouentem, sed ex parte: priuationes autem, quæ ex parte tantum formas excludunt, alias alijs maiores esse, aut minores. Et probat, peccatum nequam ex toto rectum rationis ordinem auferre ex Aristotel. lib. 4. Ethic. cap. 5. dicente, *Malum si ex toto malum esset, seipsum perderet.* Quo loco S. Thomas peccatum accepit ex parte auersionis. nam lethale crimen, nos auertit à Deo, & ab eius societate, gratia, & amicitia ex toto disjungit, atque diuellit. Verum, quemadmodum peccata ex conuersione ad obiecta, vna cum S. Thoma specie distinguimus: eodem modo peccata ex obiectis inæqualia fatemur. Item, leuia & venialia delicta alia alijs maiora, minoratè sunt, & tamen nec nos gratia spoliant, nec à Deo separam. Certè negari non potest, multa esse peccata, quibus omni ex parte rationis ordo euertatur, cuiusmodi sunt odium, mendacium, homicidium, furtum, perurium, adulterium: sunt enim actus per se mali. Nec item Aristoteles in eo loco significat, peccatum non esse malum ex toto: tantummodo docet, eum, qui præter modum irascitur, ideo nimis

irasci, quia irascitur, quibus non conuenit, & quando, & quomodo non debet, citius nimirum, aut diutius quàm par esset. Non tamen (inquit) ita, vt eidem iræ omnes excessus infint, non enim id potest: nam malum etiam se ipsum perdit, & si integrum sit, intolerabile euadit. Quod idem est, ac si dixisset: si eidem iræ omnes excessus inessent, vnus alterum euerteret, quoniam sunt sibi contrarij, & aduersi. Verbi causa, Qui citius irasci solet, citius quoque placari consuevit: vnde qui citius irascitur, hoc ipso, citius iram deponit. Item, si in eundem iratum hominem omnes iræ excessus caderent, essent intolerabiles. Malus item nō solum alijs, sed etiam sibi ipsi nocet, quia sibi contrarij. Si itaque immodicè iratus omnes iræ excessus haberet, contra se ipsum quoque irasceretur, & sibi noceret, & sibi quoque intolerabilis esset. Ad obiectum itaque argumentum respondeo, Peccatum nō esse solam debiti ordinis priuationem, sed actum contra debitum rationis ordinē: & quo act⁹ magis à recta ratione distent, eo grauius est peccatum, & magis rectum ac debitum rationis ordinem peruertit.

Tertio queritur, An peccata alia alijs grauiora, & deteriora sint ex obiecto? Respondeo, esse, & ob eam causam peccata per se proximè contra Deum esse maiora his, quæ contra homines admittuntur: & peccata contra præcepta primæ tabulæ Decalogi, esse grauiora ijs, quibus violantur præcepta secundæ tabulæ.

Quarto queritur, An peccata sint grauiora quo maiori virtuti opponuntur? Respondeo, esse, sed nomine virtutis accipere oportet: virtutem, tum id, quod est virtute maius, qualis est synderesis, & recta naturæ propensio, & amor erga se ipsum: quod enim virtus, vel rectæ rationis præscriptum est maius, eo grauius est peccatum, quod cum virtute pugnat, vel à recto disfidet rationis præscripto. Obijcies, simplex cum scorto cōgressus, qui dicitur simplex fornicatio, est peccatum furto maius: at furtum iustitiæ aduersatur, & fornicatio castitati, & tamē iustitia est castitate nobilior, & præstantior virtus. Item, odium proximi charitati repugnat; impietas pietati siue religioni, & infidelitas fidei; at peius est infidelitatis, & impietatis crimen quàm odium proximi, & tamen charitas est virtus fidei, & pietate maior, & dignior. Amplius, in rebus naturalibus, visus potior, & nobilior sensus est tactus; & tamē tactu carere multò peius est, quā aspectu oculorum priuari; ergo peccata non sunt in de grauiora, quod maiori virtuti aduersantur. Respondeo, non semper maiora esse peccata, quæ sunt præstantiori virtuti contraria: quia grauitas, vel leuitas peccatorum potest etiam aliunde proficisci, vt in fornicatione, & furto videre est: nam licet furtum iustitiæ repugnet, & fornicatio castitati, est tamen fornicatio peior furto, quia est contra sobolem, & bonum prolis, quæ ex fornicatione nata malè educatur, & instituitur. Pari ratione, infidelitas siue impietas celsetur peior odio: nam qui sunt à Dei fide, & religione alieni, ab spe quoque, & charitate procul abijciunt: hæc enim absq; veri Dei fide, & religione esse nō possunt, & propterea infideles, & impij in multis peccatis, & criminibus tenentur: sed qui proximum odio prosequitur, non con-

tinuò fide, & spe caret. Cum itaque peccata grauiora aut leuiora reputantur ex eo, quòd pugnet cum maiori, minoritè virtute, id tunc accidit, quando in reliquis sunt paria. Et idcirco etiam in naturalibus, non idèò quòd visus sit tactu nobilior, peior est privatio visus, quam tactus: quoniam statim atque animal tactu vacat, expers vitæ est, non tamen, quia visus amittitur, ideo animal vita caret. Vni item virtuti aliquando multa crimina opponuntur, vt iustitiæ plura iniustitiæ vitia: quare tunc peccatorum inæqualitas, non ex vna virtute, cui aduersantur, exoritur, sed ex varijs obiectis, & circumstantijs.

S. Tho. 1. 2. q. 73. ar. 6.

Quartò quæritur, An peccata sint alia alijs deteriora ex eo, quòd ex causa maiori, vel minori proficiantur? Respondeo, esse: quod tripliciter contingit. Primo modo, quia vni, & non alteri peccato circumstantia accedit: vt si Titius & Caius adulterium admittant, & Titius sit voto castitatis adstrictus; Caius verò solutus. Secundo modo; quando crimè plurium concursu circumstantiarum augetur: & sic parricidium, teste Cicerone in *Paradoxo* 3. peius est simplici homicidio, quòd paritèr, inquit, necare, est eum occidere, qui se genuit, qui aluit, qui instituit, & erudit, qui in domo, & republica collocavit. Quibus verbis non significat in parricidio tot inesse prauitates, quot sunt prædictæ circumstantiæ: sed parricidium ideo maioris esse deformatis, quoniam iustitia, & pietas in parentem violatur: quæ duo meritò ponderantur ex eo, quòd parens filium gignit, educat, instituit, informat, & in domo, ac republica collocat. Tertio modo: quando circumstantia maior est ex magnitudine materiæ; vt si quis furto furripit argenti, argentiuè pondus, alius verò multò minus.

Cap. XX.

Quòd aliunde etiam peccata sint alia alijs deteriora.

S. Tho. 1. 2. q. 73. ar. 7.

PRIMO quæritur, An peccatorum magnitudo ex damno, & detrimento illato augetur? S. Thom. respondet augeri, sed distinguit in hunc modum. Si damnum est præuisum, & voluntarium, auget directè per se; si verò sit præuisum tantum, non tamen voluntarium, auget quidem, sed indirectè. Si autem neque voluntarium sit, neque præuisum, tunc aut ex accidenti subiungitur, aut per se directè. Si primo modo, non auget, licet præuisi iure humano irrogatis subiiciatur; vt si quis rei illicitæ dabat operam, contrahit irregularitatem ex homicidio, illud opus, quamuis sine culpa, consecuto. Si verò secundo modo, tunc auget magnitudinem peccati. Hæc ferè S. Thom. At

contra has S. Tho. regulas est argumentum. Qui alterum incitat ad libidinem, & luxuriam, nocet ei grauissimè, causa enim est, vt gratiam, & charitatem amittat: & tamen deterius est hominem occidere, quam feminam ad libidinem, & luxuriam allicere. Item, qui publico verbo, vel facto alios ad peccandum inuitat, & mouet, damno maximo eos afficit, & tamen grauius peccat homicida. Ergo peccatorum magnitudo, ex damno non pender. *Cæteranus*, & alij S. Thom. discipuli valde in his argumentis diluendis laborant. Sed horum sententijs omiffis, dicendum arbitror; nõ semper damnum illatum noua peccati specie adferre. Quod vt planius intelligam, animaduertere oportet quòdam peccata opere exteriori, alia verò interiore duntaxat voluntatis affectu, & actu compleri. Quæ exteriori perficiuntur, ea nonniam prauitatem suscipiunt, quæ operi exteriori inest, siue sit voluntaria directò per se, siue indirectò tacitè, & implicite. Et propterea homicidium est sacrilegium, si quis clericum occiderit scienter, aut per ignorantiam crassam, etiamsi nollet eum esse clericum. Furtum quoque est sacrilegium, si quis scienter rem sacram furripit, quamuis nollet esse sacram. Et in his peccatis locum habet id, quod tradidit S. Thomas, peccati prauitatem augeri ex damno, quo alteri scienter, & vitro nocemus. Ea verò peccata, quæ terminantur, ac perficiuntur interiori, non omnem prauitatem, & speciem ab opere sumunt externo, nisi directò per se voluntaria sint. Quapropter qui alterum attrahit ad libidinem atque luxuriam, haud se scandali scelere obstringit; nisi eo animo id fecerit, vt peccet ille: nec qui publico suo verbo, vel facto alios ad peccandum incitat, scandali peccatum admittit, nisi eo animi affectu coram alijs deliquerit, vt illi ad peccandum moueantur.

Ad obiecta itaque respondeo: grauius homicidam peccare, quàm eum, qui ad luxuriam, & libidinem alium inuitat, ac mouet: is enim in scandali crimen non incurrit, qui allicit ad peccandum alium libidinis explende gratia, non vt ille à Dei gratia, & charitate excidat peccando. At inquit; Qui consilio, suafione, prece, aut imperio, aut suo facto alterum ad furandum per mouet, & simul cum eo furtum committit, reus est tñ furri, quod ipse perpetrat, tum eius peccati, quod alius admittit ipsius consilio, suafione, hortatu, prece, iussu, vel facto. Respondeo, eum duplici furto numero distincto teneri, vt rectè argumento probatur: at verò si quis facto suo, aut verbo alium ad furandum alliciat, & moueat; non se peculiariter scandali delicto, sed furto duntaxat suo facto, vel verbo commisso commaculat: quia scandalum specialem requirit voluntatis affectum, quo quispiam velit peccatum alienum, & alienæ gratiæ iacturam, vt suo loco fufius dicetur. Ex dictis apparet, non augeri peccati grauitatè ex eo, quòd quisque clam lethalem culpam contrahit, & animæ suæ affert interitum, quo à gratia, & charitate excidit: hanc enim animæ mortem per se directò non vult: quauis si directò per se veller, tunc peccati deformitas augetur.

Secundò quæritur, An is, qui directò & per se, verbo, vel facto alterum permouet ad mortem

S. Th. 1. 2. q. 73. ar. 8.

spiritua-

spiritualem animæ, grauius peccat, quam is, qui alteri mortem corporis infert: Duae sunt opiniones, prima est Caietani 1.2. quæst. 73. ar. 8. asserentis eum grauius peccare, quia multo peior est mors animæ, quam corporis: ergo si vtraque per se directò inferatur, grauius peccatum erit mors animæ, quam corporis. Secunda opinio est aliorum, qui asserunt magis peccare eum, qui vitam corporis admittit, quia est integra causa mortis, cum tamen is, qui suo consilio vel hortatu, vel factò alium allicit ad peccandum, non sit auctor ex toto alieni peccati, sed ex parte: tum etiam, quia vita corporis semel erepta restitui non potest; at verò gratia, & charitas amissa potest recuperari. Sed certe probabilior est Caietani sententia, quæ eius ratio, & argumentum comprobatur. Nec verò rationes secundæ opinionis quicquam efficere videntur: alioqui enim grauius esset homicidium, quam crimen, quo quis populum à Christi fide, & religione alienaret. Item, maius esset homicidium, quam odium Dei, infidelitas, hæresis, desperatio: quia per hæc peccata à gratia decidimus, in quam tamè per poenitentiam redire possumus, & tamen vitam corporis semel ademptam nec recuperare, nec reparare amissam possumus.

S. Tho. 1.2.
q. 73. ar. 8.

Tertiò quæritur, An qui alteri directò, & per se ad veniale peccatum per mouit, grauius peccauerit, quam qui alium interfecit? Quæstionem mouet, quòd veniale delictum maius est malum, quam quodcunque malum poenæ: ergo maius est damnum quempiam ad veniale peccatum permouere, quam vitam corporis auferre. Respondeo, eum qui homicidium patrauit, hoc ipso, lethale crimine contraxisse; at verò, qui alium hominem in venialem culpam induxit, non hoc ipso, in lethale crimen videtur incurrisse; nam solum se obligauit eo delicto, in quod alter ex eius consilio, & impulsu prolapsus est.

S. Tho. 1.2.
q. 73. ar. 8.

Quartò quæritur, Quo pacto damnum alterius hominis præuisum, non tamen voluntarium augeat indirectò peccati deformitatè? Nam si præuisum, & cogitatum est, hoc ipso, est voluntariu, si ex peccato enascatur. Sæpius autem admonui, in ijs peccatis, quæ exterius complentur, ex circumstantia etiam indirectò voluntaria, speciem desumi: ergo ex ea quoque peccati grauitas augetur. S. Th. planè docuit præuisum ac cogitatum damnu, & non voluntarium augere peccati grauitatem indirectò: vt puta, si quis, inquit, ad furandũ, vel occidendũ domo egressus, aliena sacra conculcet, id tamen volens per se, & directò. In hac re negari non potest, quin huiusmodi persona, & furti, vel homicidij commissi, & cõculcatæ segetis crimine teneatur, & ad hoc sufficit, si conculcatio segetis indirectò sit voluntaria: nam circumstantia indirectò voluntaria, tribuit actibus humanis bonitatem, vel prauitatem. Quòd autem S. Thomas, damnum ait conculcatæ segetis augere indirectò furti, vel homicidij commissi prauitatem, ideo dixit, quia Titius furtum, vel homicidium volebat, non autem segetis conculcationem: ea enim solum fuit voluntaria in causa, non per se, & proindè indirectò, id est, ex eiusmodi cõculcatione indirectò voluntaria, maior effecta est furti, vel homicidij prauitas. Non tamè inde efficitur, vt neget S. Tho-

mas, in factò Titij ineffe peccatum furti, vel homicidij, & peccatum conculcatæ segetis.

Quintò quæritur, An damnum, quòd casu ex peccato alicuius existit, ac furti, neque præuisum, neque voluntarium, irrogatis iure scripto poenis subijciatur, absque hoc quòd culpa detur? S. Thomas docet id verum esse; nam ex iure Canonico irregularitas sæpè cõtrahitur ex hoc, quòd mors alicuius hominis cõgigerit ex factò, quo quis rei veritate operam dabat, etiam si neque voluntaria fuerit, neque præuisa, sed casu tantum consecuta. Verum hæc res nõ est huius loci: ea enim ad materiam de irregularitate referenda est, vbi hoc breuiter, & luculenter tractandum est.

Sextò quæritur, An damnum neque præuisum quidem neque voluntarium, natum tamen per se ex nostri peccati actu, augeat directò, & per se criminis prauitatem? S. Thomas ait, auget: quod probat hoc exemplo: Vt si quis peccet publicè coram alijs, ita vt suo factò ad peccandum alios inducat, & allicit. Quòd ad hanc quæstionem attinet, negari etiam non potest, quin id detrimenti consecutum, criminis turpitudinem augeat: verò id sanè est difficile, quò modo, secundum S. Thomam, augeat directò, & per se, cum neque voluntarium sit, neque præuisum. Nihilominus tamen dicimus sufficere, si ex nostro malefactò oriatur, & manet, hoc enim ipso videtur præuisum, & voluntarium. Quòd autem sanctus Doctor asserit, nec esse voluntarium, neque præuisum: intelligitur non esse in se, sed in alio voluntarium; nimirum in nostro malefactò. Obijciat: Ergò Titius, qui publicè coram alijs delinquit, & suo factò eos ad peccandũ impellit, scandali crimine contaminatur. Negamus id sequi: neque enim peccat Titius eo animo, vt faciat eos delinquere, & à Dei gratia decidere: neque S. Thomas voluit id esse scandalum, sed Titium duplici crimine obligari: & eo, quòd ipse per se perpetrat: & eo, ad quòd suo factò alios incitat, & mouet: ita vt si ipse furetur, & suo factò alios ad furandum allicit, duplicis furti scelere sese obstringat, & polluat.

Septimò quæritur, An crimina eò sint grauiora, quò maior, aut dignior est is, in quem peccatur? Respondet S. Thomas, esse: quò dupliciter contingit: primò, quando personæ dignitas, aut conditio distinctam tribuit peccato speciem. Et hac ratione parricidium peius est simplici homicidio: illo enim pietas propinquis debita, hoc verò iustitia, non pietas violatur. Item, cædes clerici non solum est simplex, sed sacrilegum etiam homicidium: & hoc modo in peccatis luxuriæ insunt circumstantiæ speciem mutantes. Secundo modo, dignitas personæ offensa auget quidem criminis grauitatem, nouam tamen peccato speciem non præstat. Vt, si quis hominem innocentè, iustum vel sanctum, vel illustrem, & inclytum trucidet, aut vulneret, aut pulset, & verberet.

Octauò quæritur, An ex dignitate eius, qui delinquit, peccati grauitas augeatur? Respondet S. Thomas augeri: quòd etiam potest accidere dupliciter: Vno modo, vt personæ conditio nouam peccati speciem constituat; veluti si persona sit voto adstricta, aut matrimonio coniuncta; &

contra

S. Tho. 1.2.
q. 73. ar. 8.

ibidem.

S. Tho. 1.2.
q. 73. ar. 8.

S. Tho. 1.2.
q. 73. ar. 8.

contra matrimonij, aut voti leges, & iura faciat: aut si speciali lege, vel præcepto teneatur, quales sunt religiosi, vel clerici in multis, non in omnibus, in quibus delinquant. Altero modo, personæ conditio nouam peccato speciem non dat, auget tamen criminis prauitatem. Vt si amicus amicum lædat: si quis de se bene meritos offendat, si vir probus, & sanctus peccet, si religiosus superbatur, maledicat alicui, si mentiatur. **QVAERES**, an ex hoc capite omne peccatum eo ipso, quod est à Christiano homine commissum, sit deterius, & peius, quàm si ab Ethnico, & Pagano committeretur. Respondet S. Thomas, esse grauius, licet eiusdem speciei crimen sit. **Obijcies**, alio in loco eum docere, si religiosus, & alius, qui est à religione solutus, & liber, in idem peccati genus incurrit, minùs religiosum peccare, quàm laicum. **Respondeo**, negari non posse, quin religiosi hominis peccatum magna ex parte sit grauius, quatenus vel ex maiori legis, vel præcepti contemptu, aut cum aliorum offensione, aut ex pleniori rei agendæ sciencia, vel ex maiori negligentia committitur: Nihilominus tamen verè S. Thomas affirmauit religiosum ex alia parte minùs peccare, quia minus liberè, & voluntariè delinquit: nimirum quia aut occasione incitatus, aut perturbatione animi commotus labitur, & peccat. **Item**, minùs voluntariè peccat vir religiosus, quia renitente, & oblucente ratione, quod non debet malum facere, cum tamen laici liberiùs peccare soleant minùs oblitente, & repugnante ratione. **Ex quo etiam fit**, vt religiosi homines in peccatum lapsi citius, & faciliùs resipiscant, & ad saniores mentem redeant; cum tamen laici diutiùs mente obstinata in peccatis persistant, eò quòd maiori voluntatis affectu malis inhærescant.

Cap. XXI.

Quanam in animæ parte peccata sedem habeant.

PRIMO queritur, An omne peccatum in voluntate tanquam in subiecto, quod appellat, inhæreat? Respondet S. Thom. 1.2. q. 74. art. 1. omne peccatum in voluntate inesse. probat, quia omne peccatum est voluntarium: sed omnis voluntarius actus sedem habet in voluntate, cum sit actio immanens, quæ in ea animi facultate tanquam in subiecto excipitur, ac manet, à qua fit. **Obijcies**, hæresis est peccatum, & tamen non in voluntate, sed in ratione inhæret, quippè quæ est assensus, vel error intellectus contrarius fidei. Vicia item, & virtutes sedem habent in appetitu sensus, vt temperantia, & fortitudo, hisque vicia contraria; sed habitus, & actus in eadem animi facultate reponuntur. Ad hæc, in sermone, & locutione, verberatione, & percussione, qua quempiam vulneramus, cædimus, pulsamus, peccatum inest, & tamen non sunt actus immanentes, quia in externam materiam transeunt. **Conradus**, & alij S. Thomæ discipuli, aiunt S. Thomam non sentire omne peccatum sedem habere in voluntate, cum doceat multa peccata in alijs animæ facultatibus inhære, sed solum omne peccatum esse in voluntate, non vt in subiecto, sed vt in principio, &

causa, cui tribuitur, & imputatur. **Sed S. Thomæ** aduersantur: qui docent, peccatum ideo esse in voluntate, quia omne peccatum est voluntarium, & actio immanens. **Quare cum** Caietano respondemus ad hæc omnia, concedendo peccata in alijs quoque animæ facultatibus inesse, vt statim ostendemus: at nihilominus omne peccatum in voluntate, etiam vt in subiecto inhære, quia nequit esse peccatum nisi voluntarium; sed voluntarium nihil est, nisi quia voluntas id velit, aut non impediat, cum tamen possit, & debeat impedire. **Quare fatemur** hæresin quidem inesse in intellectu, & ratione; cæterum hoc ipso, quod hæresis est peccatum, necessario est error contra fidem voluntarius, & liber: ergò, vt error in ratione reponitur: vt verò voluntarius, & liber, in voluntate. Eodem modo, peccata contraria virtuti temperantiæ, vel fortitudini, sedem quidem habent in appetitu sensus; verum, quia actus sunt voluntarij, in voluntate quoque hærent, & insident. **Pari ratione**, sermo, locutio, verberatio, percussio, quamuis ex parte transeat in externam materiam; hoc ipso tamen, quòd sunt peccata, sunt necessario voluntaria, quare in voluntate itidem collocantur.

Secundo queritur, An peccata insint quoque in cæteris hominis facultatibus? Respondet S. Thom. 1.2. quæst. 74. artic. 2. inesse: quod per se colligitur ex paulò antè dictis. Nam virtutes, & vicia in cæteris etiam facultatibus reponuntur, vt fides, hæresis, imprudentia, in ratione; Fortitudo, temperantia, abstinentia, sobrietas, castitas, mansuetudo, clementia, ira, tristitia, inuidia, in appetitu sensus. **QVAERES**, quomodo hæc duo sibi cohæreant; Omne peccatum inhære in voluntate, & tamen multa inesse quoque in alijs facultatibus? **Sed facilis est** responsio, vt docet Caiet. 1.2. quæst. 74. artic. 1. hæc sibi constare: quia omne peccatum, quatenus voluntarium, refidet in voluntate; at quatenus est actus quidam ratione suæ substantiæ, sedem quoque habet in alijs hominis facultatibus, vt puta hæresis, cum sit error in fide, per substantiam suam actus est intellectus; sed quia voluntarius, inhæret itidem in voluntate. **Ad eundem modum**, intemperantiæ actus, ratione suæ substantiæ insidet in appetitu sensus; sed quatenus voluntarius, inest quoque in voluntate. **In hoc enim** Caietanum sequi possumus, ira S. Thomam explicantem: nisi potius sequi velimus Conradum, & alios S. Thomæ discipulos asserentes, non omnia peccata in voluntate, vt in subiecto inhære, sed aliqua in alijs hominis viribus inesse; omnia tamen in voluntate, vt in originem, & causam conferri: ira vt omne peccatum sit voluntatis tanquam causa, vnde existit, ac pendet. **Ex his perspicitur**, in ratione hære peccata duplicia, videlicet ignorantiam eorum, quæ scire, & nosse, lege aliqua, vel præcepto compellimur, & hæresim, & cætera, quæ contra fidem crimina admittuntur, quoniam Fides est in ratione; in appetitu verò sensus reponuntur peccata temperantiæ, & fortitudini contraria: quia fortitudo, & temperantia in eo appetitu residere dicuntur.

Tertio queritur, An in sensib' externis, & membris corporis peccata inhærescant? S. Th. 1.2. q. 74.

art. 2. ad 3.

Modi 1. 2.
q. 74. art. 1.
ad finem.

art. 2. ad 3. concedit quidem in intellectu, & appetitu sensus inesse peccata, negat tamen in externis sensibus, & membris corporis. Quidam putant, non sibi S. Thomam constare: quia qua ratione in appetitu sensus, & intellectu peccata reponuntur, poni quoque in sensibus debent; omnes enim huiusmodi facultates, à voluntate mouentur, quamquã per se sunt libertatis expertes. Præterea, sicut error intellectus, quatenus voluntarius, sæpè vitio, & culpæ tribuitur; sic etiam in aspectu, sermone, auditione voluntaria frequenter inest peccatum. Ad hæc, exteriores actus sunt sensuum, & membrorum functiones, & opera, vt furtum, homicidium, percussio, adulteriũ, detractio: qui tamen actus vitiosi sunt, & prauis suapte natura. Dices; actus quidem exteriores transire in externã materiam; sed peccata esse ipsos actus immanentes. Sic Caiet. Conrad. 1. 2. q. 74. ar. 1. & 2. & Medi. & alij S. Thomæ discipuli; nihilominus hoc facillè refellitur: dicimus enim actus immanentes, esse peccata, & eatenus esse peccata, quatenus sunt actiones voluntariæ rationi cõtrariæ; sed idem etiam conuenit actibus exterioribus, quippè qui sunt voluntarij actus, quatenus peccata. Præterea, S. Thomas videtur secũ pugnare: nam alibi, nimirũ 1. 2. q. 81. ar. 1. aperte fatetur actus membrorum exteriorum aliquãdo esse peccata lethalia certè diffiteri nõ possumus, in actibus externis peccata inesse eadem ratione, qua sunt in actibus intellectus, & appetitus sensus, videlicet quatenus actus voluntarij sunt. At verò S. Thomas (vt alij quidam interpretantur) ideo negauit in membris peccata inherere, quia in vniuersum iam ante tradiderat, nimirũ 1. 2. q. 56. ar. 4. & 5. habitus studiosos, vel vitiosos in sensibus externis, & in membris minimè inesse: & quia habitus, & actus in eadem hominis facultate sedem habent, idcirco inficiatur S. Doctor in externis sensibus, & membris peccata residere, hoc est, habituum vitiosorum actus: cum igitur ait S. Thomas, in corporis membris, & sensibus externis non esse peccata, nihil aliud dicere voluit, nisi in ipsis non esse vitia: nam vitia pro peccatis, & peccata pro vitijs sæpius ponuntur. Alij intelligunt S. Thomæ sententiam in hunc modum, non quòd neget S. Thomas in corporis membris, & sensibus externis esse actiones, quæ peccato tribuantur & culpæ, quatenus à voluntate existunt, & pendunt: sed quòd neget vlla esse peccata eo modo, quo esse possunt in ratione, & sensibus internis, vel appetitu sensus: nam in his facultatibus solent esse peccata venialia, quæ præueniunt plenam, & perfectam rationis, & voluntaris deliberationem, quamuis imperfectam sequantur: at in membris corporis, & sensibus externis nõ solent esse talia peccata: quia vt ait S. Tho. 1. 2. q. 74. ar. 2. ad 3. membra corporis, & sensus externi nõ sunt principia actionum: hoc est non se mouent, non se excitant ad agendum sine animo, à quo naturaliter mouentur, & cui naturaliter parent. Nobis tamen (quicquid de S. Thomæ sententia iudicare velis) probabilius videtur, in sensibus, & membris aliquando peccata inherere: multi enim sunt sensuum actus immanentes, vt degustare, videre, audire, odorari, qui actus, vt ex voluntatis imperio, & impulsu fiunt, peccato, & crimi-

ni dantur. Deindè, quamuis membrorum actus sæpè transeant in materiam externam, coniunguntur tamen cum motu, qui membris inest: neque enim locutus fit absque motu linguæ, nec homicidium, aut furtum absque motu manuum. Insuper, vt supra docuimus, peccatum non semper est actus propriè acceptus, sed quicquid se habet instar actus, quod legibus imperari, aut interdici potest, laudari, vituperariue: cuius generis sunt stare, sedere, seu quiescere, armatum, vestitũ esse, in foro commorari, in lecto iacere; hæc enim singula præcipi, aut vetari queunt, & propterea in laude, aut vituperatione consistunt, & tamen actus non sunt.

Quartò queritur, An in actibus reliquarum facultatũ sint peccata per se, & intrinsecè, an verò solum extrinsecè, & per aliud? ita vt in sola voluntate sint per se, & intrinsecè peccata. Dux videntur esse opinioniones: Prima est Scot. 2. d. 42. q. 4. art. 2. §. ad primum. Duran. 2. d. 42. q. 1. art. 1. Ocham, 3. q. 10. & quod. 1. q. 20. Gabr. 2. d. 42. q. 1. art. 1. & 2. Almai. tract. 3. mor. c. 18. Bonau. 2. d. 42. a. 1. q. 1. Richard. 2. d. 42. a. 1. q. 1. Mai. 2. d. 42. q. 1. peccata propriè, & per se, ac vt ipsi loquuntur, formaliter solummodo esse in actu voluntatis interiori, extrinsecus verò in actibus reliquarum facultatum: qui actus non sunt peccata per se, sed per actum voluntatis, per quem sunt voluntarij, & liberi: quod hac vnica ratione conantur ostendere. Peccatum est voluntarium, & in genere moris constitutum; at solus actus voluntatis interior est per se voluntarius, & liber; ceteri verò sunt extrinsecus voluntarij, & per voluntatem in genere moris repositi, sine voluntate enim actus quicumque sit ille, genus solum naturæ, non moris habet: ergo solus voluntatis actus interior est per se malus, reliqui verò extrinsecus per internum actum sunt mali. Secunda sententia docet actus externos, qui ex materia, & re obiecta, in qua versantur, sunt mali, si accipiuntur, quatenus sunt rationis obiecta, esse malos per se, hoc est, ante voluntatem, ex se, & in se prauitatem habere, non ab ipsa voluntate: si verò sumantur, vt sunt facti, siue vt in facto consistunt, non sunt prius mali, quam voluntas sit mala: vnde sicut à voluntate mala fiunt, sic per malam voluntatem mali sunt. At verò omnes actus externi, qui mali non sunt ex materia, & re obiecta, sed ex malo voluntatis affectu, & proposito, quomodocunque considerentur, non sunt mali per se, sed per malum voluntatis, & mentis propositum: vt si quis inopi elemosinam porrigat ob inanem gloriam, prius volũtas est mala, quam largitio pecuniæ; & ex ipso voluntatis malo affectu opus est malum, non ex materia, & re obiecta: at si quis furetur, peieret, mentiat, quamuis actus ipsi, vt sunt facti, à mala voluntate sint, furtum tamen, per iurium, mendacium, vt sunt rationis obiecta, per se mala sunt, non à malo voluntatis studio, & affectu; quoniam ante voluntatis actum sunt obiecta rationi dissentanea: ex se, & per se sunt obiecta cum recta ratione pugnantia, & inde est, vt malam voluntatem efficiat. Sic S. Thom. 1. 2. q. 20. a. 1. & 2. & de malo q. 2. ar. 3. Hæc opinio mihi magis probatur: tum quia voluntas (verbi gratia) furandi, ideo est mala, quia malum est furari, non autem è contrariò; tum

etiam

etiam quia peritium, mendacium, furtum, homicidium, detractio, contumelia, adulterium per se ipsa à recta ratione dissentiunt, ergo per se sunt mala; nam malum in moribus est, quod à ratione discrepat, & cum ea pugnat. **Obijcies**, Peccatum non est, nisi voluntarium: at voluntarium nihil est, nisi per actum voluntatis internum. **Respondeo**, peccata esse quidem actus voluntarios, & liberos: Rationem item voluntarij, & liberi requiri ad actus morales quatenus fiunt, sine qua in genere moris nequaquam essent; non tamen ut rationem, per quam sint in moribus mali: ac propterea in belluis, pueris, & amentibus, actus moris locum non habent, quia liberè non agunt; **At verò**, quod actus voluntarius, & liber sit malus in moribus, inde est, quod à recta ratione dissidet, non autem ideò dissidet, quia sit voluntarius, & liber, sed quia circa obiectum rationi contrarium versatur. Nam quemadmodum ignis suo calore exurit, & suo pondere, ac leuitate superna loca petit, sed nec in sublime fertur, nisi impedimento semoto, nec vrit, nisi ligno, quod exurit, propinquo: sic actus, qui sit, est malus in moribus, sed non nisi voluntarius, & liber. At si opus malum sumatur, ut rationis obiectum, non est malum, quia voluntarium: nam ante voluntatem est rationis obiectum, & recta rationi contrarium: ergo ante voluntatem est malum obiectum rationis. Si **adhuc** vrgeas: actus recte rationis est bonus, quia voluntarius, & liber, alioqui enim non esset laude, & præmio dignus; ergo actus malus non est, nisi voluntarius, & liber sit. **Respondeo**, in actibus, qui fiunt, requiri omnino voluntarij, & liberum, ut laudem, præmium, vel pœnam mereantur, item, ut sint in laude, vel culpa, at quatenus opera sunt rationis obiecta, voluntatem non postulant, ut sint mala, quoniam ante omnem voluntatem, furtum, homicidium, adulterium, peritium, mendacium, ut sunt rationis obiecta, à recta ratione discordant, & dissident: ergo eo ipso sunt mala: nam malum in moribus est, quod cū recta ratione pugnat. Ex quo **efficitur primò**, ut actus, qui fiunt, in quibus ratio liberi non est, culpa, peccato, omnique moris deformitate careant. **Deinde**, ut actus liberè facti, in culpa, & vitio sint ex eo, quod à rationis præscripto recedant. **Rursus** obijcies: Genus moris primò constituitur per rationem voluntarij, & liberi: Bonum autem, & malum sunt differentie moris; ergo per rationem quoque voluntarij, & liberi constituuntur in specie boni, & mali. **Respondeo**, in obiectis, genus moris non constituitur per rationem voluntarij, & liberi: requiritur quidem libertas in actibus, qui fiunt, ad genus moris; actus enim, qui vi, & facultate sola naturæ fiunt circa respectum, & ordinem ad rationem, tantummodò sunt naturales: Constituitur tamen genus moris in obiectis per ordinem ad rationem, actus enim, qui rationi obijciuntur, per se, eo ipso in genere moris sunt, quatenus rationi consentanei, aut dissentanei, mediij, & indifferentes ex obiecto: Omnis autem actus, qui in genere moris reponitur, necessariò est voluntarius, & liber, cum sit licet non inde genus moris ducat, aut saltè rationem boni, mali, vel indifferentis, ut obijciatur rationi, sed quia per se cum ratione consentit, vel pugnat.

Quintò queritur, An in appetitu sensus peccata inhæreant lethalia, quem appetitum Theologi frequenter sensualitatem appellant? quod est querere: an possit in sensualitate lethale peccatum inesse? **S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 4. veteres** scholasticos secutus, de venialibus peccatis id concessit, de lethaliibus negavit: venialia scilicet in sensualitate, inquit, possunt inhære, lethalia solù in ratione, & voluntate sedem habere queunt. **Quæ** sententia, & cognitu, & explicatu sanè perquam difficilis est. **Aut** enim peccatù accipitur, ut est quidam actus per substantiam suam, & naturam, & hoc modo potest esse in appetitu sensus, ut apertè liquet: aut ut est quippiam voluntarij, & liberum, & tunc, & veniale, & lethale est in voluntate, & ratione, cum omne peccatum sit voluntarium, & ex aliqua mètis deliberatione proficiscatur. **Caiet. 1. 2. quest. 74. art. 4.** ut **S. Thomæ** sententiam tueretur, nouam aham, sed non verà excogitauit: nimirum, appetitum sensus in homine per se, absque villo rationis, & volùtatis actu, hoc est, sine consensu explicito, aut implicito esse libertatis participem, sed exiguè, tantæ scilicet, quæ sufficiat ad leue, & veniale delictum, ad lethale non item, quod plenam animi deliberationem requirit. **Id** autem probat eo argumento; quòd sensus interni in hominibus, hoc ipso, quòd sunt cum intelligentia, & ratione connexi, & còiuncti, functiones aliquas obeunt, quas bellux præstare, & exequi nequeunt: Et ita, inquit, sensus interior aliquando ratiocinatur in homine circa singularia. **Quæ** sententia communi cæterorum Theologorum còsensu rejicitur. **Et** meritò sanè: quia ex Augustino *lib. 1. retract. cap. 13.* & *lib. 3. de lib. arbit. cap. 17. & 18.* & philoſophia morali apertè cõstat, nullum esse peccatum, quin sit voluntarium. **Deinde**, si vera esset Caietani sententia, omnes in appetitu sensus, actus, qui versantur in malo, & in eo, quod turpe est, essent peccata: possent etiam homines dormientes peccare, quia appetitus sensus solutus est somno, licet ratio sit oppressa. **Conrad. 1. 2. quest. 74. art. 4.** ut prædictam **S. Thomæ** sententiam retineret, docuit ad lethale peccatum necessarium esse expressum voluntatis consensum; & proinde rationis & voluntatis actum: ad veniale verò sufficere implicitum, & tacitum còsensum, qui sine villo actu rationis, & voluntatis esse potest. **Sed** hoc fundamentum planè infirmum, & falsum est: quia in lethali quoque crimine implicitus, & tacitus sufficit voluntatis consensus. **Dur. 2. d. 24. q. 5. Medi. & alij** iuniores **1. 2. quest. 74. art. 4.** & **Cordub. lib. 1. suarum questionum q. 23.** aiunt, appetitum sensus dupliciter accipi, vno modo sumitur, ut præuenit plenam rationis deliberationem, & tunc appellatur sensualitas: ita ut ea nihil aliud sit, nisi appetitus sensus perfectam animi deliberationem præcurrès. **Altero** modo, ut plenum rationis ductù sequitur, & ita vocatur appetitus sensus, nõ sensualitas: quòd sit, ut omne lethale crimen sit in ratione, & voluntate; quia absque plena animi deliberatione non committitur: Veniale verò possit inhære in sensualitate, quæ plenam mentis deliberationem anteuerit, & proinde leuiter, non grauitè potest delinquere. In appetitu tamen sensus possunt esse actus, qui sint venialia, & lethalia pec-

Mag. 2. d.
24. & ibi
Theol. gi.

cata, quippe qui ex plena animi deliberatione aliquando operantur. Quorum sententia quibusdam non placet, quia cum S. Thomæ, & veterum Theolorum mente sentiunt non conuenire: nam S. Thom. p. 3. q. 18. art. 2. & 1. p. q. 81. art. 1. planè, & manifestè testatur in Christo Domino fuisse sensualitatem, in quo tamen appetitus sensus rationem sequebatur, non anteibat. Præterea, veteres scholastici idè negant in sensualitate lethale peccatum esse posse, quoniam auertit à fine, à Deo; & rationis est, vel in finem quippiam dirigere, aut ab eo abducere. Vnde opinantur sententiã S. Thomæ, & aliorum veterum scholasticorum esse, veniale peccatum non auertere hominem à Deo; cum eius amicitiam nõ dirimat, nec gratiam tollat: sed lethale alienat hominem à Deo, quia ab eius amicitia, & societate disungit, & propterea lethale insidet in ratione, & voluntate, quibus mortem, & interitum spirituales affert. Veniale verò potest quidem rationi, & voluntati inesse, in quibus sæpè existunt, & pullulant subiti, & repentini superbiæ, inuidiæ, ambitionis, inanis gloriæ, impicitatis, iræ, & odij motus: inest tamen sensualitati, in qua inhaerent quoque actus inuidiæ, iræ, & cupiditatis: qui actus licet, quatenus vitiosi, voluntarij sint, & proindè non absque ratione, & voluntate fiant: verè tamen per substantiam suam, actus, sunt appetitus sensus: lethale autem nequit esse in sensualitate, id est, appetitu sensus, non quòd actus lethalis culpæ non sit sæpè actus eius appetitus, sed quòd lethale crimen mors est, & interitus animæ, & proindè rationis, & voluntatem auertit, & alienat à Deo. Veniale autem, cuius actus est in appetitu sensus, in ratione, & voluntate non ponitur: non quia quatenus est voluntarium peccatum ad rationem, & voluntatem non spectet, sed quia mortem, & interitum gratiæ non infert menti; & proindè eã à Deo non auellit, & abstrahit, cum tamè appetitum sensus à recto, & bono dimoueat. Et hæc quidem illi, vt S. Thomæ sententiam exponant. **Fortassis** sententia S. Thomæ consistit in his. **Primò**, lethale peccatum, quamuis aliquando sit actus, qui re ipsa fit in appetitu sensus, vt in subiecto, cui inest, semper tamè est rationis, & voluntatis tanquam mouentis, vel saltem non reprimentis appetitum sensus: quoniam lethale peccatum non fit, nisi mens ipsa expressè, vel tacitè consentiat: vnde menti tanquam mouenti, aut non refrenanti appetitum sensus lethalis culpa tribuitur, potius quàm appetitui sensus. **Secundò**, veniale peccatù sæpè est in appetitu sensus præueniente plenam mentis deliberationem, & sequenti semiplenam, & imperfectam rationem: vnde huiusmodi peccatum potius in appetitu sensus, quàm in mentem conijcitur: & potius est peccatum appetitus, quàm mentis: quia non mens huiusmodi peccatum facere plenè deliberat, sed appetitus seipse mouet ad id, quod turpe, & malum est, perfectam quidem mentis deliberationem præcurrans, sed imperfectam rationem sequens. Quare S. Thom. 1. 2. question. 74. artic. 3. ad 3. ait; *illud, quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse facit; quia nihil operatur ibi id, quod est principale in homine: vnde non est perfectè actus humanus: per consequens non potest esse perfectè actus virtutis, vel peccati, sed aliquid im-*

perfectum in genere horum: vnde talis motus sensualitatis rationem præueniens, est peccatum veniale, quod est quiddam imperfectum in genere peccati; sic ille. Hinc etiam est, vt idem S. Thomas 1. 2. quest. 74. art. 2. ad 3. negauerit, peccata esse in membris, aut sensibus exterioribus: quia membra, inquit, corporis non sunt principia actuum, sed solam organa: vnde & comparatur ad animam mouentem, sicut seruus, qui agitur, & non agit: potentia autem appetitiua interioris, comparatur ad rationem quasi libera, quia agunt quodammodo, & aguntur. Sic ibi significat S. Thomas, appetitum sensus aliquando perfectam mentis deliberationem præcurrere, & idèd aliquando in ea esse veniale peccata, quæ homo ex plena deliberatione non facit, & idèd potius dicuntur esse peccata appetitus, quàm mentis: at cum membra corporis, & sensus exteriori feruntur ad malum, in culpa est mens ipsa potius, quàm corporis membrum, aut sensus, quia membrum, aut sensus corporis non se mouet, sed mouetur ab animo.

Sextò queritur, An omne lethale peccatum insit in parte, siue ratione superiori? Augustinus lib. 12. de Trinitate cap. 12. 13. & 14. duas partes distinguit in anima, superiorem, & inferiorem. Superiorem vocat, quæ æterna contemplantur, & perspicit, aut de temporalibus secundum æterna diiudicat; Inferiorem verò, quæ temporalia tantummodò cogitat, & curat. Porro partes inferioris nomine, non intelligit solùm partem sensus, sed totam mentem ratione, & voluntate consistentem, temporalibus tamen intentam. Ex qua Augustini doctrina S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 4. & 5. & Theologi cum Mag. in 2. d. 24. collegerunt, omne lethale peccatum sedem habere in parte superiori: quia lethali ter non peccatur, nisi cum æterna Dei regula directò, vel indirectò deseritur; quia peccatum est dictum, factum; vel concupitum cõtra legem Dei. Quare sicut omne peccatum, quatenus est voluntarium, insidet in voluntate; sic omne lethale crimen, cum sit legis æternæ violatio, in parte residet superiori, licet actus, qui est lethalis, per substantiam suam insit in parte inferiori. **Obijciens**, Ethnicus homo, aut Christianus rusticus, & ignarus, sæpè lethali ter delinquit, nihil cogitans de æterna Dei lege, quam deserit, & violat, ergò lethale non semper inest parti superiori. **Respondeo**, Omne lethale peccatum committi cum notitia honestatis, & rectæ rationis, quæ deseritur, ac negligitur: non enim potest esse peccatum, nisi cum scienter contra rationem, & legem admittitur. Omnis autem à lege, & iure declinatio, est hoc ipso à regula æterna aberratio: quia si volumus bona æterna adipisci, oportet nos ipsos in officio virtutis continere. Vt ergo qui, quod est necessarium ad finem deserit, respuit ve, eo ipso, à fine desecit; ita qui graui ter neglecta lege, & recta ratione delinquit, in eo, sese abducit, & auertit à Deo. Lethale igitur omne crimen explicitè, aut implicite est à regulis æternis aberratio, & proindè insidet in parte superiori, cuius est, vel æterna perspicere, vel illa deserere, atque contemnere.

Septimò queritur, An peccatum, quod est consensus in delectationem, in hoc differat ab eo, quod est consensus in opus, quod hoc fit in parte superiori, illud verò in parte inferiori. S. Thom.

1.2. q. 74. a. 6. & 7. Augustinus secutus hæc peccata ita distinguit, quod consensus in delectatione ad rationem inferiorem pertinet, ad superiorem verò consensus in opus, quæ sententia est magna difficultate implicata. Nam consensus in delectationem sæpè est lethalis, at lethale crimen ad rationem superiorem diximus pertinere. Præterea, multa sunt delectationis morosa peccata, quæ interius tantummodò perficiuntur, veluti superbia, inanis gloria, odium, ambitio, ira, invidia; ergò huiusmodi peccata solù parti in hærent superiori. Caietanus respondet; idèò consensus in delectationem spectare ad partem superiorem, quia suapte natura ad opus refertur, & dirigitur, consensus verò in opus non refertur in aliud: superioris autem partis est dirigere, non dirigi; còtra verò inferioris dirigi, non dirigere. Sed certè hoc fundamentum positum à Caietano alijs non placet: quia multa sunt malefacta, quæ minimè in seipsis finiuntur, & desinunt, sed in aliud referuntur, pleræq; item delectationes internæ sunt, quæ in seipsis terminantur, & complentur, vt diximus. Alij videntur intelligere nomine delectationis solùm veniale peccatum. Sed Augustinus etiam de lethali, & mortifera delectatione loquitur, cum eam dicit ad partem inferiorem pertinere: ait enim propter eam hominem totum damnari, nisi Christi gratia remittatur. Quare nec est, quòd multum laboremus hac in parte de Augustini sententia: nec item est, quòd Caietani interpretationem facillè refutemus. Nam Augustinus docere voluit, cum opere, & factò ipso delinquimus, tria esse, sicut in primo nostri parentis Adæ peccato, tria fuerunt: fuit in illo serpens suggerens malum: fuit mulier malum viro proponens: fuit vir in peccatum consentiens: sic cum factò ipso peccamus, sæpè vsu venit, vt sit sensus carnis, obijciens illecebras voluptatis, & blandimenta corruptæ libidinis: & sit appetitus animalis, mentem ipsam voluptate delinens, & alliciens: & sit mens ipsa, quæ in opus consentit. Ergò verum est, quòd ait Caietanus: Augustinum scilicet, & S. Thom. locutos fuisse de peccato, quòd ex cogitatione, & sensu, & delectatione ad opus peruenit: incipit ex sensu suggerere malum, continuatur in appetitu voluptate quadam hominem inuitante ad opus, & tandem còmpletur in opere, quia mens ipsa consentit. Non loquuntur Augustinus, & S. Thomas de ijs delectationibus, quæ interius còsummantur in mente, sed de ijs, quibus peruenitur ad opus, in quo tota peccati culpa completur; & ipsum opus non refertur in aliud.

Cap. XXII.

De causis peccatorum.

A Nimaduerrendum est, multas esse peccatorum causas, alias quidem intrinsecas, vt vocant, ex parte hominis, alias extrinsecas. Inter intrinsecas autem causas censentur ignorantia, animi perturbatio, metus, ira, cupiditas, de quibus suo loco disputatum est: item mala voluntatis electio, & habitus vitiosus, de quibus non nihil attingam. Inter extrinsecas verò sunt res, quæ nobis obiectæ in sensu incurunt, peccatorum oc-

casiones innumeræ, impulsus dæmonum mala suggerentium: de quibus nihil attinet disputare. At quia Deus peccati auctor nequaquam est, & tamen sine eo actio, quæ est peccatum, non fit, quo iudice, & vindice peccata puniuntur; item quia accidit, vt peccatum vnum sit pœna alterius; idèò diligenter explicare oportet, quo pacto Deus peccati causa, & auctor non sit.

Primo igitur queri solet, An Deus aliquo modo causa peccati dici queat? Mag. 2. dist. 37. ait esse quorundam opinionem, peccatum, quatenus actio est, à Deo non esse, sed ab homine, vel diabolo, S. Thom. 2. d. 37. quest. 2. ar. 2. & Aegid. 2. d. 37. q. 1. a. 2. docent eam sententiã esse errori proximam, immò errorem còtinere, vnde ea opinio communi Theologorum consensu rejicitur 2. dist. 37. nam sicut quidquid est, sine Deo fieri, aut esse non potest, eo quòd Deus est prima omnium causa, primum bonum, sic etiam cù Deus sit primum actus, primum agens, primum mouens, nullus actus, nulla actio, nulla motio esse potest, quæ non sit à Deo. Durand. 2. dist. 1. quest. 5. & 2. dist. 37. quest. 1. Aureo. 2. dist. 37. quest. 1. sententur Deum cum causis secundis non agere proximè, sed remore, nam eas conseruat, & finit operari, & efficere per vires ipsis datas, cum fuerunt à Deo initio procreate. At hæc opinio, vt errorem etiam in fide continens communi Theologorum consensu refellitur. Tota huius rei controuersia in eo sita est, cur peccatum in hominem conferatur, in Deum non item: cum tamen Deus, & homo ipsum opus efficiant, cui est priuatio coniuncta, per quam actus bonitate debita, & conuenienti rationis ordine caret. Quidam ingenuè fatentur, Deum non quidem peccare, sed esse, & mali operis auctorem, & boni: quia quodcumque opus, licet malum sit, actus quidam est, & actus hoc ipso quòd est, sine Deo fieri non potest. Quòd autem Deus non peccet, indè est, quòd peccatum non fiat eius suasionem, impulsu, consilio, vel iussu. Sed adhuc argumentum vrget: nam hoc non sufficit, eo quòd cù peccantibus oportet etiam nos non operari, aut còsentire, ne peccemus. Scotus responder Deum auctorem peccati non esse, quia nullis legibus tenetur; & idèò non debet actum, qui malus est deuitare, homo verò debet. Sed nodum difficultatis plenè non soluit: quoniam peccatum sæpè est actus per se malus: ergò fieri bene etiam à Deo nequit. Gabr. Ocham, Maior. & alij respondent, Deum facere actum, qui malus est, sed non peccare; & dici posse Deum esse causam peccati, at non peccare, quoniam peccare nò est idem, quòd facere actum, qui malus est, sed facere actum malum malè. Deus autem non facit malè, sed homo. Cæterùm dici non potest, Deum esse causam peccati, quoniam peccatum, vt peccatum est, còtra rectam rationem, & Deum est; sed Deus non facit actum malum, vt malus est, licet faciat actum, quatenus actus est; qua ratione, mali rationem non habet. Scotus ait, Deum non esse causam peccati, quia non facit actum malum, vt causa moralis, videlicet suadendo, præcipiendo, consilium dando, sed vt causa naturalis. Sed contra vrget argumentum, quoniam Deus extra seipsum quidquid facit, sponte sua facit, & hoc sufficit, vt quis peccare queat, si scienter, & libere operetur. Ca-

Scot. apud
Meinam
1.2. q. 79.
art. 2.

Canus 2.
pud Me-
nam 1. 2. q.
79. a. 2.

nus ait, rationem peccati non esse rationem rei, sed intellectus, nō placet. Inter Scholasticos igitur hæc controuersia exagitata, varijs modis diluitur, quibus prætermisissis breuiter dicendum existimo, nihil fieri à Deo, nisi fit à Deo volente: Deus enim non nisi per voluntatem quicquam in rebus efficit: actum verò peccati, quatenus peccatum, non quatenus actio quædam est, Deus voluntate (quam vocant) antecedenti non vult, nec enim suadet vlllo modo, vel iubet fieri peccatum, nec consilium dat, vt fiat, nec naturam rationis compotem cōdidit, aut vires, facultates, auxiliæ vllla præstat ad peccandum, nec vllum hominem sua opera præuenit, hoc est, nemini suggerit cogitationem malam, vt delinquat, sed contra potius omnem actum malum prohibet, ac ne fiat, apta, & idonea subsidia confert. Solum igitur operatur cum homine peccante, at ea Dei operatio non est, qua, qui peccat incitetur, vel moueatur ad peccandum, sed est operatio hominis conditæ naturæ conueniens: res enim insititæ, & diuinitus procreatæ, nihil prorsus efficerent, nisi Deo cum ipsis operante. Quo fit, vt actus peccati, non quatenus actus quidam est, hoc enim modo nō mali, sed potius boni rationem habet, sed quatenus peccatum est conuenienti, & debito rationis ordine vacans, permittente Deo fiat, non tamen volente. At, inquit; Non permittit, nisi volens. Respondeo, permittere quidem Deum volentem eò, quod vult permittere peccatum hominis, sed peccatum hand velle, & propterea magnum discrimen est inter operationem diuinam, qua cum hominibus operatur in bonis, & inter operationem eius, qua operatur in malis. Operatur enim in bonis volens, vt ea sint, & fiant, non solum, vt actus sunt, sed etiam, vt bona sunt, & ad ea commodum, & opportunum auxilium dat, ac mouet, flectitque voluntatem, & facit, vt velit: at verò operatur in malis, vna cum homine peccante faciens actum, vt actus est, non tamen volens, aut faciens actum, vt malus est: Et idcirco peccatum in peccantem ipsum, vt in auctorem conferatur, in Deum non item: quoniam is, qui peccat, eo ipso peperam, & malè vult actum, vult enim contra rectam rationem: Deus eundem actum vult, & facit, sed non malè, quia non contra legem, aut rectam rationem.

Oppones 1. Homo cum peccat, non vult peccatum, vt malum, quia nemo malum, vt malum velle potest, nec malum, vt malum appeti potest, ergo homo, cum peccat, etiam malum ipsum vult, vt bonum est. Respondeo, idèd hominem peccare, quia vult, quod turpe, & malum est, licet id velit, vt sibi vtile, vel iucundum: & idèd vult, quod est contra legem, & rectam rationem, quamuis id velit, vt sibi vtile, vel iucundum: Deus verò cum facit actum malum cum homine peccante, non vult, aut facit, quod est turpe, vt sibi vtile, vel iucundum: sed solum facit vna cum homine actum malum, vt actus est, ac proindè illum malè non facit, aut vult. homo, cum peccat, vult, & facit turpe, non vt malum est, sed vt est sibi iucundum, vel vtile, vult tamen, & facit turpiter, & malè, quia contra rationem, & conscientiam: Deus verò vult, & facit cum homine, sed non malè; quia non contra rationem, eò quod tantum vult, &

facit actum, vt actus est, qui ea ratione sine Deo fieri nequit.

Obijcies 2. Sunt quidam actus per se, hoc est, sua natura mali, cuiusmodi sunt odium Dei, mendacium, ergò huiusmodi actus fieri bene nō possunt etiam à Deo, nihil enim fieri potest sine sua natura: alioqui enim homo fieri posset, & non ratione præditus. Respondent aliqui, nullum actum ita esse moraliter per se malum, quin fieri bene queat: nam quicumque actus per se malus, actus quidam est, & hoc ipso, quod actus est, mali ratione nō habet, sed idèd est per se malus, quia non est malus eò, quod lex aliqua scripta, vel posita ipsum prohibeat; sed quia talis est, vt nemo præter Deum possit eum bene scietèr facere, aut velle, quia si scietèr, & spontè voluerit, aut fecerit, eo ipso vult, aut faciet cōtra conscientiam, aut rectam rationem. Sed certè actus per se malus idèd est, quia bonus esse non potest. Quare aliter dicendum existimo odium Dei, vt odium est, mendacium, quatenus mendacium, furtum, vt furtum, homicidium, vt homicidium est, nunquam, aut à nemine fieri potest bene: sed Deus non facit odium, vt odium, sed vt est quidam actus, & vt actus est, boni rationem habet, nō mali, boni, inquam naturalis, nō mali moralis: homo verò facit odium Dei, vt odium est, & non vt actus quidam est. Similiter, Deus non facit mendacium, vt mendacium est, furtum, vt furtum, aut homicidium, quatenus homicidium; sed quatenus actus quidam est. homo verò est auctor mendacij, furti, & homicidij, idèd homo est auctor peccati, siue mali moralis, nō mali naturalis. Tertio obijcies, si quis scietèr operaretur cum altero peccante, vna cū eo delinquere diceretur, etiam si nollet actum peccati, nec consilio suo, suasionis, imperio, vel prece peccatum alteri committeret: Cur ergò Deus cum volens operetur cum peccantibus, auctor peccati non est? Propter huius argumenti vim quidam affirmant, in Deum nequaquam peccatum posse conferri ob id, quod cum peccantibus operetur tanquam causa naturalis, non moralis: peccatum autem quatenus tale, non in causas naturales, sed in morales referendum est, quippe quæ consilio, hortatu, iussu, prece, vel impulsu suo mouent ad agendum. Ceterum non videtur hoc responsum omnè argumenti vim liberè stare, quoniam Deus voluntariè, & liberè extra seipsum operatur, non naturaliter, hoc est, non ex necessitate naturæ: & ingenuè fatemur peccata referri non posse in causas ex conditione naturæ necessariò operantes: ad peccandum enim conspirant intellectus quidem cognoscendo, & res, quæ obijcitur, mouendo, habitus vitiosus reddendo habilem voluntatem, & animum, quæ suis viribus consociatis agendo non peccat, cum naturaliter agant, vel faciant, verò Deus liberè cum peccante homine operatur, currigitur, si quis liberè operaretur cum peccate, delinqueret, & non Deus? Respondent Deum non esse causam moralem consilio, hortatu, mandato, impulsu, vel auctoritate ad peccandum mouentem. Contra hoc vt get adhuc argumentum: quia qui liber alius peccaret, etiam si solum cum peccante operaretur nihil suadendo, præcipiendo, rogando, auxiliando, vel impellendo. Respondent, Deum

non esse

non esse auctorem peccati, quia peccatum nulli tanquam auctori est tribuendum, nisi talis sit in agendo causa, ut possit à recto deflectere. At enim hoc est, quod in argumento quaeritur, cur potius homo, qui cum peccante operatur, à recto deficiat, quam Deus: nam hoc ipso, quod Deus cum peccantibus operatur, videtur à recta ratione recedere. Respondent, hominem cum peccante operatorem delinquere, & à recto aberrare, quia legibus recte rationis in agendo subicitur, quibus operari prohibetur cum altero peccante; at Deus in natura subsistit omnibus legibus soluta; ipse enim est per se recta ratio, lex, & bonitas. Aliud quippiam, meo iudicio, addi oportet, unde argumento plene satisfiat, Deum nempe tantummodo cum peccante operari, quæ quidem operatio omni vitio, & culpa vacat, eò quod Deus est prima omnium causa, sine cuius operatione nihil omnino naturæ ab eo conditæ, & institutæ facere queat. Inter naturas autem, hominem ratione, & libero arbitrio præditum procreavit, ac sicut reliquas finit iuxta condiciones, ac vires sibi datas agere, & propterea ipsis suam operationem non subtrahit, ita etiam naturam rationis, & libertatis còpotes permittit agere iuxta voluntatem, & arbitratum suum: alioqui enim aut operationem suam denegare, aut liberum arbitrium necessitate quadam cogere deberet. Melius autem Deus iudicavit finire in vniuersum, ut naturæ omnes iuxta facultates, & vires sibi inditas operentur, quam suam operationem subducere. Quo fit, ut liberum arbitrium in suis actionibus, ut premij, & laudis capax est, sit etiam poenæ, ac vituperationi obnoxium. Ex quo etiam perspicitur, magnum esse discrimen inter hominem operantem cum eo, qui peccat, & Deum ipsum: nam homo cum peccante operatur, cum possit, & deberet non operari: eius enim operatio non est peccanti ad agendum debita; at verò operatio diuina, ex ipsa prima rerum institutione, est omni creatæ causæ agentis necessaria, & debita. Posset quidem Deus non operari, & proinde voluntariè, & liberè operatur: Verum id agit iuxta modum naturis iam institutis debitum.

Sed quaestio est dubie, an peccatum, ut actus quidam est, fiat à Deo, non solum cum homine faciente illum actum, sed etiam mouente hominè ad ipsum actum. Grego. 2. dist. 34. q. 1. ar. 3. quem sequitur Cap. 2. d. 28. q. 1. ar. 3. ad 12. sentit Deum facere quidem cum homine actum malum, sed non incitare, aut mouere hominem ad actum malum: hoc enim dicere est impium, nemo enim Deo mouente peccat, aut sit deterior. Medi. 1. 2. q. 109. ar. 2. ad finem, Capreolum in hac parte reprobatur, ait enim rem esse certissimam voluntatem hominis nihil posse velle boni, aut mali, nisi prius moueatur à Deo ad operandum, sicut calamus nihil potest efficere, nisi prius à scriptore moueatur ad efficiendum. Sed nihil est, quod in Grego. aut in Capreolo reprehendat Medina: quoniam solum docuerunt Deum aliter in bonis operari cum homine, aliter in malis: nam bona facit cum homine, non solum quod sunt, sed etiam quod bona sunt, & mouet hominem ad bona, non solum quatenus sunt, sed quatenus bona sunt, & ideo homo fit Deo auctore bonus, & melior; at in malis

Deus facit cum homine, quod sunt: non quod mala sunt: mouet hominem ad mala, quatenus bona quædam sunt, sed non quatenus mala sunt: & propterea homo non fit Deo auctore malus, aut peior. Non igitur mouet Deus hominem ad peccatum: sicut nec facit cum homine peccatum, quoniam peccatum mali rationem habet, & Deus eam deformitatem, & turpitudinem, nec facit cum homine, nec mouet hominem ad faciendum, sed facit cum homine actum malum, quatenus actus quidam est, & boni naturalis rationem habet: ac propterea non mouet hominem ad malum, sed ad bonum. Si quaeras, an Deus voluntate antecedenti velit peccatum, ut actus quidam est, an solum voluntate consequenti. Bonauen. 2. q. 37. ar. 2. quest. 1. ad vltimum, ait Deum velle bona, voluntate antecedenti; mala verò, solum voluntate consequenti, quia de malis nullum præceptum, aut consilium dedit: item, quia quod ad ipsum pertinet, mala non faceret cum homine, nisi ipse homo faceret: item, per se ipsum sæpè hominem mouet ad bona, ad mala verò non nisi per causas secundas, cum quibus ipse operatur. Henr. quodlib. 1. q. 6. fleuitur, inquit, voluntas ad bonum per seipsam; non excludendo primum motorem dirigentem omne agens ium naturale, ium liberum: fleuitur verò ad malum omnino per seipsam solum. Hæc ille, fleuitur, inquit, ad malum per seipsam solum, hoc est, ad malum, ut malum est: item per seipsam solum, hoc est, sine voluntate Dei antecedenti. idem penitus docet Mai. 2. distinct. 37. quest. 2. Aegid. 2. dist. 37. quest. 1. Argen. ibidem.

Secundò quaeritur, An Deus præfiniat peccata? Præfinire, est ante statuere, atque decernere, quid sit in rebus agendum. Sunt tres opiniones, quarum Prima docet, Deum nullum opus liberum præfinisse, sed tantum quicquid ex necessitate naturæ fit, ita ut omnes naturales causas ad suos effectus destinauerit, liberas verò in suo arbitratu reliquerit; quamuis cum ipsis operetur. Quod probat auctoritate Damasceni libr. 2. de fide orthodoxa cap. 30. dicentis, Deum omnia quidem præfinisse, non tamen præfinire. Ac subdit rationem: Peccatum enim admitti non vult, nec virtuti vim afferri: quare, inquit, præfiniscit quidem Deus, sed non præfiniat, quæ sunt in liberi arbitrij potestate. Huius sententiæ fundamentum est, quia si ea, quæ sunt in liberi arbitrij potestate præfinisset Deus, libertatem sustulisset. Diuinum enim decretum est efficacissimum, cui resisti non potest. Si enim concesseris postea semel diuino decreto, liberum arbitrium posse contrarium efficere, necesse erit, ut fatearis posse diuinam voluntatem impediri, variari, mutari, tolli. Rursus, in nostra potestate non est diuinum decretum ponere, quia Deus per se ipsum sine nobis omnia præfiniuit. Ergo si iam ab æternitate positam impedire, aut mutare non possumus, sequitur, ut ex necessitate operemur: hoc autem dici non potest, ergo Deus non omnia præfiniuit. Secunda opinio concedit, Deum omnia bona siue naturalia, siue libera præfinisse, sed non peccata. Et certe Augustinus, Prosper, & Fulgentius locis infra citandis videntur id magna ex parte docuisse. Sentiant enim contra Pelagianos, Deum prædestinasse quidem hominū beneficia, & merita, non tamen peccata. Iuxta hanc itaque postero.

rem sententiam præfinitio diuina nihil de libertate voluntatis detrahit: quamuis enim eius patroni fateantur Deum benefacta liberi arbitrij præfinitisse, malefacta tamen ideo inficiantur præfinitisse, non quia præfinitio diuina nostri arbitrij libertatem tollat, aut minuat, sed quia ad malum, nullum præueniens auxilium præstat, hoc est, nemini malam cogitationem suggerit, cum tamen ad omnia benefacta opem ferat, hoc est, bonam cogitationem instillet. Tertia opinio in vniuersum ait, Deum præfinitisse benefacta, & malefacta hominum. Benefacta quidem omni ex parte, quia sunt, malefacta verò, quatenus sunt quidam liberi arbitrij actus, non tamen quatenus à recta ratione dissentiunt, aut debita bonitate carènt: quia ut actus sunt, re ipsa existunt, fiunt, & conseruantur, & ideo boni rationem habent. Id probant vnica ratione, quia diuina voluntas omnium rerum est prima causa, sine qua nihil est, aut fit, siue res sit, siue actio, siue motio: ergo ab æternitate voluit, ut esset omnis res, natura, motio, actio, quæ processu temporis fit. Inter has opiniones quidam pauci iuniores Theologi primam tuentur, ut liberi arbitrij vim, & facultatem in agendo liberam defendant: sed fortassis, ut voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum libera nostra opera bona præfinitisse. Fortè nihil aliud significare volunt, nisi Deum non præfinitisse eo modo, quo præfinit effectus causarum necessariò & naturaliter agentium. Alij itidem recentiores secundam sententiam acriter tuentur, ne Deum peccati auctorem faciant, & ne cum Calvinistis, & Luteranis sentire videantur, dicentibus Deum in nobis peccata facere, & sicut facit etiam ipsemet bona nostra opera. Existimo autem auctores tertie sententie nihil cum Calvinistis & Luteranis sapere: quia non eo sensu, quo isti hæretici, dicunt, Deum præfinitisse peccata, quatenus actus sunt. Alij verò tertie sententie ita adherent, ut asserant cæteros cum Pelagianis sentire, dum negant actus nostros etiam malos non præfinitiri à Deo, ut actus re ipsa sunt. Alij videtur tertiam sententiam, nescio quid absurdi, & incommodi habere, quòd malefacta nimirum præfinitat Deus, quoniam inde colligi videtur, voluntate, ac decreto Dei mala, & peccata fieri; at is ante statueret, & deliberare aliquid videtur, qui finem constituit, & ea, quæ conducunt ad assequendum finem, destinat, ac dirigit: Sed Deus nullum peccatum proponit, ut finem, in quem intendamus, & quem actione veluti cursu petamus, nec aliquid adhibet, ut aliquis peccati actum eliciat, sed tantum cum ijs, qui peccant, operatur. Nec obstat, si dicas, præfinitisse quidem Deum actum peccati, ut actus est, sed non ut recte rationi contrarius, aut debita bonitate priuatus; quia obijciunt alij hoc idem de eo, qui peccat, dicere oportere. Qui enim peccat, tantummodò ante decernit facere actum, qui malus est, & solum vult actum, qui est peccatum: neque enim vult, quæ est in actu malo cum recta ratione repugnantiam, nec debita bonitatis priuationem: hæc enim, cum in quodam respectu, & ordine consistant, per se, & directò non sunt voluntaria, sed consequuntur actum, qui est peccatum. Prima item opinio ne

scio quid bonis operibus ac potissimum gratie diuinæ, & Deo omnipotenti derogare videtur. Verùm de hac ipsa opinione satis superq; nostro quidem iudicio dicemus, cum de gratia disputabimus. In præsentia solum contra tertiam, & secundam opinionem argumenta proponemus, ut clarius intelligamus, in quo sita sit huius rei difficultas. Contra tertiam, videtur omnino, à Deo malefacta præfinita minimè fuisse: nam præfinitur, ut prædixi, est ante statueret, quid sit in quibusque rebus acturus, quid vitaturus; at Deus, sicut quia omnium præficientiam habet; ideo quid sit in quaque re futurum, ex omni æternitate certò prænouit; sic quia omnia prouidet, idcirco suo consilio, & nutu ex æternitate de singulis constituit, quid suo tempore fit acturus, quid refuturus. At de peccatis quidem decreuit ea non facere, & propterea fieri prohibuit, ac vetuit. Præfinitur item, est anteuellè quid sit agendum; at Deus nunquam voluit, ut mali quicquam fieret. Amplius, præfinitur, est ante aliquid decernere de fine proposito assequendo, & de eodem oportuno adhibendis; Deus verò nunquam peccatum, ut finem præfinitur, nec quippiam adhibet, proponit, aut offert, quo quis peccet. Ad hæc, cum quis peccat, Deus non suadet, non præcipit, non excitat, non impellit, non consilium dat, ut faciat actum, qui est peccatum; ergo non præfinitur malefacta. De bonis ideo longè ante statuisse dicitur, quia decreuit ad ea suadere, hortari, monere, excitare, & impellere. Obijciat S. Thomam 1. par. q. 25. ar. 5. ad 1. asserentem fieri non posse, ut aliqua faciat Deus, quæ non præfinitur, & præordinauerit facere: quia ipsum facere subditur præfinitur, & præordinationi ipsius. Respondent ceteri, nihil fieri, quod non prænouerit Deus, non quia decreuerit omnia facere, quia malum siue peccatum non facit; sed quia constituitur cum rebus singulis operari. Et negamus, inquit, esse à Deo præfinita mala eo pacto, quo sunt bona diuinitus constituta: nam in bonis statuit non solum operari cum naturis, aut voluntariis bene agentibus, sed etiam eas ad id commodis auxilijs præuenire; at verò in malis solum constituit per mittere spòtes sua, ut quis peccet, & solum decreuit, operari cum voluntate male operante, non tamen eam ad malum excitare, aut præuenienti aliquo suo auxilio præparare. Deinde, si obijciat, peccatum est actus, & ea ratione est quædam res; ac quicquid rationem, & vim habet rei, subijciatur diuinæ voluntati, quæ potest efficere nutu suo, & arbitratu quicquid potest esse. Respondent ceteri, peccatum esse actum quidem; sed cum ratione pugnantem; actus verò rationi aduersos, & inimicos Deus non vult; & ideo ex æternitate eos nequaquam præfinitur. Auctores verò tertie sententie ita colligunt: quia Deus est ipsum primum, quod est, ideo nihil est, quod ab eo non sit; sic quia est primum actus, primum agens, primum mouens; ideo sine ipso esse non potest vllus actus, vlla actio, vlla motio; ergo peccatum, ut est quædam actio, sine eo esse, aut fieri non potest; sed Deus extra se ipsum nihil facit, nisi ab æternitate voluerit, ut id certo tempore fieret. Item, peccatum, ut actio est, mali ra-

tionem

tionem nō habet, sed boni: nam si homo peierando, occidendo peccat, amens tamen, siue furiosus vel dormiens peierando, vel occidendo non peccat; ergo idem est naturaliter actus, qui in vno est moraliter bonus, in altero malus; & ideo odio peccatum, vt actio est, Deus nō habet, nihil enim odio habet eorum, quæ facit: sicut Deus non odio habet naturam hominis, licet in eo, odio habeat iniquitatem. Item, sicut opus bonū est a Deo, non solum, vt actio est, sed vt bona actio est; eo quod Deus, sicut est primum agens, sine quo nulla actio est, sic etiam est primum bonum, sine quo nullum bonum est: ita etiam peccatum quatenus actio est, sine Deo non fit, at quatenus malum est, à Deo non est. Quidquid fit de hisce opinionibus, quæ fortassis si benignius, & mitius explicentur, secum non pugnant; quamvis verbo inter se plurimum distare videantur, nihil in presentia definitio, sed solum ostendo, quid viri aliqui Catholici, & docti sentiant, quid doceant, quid dicant, & quid in singulis eorum sententijs difficile appareat. Aliorum esto iudicium. Ego quidem primam opinionē in eum sensum accipio, in quem existimo eam accepisse Damascenum, cum dixit, Deum præscire omnia, sed non præfinire omnia: id dixit Damascenus contra Manichæos, qui omnia dicebant fatali quadā necessitate euenire: & ita cuncta ex suis causis esse decreta, vt suis quæque tēporibus necessariō contingant: & proinde liberum arbitrium ē medio iuxta Manichæorum hæresim tollatur: ita Sanctus Thomas 1. q. quæst. 23. art. 1. ad 1. Damascenum explicuit. Secunda sententia solum contendit, Deum opera hominum, quæ mala sunt, nunquam voluisse voluntate antecedenti, ita vt Deus nec præceptum, nec consilium de peccato det, nec malam cogitationem suggerat. Tertia opinio tantum docet, opus, quod malum est, vt actio quædam est, boni naturalis rationem habere, & eatenus fieri à Deo, quatenus est actio, & motio.

In hac itaque controuersia concludo cum Augustino lib. 1. de prædestinatione Sanctorum c. 10. Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest; at potest esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturum: præscire autem potest etiam ea, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata; & cum Fulgentio lib. 1. ad Monimum capite 24. Deus omnia hominum opera, siue bona, siue mala præsciuit: sed sola bona prædestinatus, quæ se in suis gratia facturum esse præsciuit. Item eodem capite. Non omnia prædestinatus, quæ præsciuit, quamuis omnia prædestinata præscierit. Præsciuit enim voluntates hominum bonas, & malas; prædestinatus autem non malas, sed solas bonas. cap. 26. Quod daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinatus: ipsa est enim prædestinatio Dei, semper terna nempe dispositio futuris operis Dei: in iniquis autem puniendum est, quod vt essent mali non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinatus, quia vt iniqua vellent, hoc eis daturum ipse non fuit. Idem docet c. 17. 19. & 20. Propter ad obiectiones Vincentianas in responsi. 10. Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem est: adulteria enim coniugatorum, & corruptelas virginum non instigare nouit Deus, sed dānare, nec disponere, sed punire. Non ergo casus ruenarium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut exciuit, aut iungit, aut impulsit. Idem in responsione 11. Nihil ergo

malorum negotiorum prædestinatus Deus, vt fierent, nec animam turpiet, & male victurum ad hoc, vt taliter uiuere, preparauit, sed talem futurum non ignorauit, ac de tali iussit se indicaturum esse præsciuit: atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam perimet gratiæ largitatem. Idem quoque tradit in responsi. 12. 13. 14. 15. Auctor librorum Hypognosticon libro sex id, statim post initium, ait, Prædestinatio quippe à prævidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid, dicitur. Deus quicquid, antequam fit, præscit, prædestinat; & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Sed non omne, quod præscit, prædestinat: mala enim iam tum præscit, & nō prædestinat; bona verò, & præscit, & prædestinat. Quod ergo bonū est, præscientia prædestinat; hoc est, priusquam fit in re, præordinat; hoc enim cum ex ipso auctore caperit, ordinat, & disponit. id ipsum asserit auctor Augustini nomine prænotatus, in responsione ad articulos sibi falsò impositos, art. 10. 11. 13. 14. Et in se ipsum in lib. de concordia præsentis, & prædestinationis Dei cum libero arbitrio cap. 7. Certè hi omnes Patres videntur sensisse, nihil boni posse nos facere sine Deo præueniente, & adiuvante: hoc est, sine Deo bonam cogitationem suggerente, & sine Deo faciente, vt velit voluntas bonum, quod Deus ipse suggestit: sine Deo incipiente bonum, quod facimus, & sine Deo perficiente nobiscum bonum, quod caput: at peccata facit homo sine Deo malam cogitationem dante, & sine Deo perficiente malum, quod ipse caperit: neque enim cum quis peccat, in eo perficit Deus vllum malum, quod caperit.

Ex quibus omnibus multū colligunt, Deum peccata non præfinire; quia voluntate antecedenti non voluit, vt quis vnquam peccet, nec statuit Deus præuenire hominis voluntatem ad malum, quia nunquam decreuit malam cogitationem suggerere. Colligunt etiam bona ideo præfiniri à Deo, quia cum sunt, Dei voluntate antecedente, & præueniente geruntur, Deo hominem mouente, & instillante bonam cogitationem, quam per se ipsum, vel alios suggerit, & idonea, & commoda auxilia ferente, ac deinde hominem opportunis auxilijs excitatum, & motum adiuuante ad bonum cogitandum, volendum, & faciendum. At verò peccata quia nō sunt Deo auctore, nec fiunt Deo volente, vt fiant, ideo Deus ea prohibuit, non voluit, vt fierent. Benefacta, inquit, præfiniuntur à Deo, malefacta non item: quoniam illa fiunt à Deo hominem præueniente, & adiuuante, & faciente, vt fiant; tum quatenus sunt, tum quatenus bona sunt. Hæc verò sunt ab homine, Deo quidem faciente, & volente voluntate consequenti, non antecedenti, vt fiant, etiam quatenus actus sunt. Obijcies, sæpè peccata fieri, aut consilio, & suasionem Dæmonum, aut hominum prece, & hortatu, aut impulsu rerum in sensus naturaliter incurrentium, aut incitante appetitus illecebri: Sed Deus cum his omnibus causis agentibus operatur, ergo sicut hæc singula hominem peccantem præueniunt, ita etiam Deus. Respondent: quæ mouent hominem peccantem, naturaliter agere, aut liberè: quæ verò naturaliter agunt non efficiunt, vt hominem ad peccandum impellant, & incitent, sed vi, & conditione lux naturæ agunt, & Deus cum illis operatur, quia

debita est rebus ratione primæ creationis diuina operatio: & rursus res naturaliter agentes bene, non malè agunt: homo verò sua voluntate peruersa rebus malè vitur, ac malè vtendo peccat. Quæ verò liberè mouent ad peccandum, vt demones, & improbi, ac perditii homines, ad malū alios impellunt, & deprauata sua voluntate mouent, non autem Deo auctore. Deus enim cum illis operatur duntaxat, sicut etiam cum ijs, qui peccato consentiunt: non tamen hos, aut illos impellit, & mouet ad malum faciendum, vel ad malè suadendum. *Obijcies*; Aliquando Deus quædam ante hominem proponit, ex quibus mouetur homo ad peccandum. *Respondeo*, ea esse tantum bona, quæ Deus proponit, aut offert, sed homo eis malè vitur & sua sponte, & volūate peccat, sicut miraculis, & prodigijs tot, ac tantis à Deo editis, obstinatior nihilominus in malo erat Pharaon. Non igitur Deus mala proponit, sed bona quibus homo malè vitur.

*Victoria in
relect. de
homic. n. 2
Medin. 1. 2
q. 74. ar. 2.
ad 5.*

Terriò queritur, An habitus vitiosus sit à Deo tanquam causa? *Quidam* arbitrantur in Deum, nec peccata vlla, nec habitus vitiosos posse conferri: tum quia habitus vitiosus nostris malis actibus comparatur, tum etiam quia habitus vitiosus vi sua, & natura mouet ad malum: voluntatem item, & animum sepe flecit ad praua. Concedunt quidem habitus vitiosos, vt habitus sunt, esse à Deo; negat tamè esse à Deo, vt vitiosi sunt: nam vt habitus sunt, boni naturalis rationem habent, non mali moralis. *Quorum* sententiam nos etiam probamus. *Cæterum* non est eadem proprius ratio de actibus, quæ de habitibus vitiosis: quia peccatum in moribus, est actus voluntarius, & liber, qui à ratione dissentit, ac dissidet; & proinde culpa tribuitur, & poena debita vindicatur: at verò habitus vitiosus non est actus, nec rationis, & voluntatis imperio subijcitur. Homo enim à peccatis mundatus, & diuine gratiæ restitutus, vitiosos adhuc habitus retinet, nec propterea culpatur, nec plechitur. *Quare* habitus vitiosus prauitatem moris non habet in se, quam habet opus malū; sed actus, quibus acquiritur mali sunt: nec tamen quia est causa mala, continuo sequitur, vt ipse habitus ex malis actibus comparatus sit malū moris. Ex adulterio enim suscepta proles mala non est: Nec item ideò culpandus est habitus, quia procliuum, & propensum hominem reddat ad malum; ea enim in habitu propensio non est aliquis actus, sed est ipsa habitus substantia, natura, atque conditio: & peccatum in eo est, quòd voluntas sua sponte consentiens, habitus propensionem sequatur, non in eo, quòd habitus ex naturæ suæ conditione eam promptè, & facile moueat, quia tamen malus habitus quædam qualitas animæ est, & eius facultatibus inhærens, licet culpa vacans, ex malis tamen actibus genita, & ad malum rationis mouens, & incitans, quatenus ex malis actibus comparata, qua ratione in belluis, pueris, & infans non reperitur, qui agendo non peccant: ideò Deus per seipsum proximè habitum vitiosum creare non potest; nam vt vitiosus est, ex malis actibus comparatur. *Item*, vitiosus habitus ad malum mouet, idcirco à Deo proximè non fit: quanquam in habitu peccatum non est, quod ad malum moueat, ad suum enim

effectum, & actum naturaliter impellit; non autem suasionè, consilio, prece, vel iussu libero: at Deus quidem cum causis naturaliter agentibus operatur, & eas vulè iuxta suæ naturæ conditione facitare: non tamen per se ipse facit aliquid, quod moueat ad malum.

Quartò queritur, An error rationis hoc est falsus intellectus assensus, ex bona fide omni vitio, & culpa carens in Deum, vt in auctorem, & causam referri queat. *Simili* quoque ratione dicendum existimo, errorem in Deum, vt auctore falsi conijciendum non esse: quoniam Deus per seipsum errare nō facit; nec errorem immitit: nam licet alia fit ratio de mendacio, & quocunque alio peccato, atque de errore à culpa libero, & immuni. Deus tamen per seipsum nos errare non facit; sed cause secundæ liberè, vel naturaliter operantes nos in errorem inducunt, cum quibus tamen Deus ipse operatur. *Mendacium* quidem est actus rationi contrarius; & ideò in Deum nec cadere, nullo modo, nec conijci potest: At verò error sine culpa, est tantummodo falsus rationis assensus, qui sicut à causis liberè, vel naturaliter agentibus existit, sic à Deo non quidem proximè, sed cum ipsis causis operante. *Obijcies*, inde concludi, Deum fallere, & decipere: nam si est causa erroris, quo intellectus labitur, & errat, inde fit, vt eiusmodi intellectum errantem Deus ipse fallat. Errare enim sensum, vel intellectum, est labi, falli, & decipi. *Respondeo*, Deum non esse causam doli, & fraudis, hæc enim sunt mala, quia recte rationi contraria, at error qui omni culpa caret, fraus & dolus non est, cum peccatum non sit, & naturaliter eueniat. Deus igitur fallere nequit, hoc est, testificari falsum, non potest, nec suo testimonio, auctoritate, suasionè, consilio, imperio falsum confirmare: operatur tamen cum causis, quæ naturaliter errorem, & falsum assensum in nobis ingenerant, & voluit causas naturales iuxta vim suam, & conditionem acitare, cum tamen nunquam voluerit, vt quispiam peccet, nunquam voluerit, vt perperam faciat: non igitur Deus per se ipsum in errorem quempiam inducit: Sed cum causis naturaliter in errorem inducentibus operatur.

Quintò queritur, An peccatum quod est poena alterius peccati, sit à Deo tanquam auctore. *Cai. lib. 2. Reg. c. 12. in illa verba, ego suscitabo super te malum, & 2. Reg. c. 16. (quem alij etiam sequuntur) ingenuè fatetur, eiusmodi peccatū esse à Deo, quia est poena alterius delicti, & proinde est iustitiæ peccatorum vindicatricis effectus. Deus enim quosdam in reprobum sensum tradidisse perhibetur, quia peccauerant; itemque alios excæcasse: dicitur quoque 2. Reg. 16. Dominus præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi: & cap. 12. eiusdem libri ait Dominus ad Dauidem, Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis tui. Sed certè August. lib. de prædesti. sancto. 10. non concedit peccata, etiam quæ sunt aliorum poenæ, à Deo fieri; eius enim hæc sunt verba: *Esti sunt quedam, quæ ita peccata sunt, vt poenæ etiam peccatorum sint: Vnde dictum est: Tradidit illos Deus in reprobum sensum: non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Mihi itaque videretur dicendum, nequaquam Deum esse auctorem**

auctorem peccatorum, licet illa sint aliorum poena, quoniam peccatum à recta ratione, & proinde à diuina lege discordat, ac discrepat: at intelligi, nequit, Deum esse auctorem, & causam eius, quod cum recta ratione pugnat, & à diuina lege dissentit, licet malefacta condemnet, ac poenis meritis subijciat: hoc enim est iustitiae diuinae prauius peccata deputantis, & destinantis ad poenas: peccatum verò est hominis, qui à recto, & a quo aberrat, & deficit. *Notandum* est, quaedam esse crimina, quae poena aliqua suos auctores afficiunt, nimirum dedecore, ignominia, infamia, dolore, tristitia, cruciatio, anxietate, metu, ac interdum etiam amissione libertatis, liberorum integritatis, rei familiaris spoliatio, honoris, & famae iactura, & huiusmodi poenarum, & malorum cum Deo est causa, quem admodum reuera esse potest, dicitur esse causa eorum peccatorum, quibus tales poenae debentur, & quae praedicta incommoda, & damna pariunt. Quare in Deum proprie nequit maledictum conijci, quod Semei in Dauidem peccando conferebat, quod verò Semei maledicta essent Dauidi dedecori, ignominiae, tristitiae, & dolori, Deus causa erat. Pari ratione quòd Absolon sui patris uxores violasset peccatum erat ipsius Absalonis, non Dei: quod verò parens Dauid ignominiam, & dedecus, ac tantae calamitatis, & mali dolorè sentiret, & sui peccati poenam debitam sustineret, Deus faciebat. Ex quo licet nobis colligere, ea, quae poenae solum rationem habent, in Deum esse referenda, non autem quae culpa, & peccati, cum haec diuinae bonitati repugnent. Deinde, animaduertendum est, sacrarum esse literarum phrasim, qua ea, quae solo Dei permisso sunt, ipsi Deo, ac si ipse fecisset, attribui solent; atque hoc modo ex scriptura constat, quosdam à Deo traditos fuisse in reprobos sentum, alios ex carceribus, alios deceptos, & seductos. Imò in peccatis etiam vitur interdum scriptura sacra, modo imperandi, cum de Deo loquitur, ac si malum quod quis facit, ipsius Dei iussu, & auctoritate faceret. Legimus Christum Dominum dixisse Iudae proditori; *Quod facis, fac citius*, quem tamen infelix ille, Iudaeis tradendum, tunc temporis curabat. Fac citius, ac si diceret, Permitto, id sceleris quam citissime facias, nihil obsto, nihil impedio. Licet haec verba per ironiam dicta esse intelligi possint. Et in libris Regum, *Deus ad malum spiritum dixisse perhibetur: Egredere, & fac illa, & tamen dixerat, Decipies, & praeualebis.*

Cap. XXIII.

De peccato, quod dicitur ex malitia.

Theologi communi consensu tradiderunt, quaedam peccata ex malitia committi, alia ex affectu appetitus, alia demum per ignorantiam. *Primo* quaeritur, Quodnam peccatum dicitur fieri ex malitia? *Scotus*, 2. d. 43. q. 2. esse probabile, censet, malum, quatenus malum est, posse appeti, & deligi, & propterea peccatum ex malitia esse, cum quis malum, ut malum est, eligit. Sed merito haec Scoti sententia, quamuis Ochamò, Gabrielis, & alij 2. d. 43. probabilis esse videatur, aliorum melius iudicantium communi consensu refellitur. Nam quicquid appetit voluntas, appe-

tit, amat, & eligit, ut bonum sibi, videlicet, ut utile, vel iucundum est, & proinde commune sibi propositum finem semper habet, bonum nimirum in vniuersum, aut beatitudinem generatim, quod est bonum habere, & carere malo: ita ut ipsi quoque, qui peccant, in finem bonum intendant generatim acceptum: peccando enim volunt bonum habere, & malo carere, quod est beatitudo vniuersè sumpta: at deficient, & aberrant à vera beatitudine, quae in Deo, ut in primo, & summo bono speciatim consistit. *Præterea*, peccando bonum sibi iucundum, vel utile conlectantur; sed ideo peccant, quia ab honesto deflectunt; hoc est, posthabito honesto, utile, & iucundum perperam prosequuntur. *S. Thomas* 1. 2. q. 72. artic. 6. peccatum ex malitia vocat, cum quis scienter malum eligit, non quod per se directio, ut contendit Scotus, appetat, & velit malum, sed quia vult, ut bonum sibi utile, vel iucundum, sciens tamen esse turpe, & ratione, ac lege damnatum. *Bonau.* 2. d. 43. artic. 2. q. 1. & Durand. 2. q. 43. q. 1. merito adiungunt, peccatum ex malitia esse, cum quis scienter malum eligit, neque ex aliqua animi perturbatione incitatus. Non enim sufficit ad peccatum ex malitia (quod dixit *S. Thomas*) malum scienter eligere; sed necessarium est quoque, ne appetitu instigante malum eligat voluntas: nam alioqui peccatum ex malitia erit quidem distinctum ab eo, quod per ignorantiam contrahitur, non tamen ab eo, quod ex animi affectu, seu perturbatione committitur.

Secundo quaeritur, An peccatum quod fit ex habitu, dicatur fieri ex malitia? *S. Tho.* 1. 2. q. 78. artic. 2. aperte fatetur esse ex malitia, siue id fiat ex habitu in appetitu sensus, siue ex habitu in appetitu rationis inhaerente. Probat hac ratione: *Habitus* mouet voluntatem, aut per extrinsecas causas, aut per ipsammet voluntatem: sed quoquo modo id fiat, voluntas neque per ignorantiam mouetur, nec ab vilo appetitus affectu pertrahitur; ergo per se ipsam incitatur, & commota delinquit. Hinc fit, ut quis malo habitu affectus possit ex ignorantia, aut perturbatione peccare, etiam si non ex malitia delinquat: nimirum cum Titius habens vitiosum habitum, quidpiam perperam facit; sed non motus ex habitu, sed vel perturbatione inuitatus, vel ignorantia deceptus.

Tertio quaeritur, An qui ex malitia peccat, ex habitu quoque peccet? *Negat S. Thomas* 1. q. 78. artic. 3. & merito: potest enim plerumque fieri, ut quis citra vllum habitum scienter eligat malum, nulla animi perturbatione commotus, nullo affectu sensus, & carnis impulsus.

Quarto quaeritur, An qui ex mala naturae conditione, aut deprauato corporis morbo peccat, videatur peccare ex malitia? *S. Thom.* 1. 2. q. 78. artic. 3. videtur id concedere. Sed non per se id docet: quia solent haec in naturam verti, & proinde videtur voluntas à seipsa mota, & impulsiva, delinquere. *Probabilius meo iudicio* est, eiusmodi peccata fieri ex perturbatione animi, quia morbus corpus immutat, quo mutato varijs motibus appetitus afficitur, ac deinde voluntas pro huiusmodi motuum varietate huc illucq; ducitur. Pari quoque ratione praua conditio naturae solet corpus, & appetitum sensus variè afficere, & proinde vo-

luntatem

luntatem quoque mouere, & flectere. Cernere est pueros libenter vescentes carbonibus, cinere, terra, & alijs similibus, in quibus deprauata humorum infirmitas dominatur. Ex quibus omnibus intelligitur, id peccati ex affectione, & perturbatione animi fieri, quod perturbationis dominantis impulsu committitur. Quod tripliciter potest accidere: vno modo, quando perturbatio mentem, & rationem distrahit, ita vt non perspiciat, quid fieri oporteret: altero modo, quando perturbatio corpus afficit, & proinde voluntatem varijs corporis affectionibus exagitatam allicit, ducit, & torquet, & mouet ad se. Tertio modo, quando appetitus sensus ita viger, & valet, vt ad se moueat, & flectat quodammodo voluntatem aliquando oblectantem, aliquando sua sponte obloquentem.

Quintò queritur, An possit esse in voluntate peccatum absque vilo errore mentis, siue rationis? quod est querere, An voluntas possit malum eligere contra rationem perfectè, ac plenè scientem, quid agere oporteat? Fuit communis veterum Theologorum sententia, quodocunq; quis sponte sua, & voluntate delinquit, aliquem in eo præcedere, non quidem tempore, sed natura errorem intellectus, ita vt nisi erret ratio, voluntas peccare nequeat. Sic S. Tho. 1.2. q. 77. art. 2. Gotifre. quodl. 5. q. 1.2. quodl. 8. q. 16. Henr. quodl. 10. q. 10. & q. 13. quam sequuti sunt postea Dura. 2. d. 39. q. 1. Adrian. quodl. 4. q. 1.1.1. Burida. lib. 7. Ethic. q. 7. sic omnes S. Thomæ discipuli, Cai. Conra. Medi. 1.2. q. 77. art. 2. At enim difficilè explicatu est, quoniam sit ille rationis error, quem mala voluntatis electio consequitur. Quidam facile se expediunt dicentes, errorem intellectus non ad speculationem, sed ad praxim, & actionem pertinere: ita vt perfectè, & plenè ratio perspiciat, quicquid est speculationis, actionis non item; & propterea ante quamcunque malam electionem præire rationis errorem, quo ratio iudicat hoc loco, & tempore, hoc aut illud malum esse amplectendum, vel appetendum, honesto posthabito. Alij verò, Scot. 3. d. 36. q. 1.4.2. Ocham. 3. q. 12. & quodl. 4. q. 6. Gabr. 3. d. 36. q. 1.4.2. p. 2. concl. 3. putant tale rationis iudicium minime in intellectu præcedere, eo quod huiusmodi iudicium sine errore contra fidem esse nõ possit. Fides enim non solum generatim præscribit, omne turpe esse deuitandam, sed etiã speciatim hoc, & hoc turpe esse fugiendum. Deinde, iudicante recta ratione, hoc aut illud non esse faciendum, voluntas aut potest facere, aut non potest facere; si potest, ergò nihil errante ratione, voluntas potest malum eligere, si non potest, ergò voluntas libera in eligendo non est, si quidem actum suum in sua potestate non habet. Adde his, quod extant hæc de re tres articuli Parisenses, quorum primus est: *Stante scientia in vniuersali, & particulari, voluntas non potest oppositum eligere. Error. Vel, existente maiori in actu, & minori in actu in Syllogismo, voluntas non potest oppositum velle. Error.* Secundus articulus: *Si recta ratio est, recta quoque voluntas est. Error.* Tertius: *existente voluntate in vltima dispositione, homo non potest oppositum velle. Error.* Qui articuli videntur esse editi contra sententiam prædictorum veterum Theologorum S. Thomæ, Gotifredi, Henrici, qui omnes aperte docent contra rectam rationem per-

fectè, & plenè scientem generatim, & speciatim quid sit agendum, non posse voluntatem malum eligere. Caietanus, Conradus, & alij aiunt contra iudicium rationis, quod in consultatione, & consilio consistit, posse voluntatem malum appetere, & eligere; non tamen contra rationis præceptum, quo ratio voluntati denunciat: Hoc facias, illud ne facias: In quo actu nihil affirmatur, nihil negatur; & proinde nullus est in fide error, & tamen est error rationis. Alij non placet huiusmodi sententia, eo quod putant rationis præceptum esse, non posse absque enunciatione aliquid aiente, aut negante.

Tota hæc controuersia videtur facilè expediri posse, si animaduertamus, posse voluntatem aliquid velle, appetere, eligere, prosequi absque vlla rationis enunciatione, vt iam ante annotauimus; siquidem puerorum, amentium, & belluarum appetitus ad aliquid prosequendum, vel respiciendum mouetur; & tamen eorum sensus enunciationes non format. Satis enim est, vt voluntas in aliquid feratur, si ratio id proponat tanquam bonum, vtile, iucundum, vel honestum, etiam si nihil affirmet. Quare ex his duo concipiuntur, quæ tanquam certa mihi videntur: **Vnum est;** nullum peccatum esse voluntatis, quin antecedit rationis error. **Alterum est;** eiusmodi errorem non esse in Fide, alioqui enim, quoties aliquis delinquit, contra Fidem faceret. Est igitur error rationis absque vlla enunciatione, & proinde in Fide intellectus non errat; sed quia voluntati ratio proponit malum, quatenus maius bonum, vtile, scilicet vel iucundum, quam sit honestum. Nam in re voluntati proposita ratio ipsa tres boni rationes obijcit, videlicet vtilis, iucundi, & honesti: at rationem vtilis, vel iucundi efficacius ponit ante oculos; & idcirco tanquam maius bonum; voluntas verò ex hypothesi si velit, ad maius bonum fertur, ac ducitur. Neque enim potest, quod minus bonum apparet, eligere, ac prosequi maiori bono neglecto, licet nunc suo possit, nec minus, nec maius bonum amplecti. Et ideo peccatur, quoniam vtile, vel iucundum efficacius mouens eligitur honesto posthabito. Quod autem vtile, vel iucundum vehementius allicit, & moueat, inde est, quod non omnia æqualiter ratio perspiciat: & propterea aliquantula interuenit inconsiderantia. Error autem est absque vlla enunciatione, cum ratio vtile, vel iucundum proponit ex maiori vi, & efficacia, quam honestum. Ac proinde **verissimum est** nunquam voluntatem in eligendo peccare, quin ratio erret in proponendo. Verum item est, peccantem ideo contra conscientiam agere, & id prosequi, quod est lege interdictum, quia vtile, vel iucundum eligit honesto postposito. Et quod magis perspiciatur turpe, & malum, quod sit, eo maior est conscientia accusatio. Nec item sequitur, vt in ratione duo iudicia contraria antecedit voluntatem male eligentem: nam etiam si demus rationem iudicando affirmare, vel negare, vnum tamen est iudicium, quo iudicat, hoc esse turpe, siue non faciendum, siue lege vetitum; alterum est iudicium, hoc nempe, idem obiectum corpori, vel sensibus minus vtile, & minus iucundum esse: quæ duo iudicia de eadem re obiecta contraria

non sunt, quamuis diuersa: nam verbi gratia furtum, vel verbum otiosum, ratio non solum dicit, esse malum, esse turpe, esse vitandum: sed etiam proponit illud voluntati, vt corpori, vel sensibus male affectis tanquam vtilius, vel iucundius, & tunc voluntas eligit, quod vtilius, & iucundius est corpori, vel sensibus, honesto contempto.

Cap. XXIV.

De peccati effectis.

INTER peccati effectus Theologi recensent maculam, reatum, & poenam: de quibus est breuiter differendum.

Primo queritur, Quidna appellatione macula accipiant Theologi? **Respondeo,** quemadmodum in rebus corporalibus priuatio inducta rem priuat forma sibi debita, vt caecitas priuat oculos aspectu, & proinde priuat etiam re obiecta, & sine quoque debito; caecus enim priuatus est luce, colore, & omni eo sine, quem propositum sibi aspectus, si adesset, haberet: Ita etiam lethale crimen priuationem quandam affert, qua quis gratia, & charitate nudatur, & eo ipso, peccatum hominem a Deo disjungit, & auerit, qui est finis sibi congruus. Et quia gratia est quidam nitor, splendor, & decor animae, priuatio eius merito macula nuncupatur.

Secundo queritur, Num si homo cum solis naturae dotibus, ac viribus a Deo procrearetur, & deinde laboraret in peccatum, vllam in animo maculam contraheret: nam macula vbi dixi diuinae est gratiae priuatio, sed tunc peccatum hominem nulla orbaret gratia, quam non acceperat. **Respondeo,** parum aut nihil referre, acceperit quis gratiam necne, quoniam lethale crimen diuinae gratiae aduersatur, eamque aut vi, & effi cacitate sua, aut saltem merito excludit, vbi est, & excluderet, si inueniret inductam. **Quemadmodum** etiam hoc ipso, quod est lethale peccatum, hominem a Dei amicitia diuellit, quia quicquid est rationi contrarium, a Dei amicitia, & charitate dissentit, & propterea illam dissoluit, ac dirimit: etiam si nulla hominis cum Deo amicitia praecesserit. **Ex dictis** etiam perspicitur, quo pacto post primum peccatum, secundum, & tertium, quamuis lethale quoque sit, gratiam quidem non tollit, quia erat per primum sublata, secundum tamen, vel tertium eam penitus repelleret, nisi esset per primum expulsa.

Tertio queritur, An aliquis desistens, & cessans ab actu, qui est peccatum, sit adhuc, & dicatur peccator ob maculam in animo susceptam, & adhuc remanentem? Tres inuenio opiniones; **prima censet** peccatorem esse, & nominari non ob aliquid, quod re ipsa in homine post actum malum permanet, quoniam nihil manet praeterquam habitus vitiosus: ob habitus vero peccatores non dicimur, quippe qui per gratiam adoptionis minime excluduntur: sed ideo dici peccatorem vult ea opinio, quia in Deo est actus, quo ipsum debitis supplicijs addicit, & subiicit ob id, quod peccatum admisit. Homo igitur quatenus est obiectum diuinae voluntatis perpetuum supplicium ob crimen patratum irrogantis, dicitur & est vere peccator. Hae fuit sententia Scot. 4. d. 14. q. 1. a.

1. vers. dico ergo. O Cham, 4. q. 8. & 9. Gabr. 4. d. 14. q. 1. a. 1. nota. 2. Almai. 4. d. 14. q. 1. quam tamen S. Thomae discipuli communi consensu refellunt. Sensit ille post praeteritum malum actum reuera nihil in homine manere, a quo & sit, ac nominetur peccator, sed tantum respectum rationis, quo est homo obiectum diuinae voluntatis in eos, qui perperam faciunt, poenam debitam constituentis, & quatenus eiusmodi respectus, & ordo reuera est cum damno, & detrimento hominis, per metaphoram macula nominatur: quatenus vero refertur ad poenam, qua culpa meretur, reatus: Et quatenus terminatur in poena ob culpam vindictam, offensam. Deum enim peccatis offendi, nihil iuxta hanc Scoti sententiam aliud est, nisi velle malefactum debitis poenis vlcisci. Attamen haec opinio, ideo ab alijs rejicitur, quia diuinae voluntatis actus, cuius peccator ipse est obiectum, est iustitiae opus, & officium: fieri autem non potest, vt quis peccator esse dicatur ab actu, & officio diuinae iustitiae. **Deinde,** in peccatore Scotus nihil aliud remanere putat, nisi reatum; at reatus tantummodo est cuiusdam obligationis vinculum, quo peccator est poenis obnoxius, quae tamen obligatio peccatorem minime constituit, sed reum, & debitorem poenae. Nam qui peccauit, poenae certae Dei lege subiicitur. At Scotus his facile responderet, non dici peccatorem a solo reatu, sed ex eo, quod Deus eum subiiciat poenis ob malefactum perpetratum; ita vt peccator sit quis, quia poenis fit ob suum malefactum obnoxius, vbi & est respectus, & ordo ad poenam, cui subiicitur, & ad delictum, quod fecit: quaquam Ochamus, & Gabriel volunt dici peccatorem non a respectu rationis, quo homo est diuinae voluntatis obiectum, sed a peccato praeterito: multa enim nominari solent ab actibus transactis, etiam si nihil deinde reuera permaneat in ipsis. **Exemplum sit:** Titius a Caio pecuniam mutuam accepit: Titius dicitur debitor, & Caius creditor, quia vterque cum altero contraxit, & vnus dedit, alter accepit mutuam pecuniam. Similiter dicitur aliquis peccator, non ob aliud, nisi quia peccauit, & nodum est ei peccatum remissum. Obijcies, ergo perpetuo peccator appellari poterit, si semel deliquerit, quoniam in perpetuum verum erit dicere eum peccasse: Respondent illi, non dici peccatorem ob actum transactum simpliciter, sed ob culpam ex actu praeterito contractam, & nodum diuinitus remissam, & per contrariam voluntate Dei beneficio, & munere, reuocatam. Et haec fuit Scoti, & aliorum sententia, quae non videtur improbabilis, quamuis a Soto, Caietano, & alijs S. Thomae discipulis acriter improbetur. Nam secundum Scotum in peccatore duo respectus insunt, vnus quidem ad actum praeteritum, quo quis deliquit, ratione cuius, in culpa esse dicitur, & proinde peccator: alter ad Deum destinantem hominem ad poenas, & volentem punire eo, quod deliquerit, qua ratione dicitur debitor, & reus poenae. Alijs tamen sicut & mihi magis arridet veterum Scholasticorum opinio dicentium, post actum malum in homine maculam manere, quae est diuinae gratiae priuatio, a qua peccator quis nominatur, & est: ita vt peccator sit ideo, quia per peccatum se diuina gratia denudauit, iuxta haec pariter sententiam in peccatore duo continentur, videlicet,

absentia,

absentia, siue vacuitas gratiæ, & quod ea sit ob malefactum, siue peccatum contracta.

His quædam obijcit Scotus. Indè, inquit, fieret, vt cætera peccata post primum, nullam maculam inducerent, quippè quæ gratiâ non tollunt, quam primum peccatum excluderat. Respondeo, reuera gratiam depellerent, nisi ea per primum peccatum sublata esset. Vndè, omne lethale crimen, aut meritò, aut sua vi, & conditione hominem diuina gratiâ, & charitate spoliât, ac nudat. Deindè obijcit, fieret, inquit, vt vniuersa peccata sint eiusdem speciei, quia sunt diuinæ gratiæ priuationes, quæ non nisi per formas, & habitus distinguuntur: sed gratiâ est vna, ergò peccata inter se minimè differunt. Respondeo, nihil argumentò cõcludi: nam peccatum post malum actum præteritum, licet sit diuinæ gratiæ priuatio, est tamen voluntaria, hoc est, eius, qui peccat, voluntate suscepta, non naturaliter contracta. Et proindè quamuis naturales priuationes per formas, & habitus duntaxat specie distinguantur; peccata tamen specie differunt, quia per actus voluntarios specie diuersos contrahuntur. Tertio obijcit, sequeretur, ait, peccatores alios alijs non esse peiores, & deteriores, cum priuatio gratiæ non sit maior in vno peccatore, quam in alio. Respondeo eiusmodi priuationem esse proprio hominis actu susceptam, vt dixi, quia est propria eius voluntate contracta: in vno autem homine peiori, & deteriori voluntate contrahitur, quam in alio, eò, quòd aut pluribus malefactis, aut deterioribus suscipitur, sicut vmbra maior, minor uè est eo quòd maius minus uè corpus opacum sic interiectum. Sic respondet S. Thomas 1.2. quæst. 86. art. 1. ad 3. Quarto opponit, si homo absque gratiâ, & iustitia conditus peccaret; cessans deindè ab actu, verè esset, & diceretur peccator, & tamen gratiam non amitteret, quia nullam acceperat. Respondeo, peccatum lethale per se gratiæ priuationem mereri: satis igitur est, si in eo hominis status, & conditione peccatum per se gratiam depelleret, si ea in homine adesset. Est enim lethale crimen merito, aut vi, & conditione sua gratiæ aduersum, atque contrarium. Quinto Scotus argumentatur: Gratiam solus Deus efficit, confert, infundit, & conseruat, ergò eam peccatum non tollit, sed solùm irretit qui peccat, vt sibi auferatur. Respondeo, posse quidem gratiam absque peccato hominis diuinitus auferri, & tunc absentia gratiæ in homine priuatio non esset, sed sola negatio, qualis fuisset, si Deus hominem sine gratiâ procreasset: at verò crimen gratiam expellit merito, aut conditione, & vi sua, vt formam sibi contrariam; & talis absentia gratiæ est voluntaria quædam priuatio, per quam scilicet aliquis caret forma, quam habere debuisset.

Quarto quæritur, An lethale peccatum vi, & natura sua gratiam expellat, an verò solùm mereatur, vt Deus gratiam tollat? quod est quæren-
re, an vi, & conditione sua eam eiciat, tanquam formam sibi aduersam, atque contrariam; an verò merito duntaxat. Duas video Theologorum opiniones; prima affirmat solùm merito, non autem vi, & natura sua crimen gratiam excludere. Sic sentierunt Henric. quodl. 5. q. 23. Scot. 3. dist. 23. q. 1. ad argumenta, Ocham. quodl. 3. q. 17. Durand. 1. dist.

17. q. 10. num. 15. Gabr. 1. dist. 17. q. 4. art. 3. dub. 3. propo. 3. et in 2. d. 35. q. 1. art. 1. conclus. 2. Almai. tract. 2. moral. c. 5. tribus, vel quatuor adductis argumentis. Primo, quia gratiâ est forma, & habitus supernaturalis diuinitus infusus, & in animo conseruatus, ergò solus Deus potest gratiam tollere. Vis enim, & facultas naturæ ea, quæ supra naturam sunt, attingere non potest, ergò neque ea delere. Deindè quia ea, quæ se vicissim naturaliter expellunt, ac perimunt, semper se eiciunt, ac pellunt: etiam si per ignorantiam in eodem homine ponantur; vt frigus, & calor; lumen, & tenebræ. At verò non ita se habent peccatum, & gratiâ: nam si quis ex ignorantia errauerit in fide, gratiam non amittit; ergò error in fide non est vi, & natura sua gratiæ contrarius. Adde his quòd multa sunt peccata, non quia per se mala sunt, sed quia humana lege prohibentur: ergò eiusmodi peccata per se gratiam auferre non possunt. Postremò, in omissione sæpè peccatum admittitur, & tamen omis-
sio non videtur, nisi meritò gratiam excludere; hæc opinio admodum probabilis quibusdam hoc tempore videtur. Secunda docet, peccatum lethale non tantum meritò, sed vi, & natura sua gratiam expellere. Ita S. Thomas videtur sentire: 2. q. 24. art. 10. cuius ea vnica est ratio, efficit quidem ad id conuincendum, quoniam peccatum per se, & directò est gratiæ contrarium: nam gratiâ reddit hominem dignum amicitia, & conseruatio diuina, Deo item gratum, charum, & acceptum: Peccatum verò hominem alienat profus, & auertit à Deo, & proindè facit eum indignum amicitia, & charitate diuina. Hæc autem duo seculum inuicem pugnant, dignum, & indignum esse amicitia, conuictione, & societate diuina: item, esse gratum, & charum Deo, & simul alienum, & auerium ab eo. Et gratiâ est efficacis diuinæ dilectionis effectus, ergò lethale peccatum vi, conditione, & ratione sua Dei, & hominis amicitiam dissoluit, ac dirimit: nam contraria se inuicem pellunt. Hæc sententia mihi probatur, de qua libro septimo fufius disputabo; interim dicere sufficiat, peccatum in præsentia sumi, nõ solùm pro actu, qui est malus, sed pro eo, quòd cum recta ratione, & lege diuina pugnat, siue in opere, siue in sermone, siue in omissione, siue in aliquo alio consistat, quòd Dei legi aduersetur. Item accipitur, vt est malum in moribus, ac proindè, vt est malum rationis, hoc est scienter, & voluntariè contra rectam rationem admissum: & non quatenus est aliquid naturaliter factum; nam amens rationis vlu carens facit quidem malum, sed non male: facit id, quòd est peccatum, sed non peccat: qui per ignorantiam probabilè, & inflam errat in fide, assentitur ei, quòd est contra fidem, sed in crimine hæresis non incidit, quia nec voluntariè, nec scienter contra fidem credit, ergò res, quæ est peccatum cum gratiâ, & charitate non pugnat, pugnat tamen, vt peccati rationem habet: & hoc modo peccatum accipit S. Thomas: quamuis Scotus acceperit primo modo. Quare ad obiecta respondeo; Ad primum quidem, fateor, gratiam esse formam, & habitum supernaturalem, quia nulla vi, & facultate naturæ fieri potest: nego tamen eam, nihil posse habere sibi contrariū. Nam quatenus est habitus quidam reddens hominem

dignum

dignum Dei benevolentia, amicitia, & confortio diuino, & regno cælesti, non autem præcisè absolute, & simpliciter, quatenus est supernaturalis quædam animæ qualitas, ornans & perficiens mentem, vi, conditione, & ratione sua, habet tanquam sibi aduersum, atque contrariū lethale peccatum, quod hominem reddit tantis Dei muneribus, ac donis indignum. Nihil igitur mirum est, si gratia, quæ à solo Deo fit, & infunditur, peccati intereat prauitate, vt potè sibi contraria, tanquam priuatione opposita, quandoque sumitur gratia, vt reddit hominem Deo charum. Nam quod substantias, quæ à solo Deo procreatæ conseruantur, nulla naturæ vis, & facultas perdere possit, inde profectò est, quia nihil habent sibi contrarium, cuius vi intereant, & perire queant. Ad secundum respondeo: gratiam habere aliquid contrarium, quod eam naturaliter excludat; nimirum peccatum, quod per se diuinam amicitiam soluit, ac dirimit, quæ sublata, tollitur necessariò gratia, quæ reddit hominem Deo gratum, & charum: pugnat autem ex natura rei gratia, non quidem cum re ipsa, & substantia, quæ peccatum est, sed cum ratione peccati, videlicet quatenus scienter, & spontè quis lethaliter peccat: nam eo ipso contra Dei amicitiam facit: quod si peccatum voluntarium non sit, res quædam erit, peccatum tamen non erit; ac proinde error in fide ex ignorantia proueniens, gratiam non delet, aut perdit, quia non est peccatum. Ad vltimum respondeo. Quamuis omisio non sit actus, est tamen voluntaria expressè, vel tacitè contra Dei præceptum & legem: & ita hoc sufficit ad gratiam tollendam; nam vt antè iam dixi, peccatum, non quia est res aliqua, sed quia est peccatum, gratiæ inimicum & aduersum est, & proinde vt peccatum est, non quatenus res aliqua, gratiam expellit, ac delet. Et hinc etiam soluitur, id, quod est obiectum, multa, fateor, esse peccata, quæ non sunt per se mala, sed quia aliqua lege scripta ventur: vnde non eorum substantia cum gratia pugnat, sed quatenus peccati rationem habent, pugnant cum gratia, & charitate, non vt gratia simpliciter est qualitas supernaturalis, sed vt facit hominem Deo gratū, charū, & amicum: vt septimo libro explicabo.

Quintò Quæritur, An lethale peccatum vi, & natura sua expellat reliquos habitus infusus virtutum, & donorum, qui semper charitatem comitantur; sicut gratiam expellit, & charitatem? S. Thomas vnà cum gratia, & charitate cæset infundi virtutes morales ad communem iustorum hominum vitam necessarias, dona etiam Spiritus sancti. Quam opinionem si sequamur, sentire quoque cum S. Thoma oportet; lethali peccato dona Spiritus sancti, & infusus virtutes morales excludi: non quidem quod omne crimen virtutibus moralibus infusus, aut donis Spiritus sancti, vi, & natura sua aduersetur, sed eo, quod omnes eiusmodi habitus infusi gratiæ, & charitatem comitentur, & cum ea nexu quodam & vinculo coniungantur. Quare hoc ipso, quod lethale peccatum vi, & ratione sua hominem gratia ipohat, & orbat, cæteris quoque habitibus moralibus infusus, & Spiritus sancti do-

nis denudat, ac priuat. Scot. Gabr. & alij videntur docere. Spiritus sancti donis peccatorem priuari, non eo, quod lethale peccatū vi, & substantia, siue natura sua pugnet cum eiusmodi donis: sed eo, quod is, qui lethaliter peccat, ea dona, quatenus cum gratia, & charitate sociantur, suo merito amittat.

Sextò Quæritur, An sicut lethale crimen natura sua gratiam, & charitatem excludit, ita etiam peccatum Fidei, Spei contrarium, ipsum fidei, vel spei habitum infusum, & supernaturalem vi, & conditione sua depellat? Quæstionem mouet, quod, quemadmodum omne lethale peccatum est gratiæ contrarium, & propterea vi sua eam eicit, sic etiam hæresis est fidei contraria; ergo vi, & ratione sua fidem excludit. Est vna opinio, fidei, vel spei habitum per peccata contraria sua natura expelli; alioqui enim si tantum ob meritum hominis expelleretur, alijs etiam peccatis fides posset amitti. Si quis enim totum populum aliquem in errorem fidei contrarium induceret, cum tamen ipse non contra fidem crederet, ac sentiret, fidem mereretur amittere, quam tamen non amittit: ergo fides non amittitur ex merito, sed ex natura peccati contra fidem admissi; & idem, inquit, sentiendum est de habitu spei. Si quis enim aliquos in desperationem adduceret, spei habitum mereretur amittere, quem tamen non amittit, nisi propriam salutem desperet: ergo spei habitus non ob meritum, sed ob naturam, & rationem peccati contrarij depellitur. At multorum fuit Theologorum sententia habitum fidei, vel spei per hæresim, vel desperationem tolli, non quidem vi, & natura sua, sed ob meritum peccantis: nam alioqui, inquit, si quis per ignorantiam probabilem, & iustam quidpiam contra fidem absque vlla culpa credidisset, habitum fidei amississet; quod est absurdum. Accedit, inquit, quod credere aliquid contra fidem, vi, & natura sua pugnat quidem cum actu fidei; & ideo naturaliter fidei actum extinguit, sed non pugnat cum habitu fidei, qui supernaturalis est, & à solo Deo pendet, efficitur, & cōseruatur; contraria igitur sunt, rem aliquam fidei credere, & non credere, quare simul esse non possunt: non autem pugnant naturaliter fidelem esse per habitum diuinitus infusum, & rem aliquam fidei non credere, hæc opinio fuit Scot. 3. d. 23. quæst. 1. ad argumenta. Hen. quodl. 5. q. 23. Ocham. quodl. 3. quæst. 7. Dur. 1. d. 17. quæst. 10. num. 15. & Gab. 1. d. 17. quæst. 4. a. 3. dub. 3. propositi. 3. c. 2. d. 35. quæst. 1. a. 1. conclus. 3. Almat. tract. 2. mor. c. 5. Mihi tamen magis prima opinio probatur, eam tamen sic intelligo: primum, hæresis suapte natura pugnat cum fide, & desperatio cum spe, quatenus hæresis est assensus, quo quis scienter, & sponte credit aliquid fidei contrarium, neque enim error in fide susceptus per ignorantiam probabilem & iustam, absque vlla culpa fidem tollit: neque desperatio inuoluntaria habitum spei, quoniam hæresis, & desperatio fidei, & spei contraria sunt, quatenus peccati rationem habent, non quatenus actus sunt naturaliter facti. Et hoc puto Scotū, & alios Theologos docere voluisse, videlicet non tolli habitum fidei per errorem contrarium ex natura rei,

hoc est, per errorem fidei contrarium naturaliter, non voluntarie susceptum. At S. Tho. conuenienter ijs, quæ docet. 2. *quest. 24. a. 10* dicit tolli per voluntarium errorem fidei contrarium, non solum ob meritum peccati, sed etiam ob repugnantiam, quæ est inter fidem & hæresim, ut fidei & hæresis rationem habent; alioqui enim eum sint alia deteriora, & grauiora crimina, quam hæresis, cur fidem non auferunt? Deinde, animaduertendum est hoc, quotiescunque certum aliquid in fide dogma scienter & voluntarie negatur, aut in dubitationem vertitur, eo ipso, totam rationem credendi negari, quoniam fide creditur, quicquid creditur ob testimonium diuinum. Si ergo vnum aliquid, quod sit diuinitus patefactum, & dictum negetur, hoc ipso, totam fidei rationem euertit. Si enim Deus, prima veritas & summa nos fallit, aut fallitur, quod fieri non potest, in cæteris quoque nutabit eius auctoritas. Quare eadẽ ratione, qua Deo in re vna fidẽ habemus, in reliquis quoque omnibus habere necesse est. *Idem* prorsus de spe dicendum: quicquid enim speramus, idcirco speramus, quia est nobis diuinitus promissum, ergo qua ratione vnum speramus, cætera quoque diuinitus promissa sperare debemus: quod si vnum eorum, vel minimum desperaueris, totam spei rationem tollis. Deus enim in reddendis promissis æquẽ est fidelis & verax: non igitur vnum sperare licet, aliud desperare. *Primo* obijcies: actus cum habitu non pugnat, sed cum actu: ergo in fide error simul esse potest cum habitu fidei. *Respondeo*: actum cum actu proximẽ pugnare, sed remotẽ cum habitu. *Secundo* obijcies: habitus fidei est supernaturalis, à solo Deo efficitur, pendet, & conseruatur: sed actus hæresis est naturalis: ergo non sunt contrarij. *Respondeo*: actus naturalis non pugnat cum supernaturali, quatenus vnus est naturalis, alter supernaturalis, sed quatenus habitus fidei mouet ad credendum, & hæresis dissentit à fide. *Tertio* obijcies: hæresis efficiendo non potest expellere habitum fidei, qui à solo Deo pendet, & conseruatur. *Respondeo*: siue efficiat siue non efficiat, hoc vnum contendo, per hæresim fidem expelli, non solum ob meritum hæresis, sed etiam ob repugnantiam. *Quarto* obijcies: fides potest infundi in hominem habitum hæresis habentem quam de suo peccato dolet. *Respondeo*: solum in præsentia dicitur per hæresim tolli fidẽ tanquã per formam contrariã, quando peccatum est, non negatur posse infundi habitum fidei, & simul esse eum habitum hæresis in hæretico recẽs per legitimam poenitentiam conuerso, quoniam habitus fidei, nõ cum habitu hæresis, sed cũ actu pugnat: vnde fit, vt non possit consueta lege Dei habitus fidei infundi in hominẽ, qui dissentit scienter & sponte ab ijs, quæ sunt fidei; dixi consueta lege Dei, quoniam Deus absolute etiam potest facere, vt cætera cõtraria sint simul in eodem, quamuis ex natura rei esse non possint: calor enim & frigus, Deo id faciente, in eodem simul esse queunt.

Septimo Queritur, Quibusnam poenis, & malis lethale peccatum hominem afficiat? *Respondeo*: primo, hominẽ gratia, & charitate lethale rimen ipoliat, ratione cuius macula in animo

contrahitur. Hac item ratione peccatum hominem à Deo alienat, & auertit: quia gratia è contrario hominem, in quo est, cum Deo societate quadã & amicitia coniungit, vnumquod quodammodo cum eo efficit. Hac eadem ratione peccatum hominem à debito suo fine abstrahit, quia nos distungit à Deo, qui noster est finis. Præterea, hoc ipso, quod lethali crimine præceptum aliquod violamus ad salutem, & vitam æternam necessarium, à fine deficimus; quia defectus ab aliquo, quod est ad finem consequendum necessarium. Secundo, lethale crimen hominem ab hereditate cælesti excludit, & huiusmodi malum Theologi appellat poenam damnit: est enim æternæ felicitatis amissio. Tertio, hominem micipat æternis supplicijs, quæ poena sensus ab eisdem Theologis nominatur: quæ pro qualitate criminis maior est & minor. Quarto, antea vitæ merita abrumpit, ac veluti intercidit: nam impedit, ne ipsi cælestis gloria, & hereditas reddatur: quam poenam Theologi hunc in modum explicare solent; lethale crimen, inquit, antecedentia quidem hominis merita non extinguit, sed quasi sopita, atque obruta reddit: id autem ideò docent, vt ostendant eadem merita per poenitentiam, & gratiam reuiuiscere, instar arborum & fructum, qui hyme quidem non intereunt, sed veluti languescunt, & vere nouo reuiuiscere incipiunt, ac reflorescere. Item, vt differentiam constituent, inter merita præcedentia, & opera bona moralia peccatoris: nam hæc, vt potè mortua, & extincta, nequaquam per poenitentiam, vt illa, reuiuiscunt, nec redeunt amplius.

Octauo Queritur, An sicut poena sensus est inæqualis, sic & poena damni inæqualis sit? *Conuenit inter omnes esse æqualem per se, aliunde tamen esse inæqualem: inæqualitatem tamen diuersis modis constituent, & explicant. Quidam enim ideò inæqualem esse arbitrantur, quia defelicitatis amissione vnus magis tristatur, ac dolet, quam alter, prout grauius, aut leuius peccauit. Sic Abulen. in Math. ca. 25. *quest. 640. Sot. in 4. 50. quest. 1. a. 4. & ante eos Rica 4. d. 50. a. 5. que 11.* Hæc tamen tristitia dicitur, inquit, poena damni, non sensus, quoniam eam parit, ac gignit æternæ hereditatis amissio, non ignis, qui torquet & dis cruciat improbos, perpetuis supplicijs damnatos. Cæterum hoc solum probare videtur poenam sensus esse inæqualem, non damni: nam tristitia, quæ concipitur ex æternæ felicitatis iactura, poena est sensus, non damni, quoniam eo solum consistit, vt perpetuo quis careat cælesti hereditate. Alij verò poenam damni inæqualem esse volunt, non quidem per se, nec ob æternam felicitatem amissam, sed vt ordinem, & respectum habentem tantummodo ad peccata: poena enim per se peccato debetur; quo igitur maius, & deterius peccatum, eò grauiore & ætiori poena suum afficit auctorem: nam alioquin si quis cælesti premio sine vlla prorsus culpa careret, poenam non lueret; poena etenim non est, nisi ob culpam admissam, ita opinatur Al. ma. *traff. 3. moral. c. 29. ad finem; & Supple. Gabr. 4. d. 50. quest. 2. a. 2. proposit. 4.* Hi similiter auctores poenam damni non sensus moerorem appellane*

quem

quem inducit peccati præteriti recordatio, non autem ignis perpetuus: poenam verò apud inferos eam sensus esse fatentur, quam ignis parit, ac affert. Verùm hoc solum argumento probatur, poenam sensus maiorem, aut minorem deberi maiori, aut minori peccato; non tamen poenam damni oportere esse inæqualem: quia hoc ipso, quòd quis habere sibi videtur plus iuris ad boni aliquid, ad quod aspirat, consequendum, magis dolet, & angitur, cum se eo bono deiectum, ac deturbatum videt, & animaduertit ab omni spe eius potiundi decidisse. Ut si quis ius ad regnum haberet, & sua culpa illud amitteret, & proinde tantò magis quisque affligitur, & discruciat de æternæ beatitudinis iactura, quanto plus iuris, & meritum habebat ad eam. Ergò consentiunt omnes, poenam sensus in damnatis hominibus inæqualem, ac impari esse; quoniam tristitia & dolor, poena est animum discrucians, & torquens, siue eam ignis ingeneret, siue peccati præteriti recordatio, siue æternæ felicitatis amissio, siue iuris ad cælestis regnum consequendum iactura: poena verò damni in eo solum consistit, quòd quis cælesti felicitate careat, quam poterat, & debebat habere. Punitio verò eiusdem formæ, vna altera maior, aut minor non est, etiam si forma, quæ posset, ac deberet inesse magnitudinem, aut paruitatem haberet: quemadmodum enim cæcus vnus alio magis, aut minus cæcus non est, quia vnus aspectum acutiorem, acriorem, & perspicaciorem, alius verò hebetiorem, & tardiorem amiserit: hic vnus non est maior peccator, aut minor, eò, quòd à maiore, ampliore Dei gratia per peccatum exciderit: nec vnus item magis æternæ beatitudine caret, quòd maius ad eam ius aliquando obtinuerit, sed quia magis affligitur quisque, vel eo, quòd animaduertat, se à maiori iure excidisse, vel grauius, & deterius peccasse. Apud inferos igitur poena sensus est vna per se maior, aut minor alia; poena damni per se non item, quatenus in sola priuatione consistit, sed quatenus ex maiori, minoritè causa soluitur: sicut vmbra maior, minorè est ex maiore, minorèue corpore opaco interiecto: pari ratione. S. Tho. 2. quæst. 86. a. 1. ad. 3. docet peccata esse alia alijs deteriora & grauiora, & proinde maculam animæ, quæ est priuatio gratiæ aliam alia esse maiorem minorèue, quia macula, inquit, non est sola priuatio gratiæ; sed quatenus est per peccatum grauius, aut leuius, tãquam per causam inducta. Et Maior 4. d. 50. quæst. 2. conclus. 2. ait: poena damni non est sola priuatio, siue gloriæ cælestis priuatio, sed est priuatio cum merore, & tristitia ob grauius, vel leuius peccatum admissum, grauior, leuior ue est.

Nonò Queritur, An possit esse peccatum, quod nulla vnquam poena sensus sit puniendum? Respondet: iuxta legem diuinitus institutam in rebus, nullum esse, aut esse posse peccatū, propria hominis voluntate contractum, quod aliqua poena sensus nō puniatur. Almain. tract. 3. moral. c. 15. At verò præter rerū solitā legem, & ordinē esse potest peccatum, de quo nulla vnquam sensus poena sumatur; nihil enim impedit, quo minus Deus à peccatore poenas non repetat. Nam lege sua peccata puniunt: verò peccatum, quamuis

Dei nutu impunitum perpetuò maneret, nihilominus tamen esset supplicio dignum. Peccatum igitur, quatenus peccatum est, poenam, aut perpetuam, aut temporalem meretur. Item peccato, ut peccatum est, poena debetur, nec peccatum esse potest, quòd non sit poena dignum. At verò, quòd poena perpetuò, vel ad tempus puniatur, id postulant diuinæ iustitiæ leges in fontes, & perditos constitutæ.

Decimò Queritur, An possit esse peccatum, quod nec lethale, nec veniale sit? Quidam affirmant esse posse. Almain. tract. 3. moral. c. 15. testatur Martinum, & Durandū sensisse, id fieri posse, si absolute, & simpliciter loquamur, præter rerum ordinem ac legem, eò quòd possit Deus peccatum aliquod nec perpetua, nec temporaria poena punire. Sed reuera, aut lethale, & veniale peccatum vocamus, quod poena sensus peccatoris, vel ad tempus puniatur: aut quod poena perpetua, vel temporaria dignum est. Si primo modo lethale & veniale peccatum sumamus: potest quidem esse peccatum, semota Dei lege, quæ est constituta, quod nulla vnquam poena, vel æterna, vel temporaria sit puniendum: at verò si secundo modo accipiamus, non potest esse peccatum propria hominis voluntate commissum, quod non sit lethale, aut veniale, hoc est, quod non vel poenam æternam, vel temporariam mereatur. Peccatum enim est, vel graue, vel leue: Si graue, dignum est supplicio sempiterno: si leue, poenam temporariam promeretur. Peccatum itidem, aut hominem à Dei gratia & charitate disiungit, quippe quod est diuinæ amicitiae inimicum & aduersum; & huic perpetua poena debetur: aut Dei gratiam & charitatem non delet, & hoc temporariam poenam meretur.

Vndecimò Queritur, An actus aliquis voluntarius, ac liber ita per se malus sit, ut non modo carere deformitate queat? Sunt, qui censent nullum esse humanum actum per se malum, ac peccatum, qui ab omni prauitate denudari non possit; sic quidam iuniores. Immo Almain. tract. 3. moral. cap. 15. ait ita sensisse Martinum, Durandum, & alios, quos ibi citat; fatentur quidem actus alios esse lege naturali damnatos, alios scripta lege diuina, vel humana interdictos: & illos esse per se malos, non quia non possint non esse mali, sed quia ante omnem legem scriptam sunt malignos verò non esse malos per se, sed tantummodo malos, quia lege scripta vetantur. Ceterum aiunt, eos etiam actus qui sunt iure ac lege naturali damnati, non esse ita per se malos, ut omni prauitate spoliari non possint; quòd vnica ratione conuincere conantur. Nam omne peccatum ideo est peccatum, quia diuina lege vetum: ergo si Deus legem deleat, ac tollat, peccatum non est: ut puta homicidium, adulterium, furtum, detraçtio, periurium, falsum testimonium, ac mendaciū, sunt peccata, & per se mala, quia legi naturali contraria. Sed finge, non esse Dei præceptum, quod hæc fieri prohibeat, tunc peccata nō erunt: at Deus, quicquid iubet, aut vetat, suo nutu & arbitratu iubet, ac vetat: ergo fieri potest, ut nihil iubeat, nihil prohibeat. Sed longè verior est eorum sententia, qui docent peccata iuri naturali contraria, ita esse per se

mala, vt omni deformitate carere non possint, nimirum, odium Dei, mendacium, periurium, & cetera huiusmodi, non possunt non esse mala. *Greg. 2. dist. 35. quest. 1. a. 2. Gab. 2. d. 35. quest. 1. ar. 1. nota 1. Almain. tract. 3. Moral. cap. 16.* qui vt hanc sententiam tueantur, & proposito aliorum argumentorum respondeant, docent Dei præceptum posse dupliciter accipi, aut verbis Imperatiui modi conceptum & datum; aut verbis Indicatiui modi: Verbi Gratia; mendacium, odium, Dei periurium, dupliciter vetari queunt: Vno modo sic, Ne mentiaris, ne odio habeas Deum, ne peieres. Aut sic, Non est mentendum, siue mentiri non licet: Non est peierandum, siue peierare, nefas est: si primo modo præceptum sumatur, omnia, inquit, præcepta etiam legis naturalis, sunt iussu Dei posita, quoniam Deus, quicquid extra se ipsum vult, liberè vult. At verò si secundo modo præceptum accipias, iuris naturalis præcepta, non sunt à Deo nobis liberè data, quoniam necessariò verum est: furari nefas est: peierare, mentiri, non licet: immo etiam si, ex hypothesi, Deum in rerum natura non esse fingeres, nihilominus esset verum, Mentiri non licet: & peccatum, inquit, quo ius naturale perstringitur, non est peccatum præcisè, quia interdictum Dei præcepto verbis Imperatiui modi dato, sed quia pugnat cum præcepto Dei per modum Indicatiui modo posito. Sed certè, quicquid sit de hac distinctione præcepti, negari non potest furtum, homicidium, adulterium, odium Dei, periurium, mendacium, & id genus alia, ita esse per se mala, vt non possint non esse mala: ita *Almain. tract. 3. Moral. cap. 16.* & ait sic sensisse S. Tho. Bonauenturam, Ochamum, & alios. Nam quemadmodum in his, quæ in natura consistunt, aliqua ita sunt per se vera, vt non possint non esse vera: neque enim vlla ratione, & potestate fieri potest, vt homo non sit animal, non sit corpus, non sit substantia, quoniam hæc ad hominis naturam spectant, nec rerum naturæ mutari queunt, vt aliud quippiam sint, quàm illud, quod sunt, vel vt non sint id, quod sunt. Sic etiam in moribus, quæ sunt per se mala, hanc naturam & rationem habent, vt per id, quod sunt, sint rationi contraria, & aduersa. Adulterium, siue homicidium, nec esse, nec intelligi potest, quod non sit rationi contrarium. Sicut enim calor esse non potest, quin sit aquæ inimicus, aduersus, & noxius; sic nec mendacium esse potest, neque periurium, quod non sit rationi dissentaneum. Et hoc est, quod Gregorius, Almainus, & alij docuerunt. Semper esse verum dicere; Mentiri, peierare, furari non licet: ratio enim si recta est, præscribit non esse peierandum. Dices, ergo furtum ideo est malum, quia ratio præscribit, non esse furandum; cum tamen ideo ratio præscribat, non esse furandum, quia furari est malum. Certè hæc duo se inuicem consequuntur, Furari esse malum, & rationem præscribere non esse furandum: & mutuo se ponunt, ac inferunt: sicut si patrem dicas, intelligis simul & filium, quia pater non est, nisi filij pater: & è contrario filius non est, nisi patris filius; sic etiam si furtum dicas: simul etiam dicitur rationi inimicum, & aduersum, quoniam furtum non est nisi malum rationis. Similiter si ratio præscribit, non esse

furandum, sequitur, vt furtum sit malum. Et idem iuris est in ceteris, quæ sunt per se mala, eod, quòd cum naturali iure pugnent. Sciendum tamen est prædicta peccata esse per se mala: ita vt bene fieri nequeant ab homine scienter, & spontè operante in materia, & re obiecta ex suo genere, & circumstantijs mala: nam alioqui extrema necessitate oppressus, re aliena iure vitur, vt suam vitam conseruet: & bello iusto etiam innocentes, vnà cum alijs iure necantur, & fontes auctoritate publica, sine peccato occiduntur, & iussu Dei vitæ, & necis habentis imperium potest innocens absque vlllo peccato iugulari.

Controuerfia est inter auctores, an quod est per se malum, saltem à Deo solo, sine homine fieri queat? Verbi Gratia: an odium Dei possit Deus per se facere: nam si id fecerit, malum non erit. Verum his hæc, & controuerfia ad nostram questionem non pertinet: nam in præsentia solùm est questio, an Adulterium, homicidium, furtum, volutariè, & liberè ab homine fieri queant, ita vt mala non sint: & dicimus, fieri non posse, vt mala non sint. Si obijcias, si nullum sit datum Dei præceptum de non furando, furtum malum non erit. Respondeo: sicut furtum esse non potest, quin cum ratione pugnet; sic nec ratio recta esse nequit, quæ non præscribat, non esse furandum. Diuina autem ratio per se ipsam est recta, ac proinde non potest non præscribere, furari esse malum, aut furari non licere: est enim ratio recta cum rei natura consentanea. At furtum per se est malum, ergò recta ratio omninò præscribit furtum esse malum, esse fugiendum, esse vitandum: siue præceptum scripto detur, aut lex promulgetur de non furando, siue secus, furtum semper est malum rationis, semper suprà naturam rectæ rationi contrarium.

De peccato originali.

Hactenus ea explicui peccatorum genera, quæ in aliqua actione consistunt, quæque propria hominum voluntate contrahuntur. Superest iam, vt breuiter disputatione de peccato originis, quod singulis hominibus innotatum est, eo quòd ab Adamo primo parente, in omne genus humanum communi seminis propagatione peruaferit; ita vt in vnoquoque hominum à primo ortu suo, atque conceptu sit vnà cum ipsa natura susceptum.

Cap. XXV.

Peccatum originis clarè, & euidenter expresscripturis, Patribus, & decretis Ecclesiæ colligi.

Primo queritur; An peccatum originis euidenter ex sacris litteris colligatur? In concilio Tridentino, sessione 5. de Pecc. orig. cap. 3. definitum est, peccatum originis esse in posterum à primo parète per propagationem traductum; quod olim fuerat contra Pelagianos decretum in concilio Mileuitano, Carthagenensibus, & Aruicano 2. quam fidei definitionem concilia colleguerunt, ex Paulo ad Rom. 5. xbi ait. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum

mors; & ita in omnes homines mors perit anssi, in quo omnes peccaverunt. In hac igitur ecclesie definitione tria continentur: Primum est, prædictum Apostoli locum nõ esse intelligendum de alio, quàm de peccato originis à primo genitore Adamo, in totam suam progeniem transmissio, propagatione, non imitatione. Ita concilium Tridentinum, Mileitanum, Carthaginense, & Araucanum. Hoc autem ideo definitum est, quia Pelagiani Apostolum interpretabantur de omni peccato transuso à primo parente in genus humanum, non quidem propagatione, sed imitatione, exemplo, doctrina, & occasione; ac si Paulus indicare voluerit, factos esse posteros Adæ peccatores; quia pravum sui primi parentis exemplum imitantur, vt filij solent parentum exempla sectari, & discipuli magistrorum vestigijs insistere: Et quemadmodum multi occasione accepta ex aliorum peccatis, mala sæpe committunt.

Secundò definitum est: Pauli sententiam esse, per peccatum Adæ non solum mortem corporalem, & alias huius vitæ poenas, in omne genus humanum permanasse, sed etiam verè, & propriè peccatum, quod est mors animæ. Ita concilium Tridentinum, & Araucanum: quod itidem est contra Pelagianos decretum, qui contendeant posteros Adæ contraxisse quidem mortem corporis; cætera quæ huius vitæ mala, & poenas, quæ in sacris litteris nonnunquam peccata nominantur, ac ideo concedebant, ex primo parente contrahi quidem peccatum, id est, peccati poenam, non autem quod est verè & propriè peccatum.

Tertiò constitutum est, Mortis nomine apud Paulum prædicto in loco intelligi debere mortem corporis, quam Deus fuerat Adæ comminatus. Gen. 2. illis verbis: *In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris.* Sic concilia Tridentinum, Mileitanum, Carthaginense, & Araucanum. Quod similiter statutum est aduersus Pelagium aientem, eam comminationem Domini de morte propter peccatum sustinenda, intelligi de morte spiritali animæ, non autem corporis naturali. Docebat enim Pelagius, siue peccaret Adam siue non, eam & omnes eius posteros fore mortuos: quia mors, aiebat, est conditio natura, non poena, & effectus peccati. Hoc ille concludebat ex ipsa interminatione diuina. *In quacunque hora comederis, morte morieris:* nec tamen statim Adam est mortuus, ergo talis comminatio ad mortem animæ, non corporis, pertinebat: cum primum enim comedit ex fructu arboris sibi interdicto, gratiam diuinitus acceptam amisit, ac ita in animæ mortem incurrit: At enim Pelagius scripturæ phrasim, & hebraicum minime didicerat: scriptura enim futuro tempore frequenter vtitur pro eo, quod fieri solet, debet, aut potest, & contrario, quo modo vsurpauit Dominus cum dixit: *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt:* indicare volens, homicidas mereri, vt gladio pereant. Eodem illud pertinet Propheta: *Sacerdotes peccata populi mei conuertent:* significat enim; sacerdotes viuere solent, ac debent ex vicinis pro peccatis à populo oblati; nec non & illud: *Non loquentur pedes habent, & non ambulabunt,* cuius loci sensus est: os quidem, & pedes habent, loqui tamen, & in-

cedere nequeunt, aut non solent. In eandem igitur sententiam accipienda est comminatoria illa Domini vox ad Adamum: *Morte morieris;* id est, Reus eris mortis, aut morti obnoxius.

Secundò Quæritur, An ex prædicto Apostoli loco peccatum originis necessaria consecutione concludatur? Pelagiani negabant: sed certè ex ipso Apostoli contextu satis apertè colligitur peccatum originis, vt tergiversari Pelagius, nisi temerè, & impudenter non possit: Primò ex illa particula: *(Per vnum hominem peccatum intravit)* Nam si de transitu peccati, per imitationem loqueretur Apostolus, certè dicere debuerat, Per diabolum peccatum in hunc mundum intrasse: nam Sap. 2. dicitur: *Inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitatur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Deinde ex Verbo *(Mors)* quam proponit Apostolus, vt comitem peccati: sed mors pertransijt in omnes, etiam infantes, qui primum parentem peccatum nequaquam imitantur; ergo & peccatum. Item, ex illis verbis: *In quo omnes peccauerunt siue intelligas,* In quo, id est, in primo peccato, siue, In quo, id est, in primo parente omnes peccauerunt: sed infantes non peccauerunt imitando, ergo ideo, quia contraxerunt peccatum communi propagatione concepti, & nati. Præterea, ex illa particula: *Nam iudicium ex vno in condemnationem,* tanquam id vellet insinuare: Ex vno delicto condemnatum est genus humanum, quoniam in omnem posteritatem vnus Adamus peccatum simul cum natura transmisit. Postremò ex illa sententia: *Regnauit mors etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuersionis Adæ.* ergo regnauit etiam in omnes infantes: nec alieno sensu Apostolum hæc omnibus in locis interpretati sunt Patres Augustino inniores; Primasius nempe, Sedulius, Prosper, Fulgentius, Leo, Gregorius, Beda, Anselmus, Bernardus & alij.

Tertiò Quæritur, An ex alijs scripturæ locis peccatum originis apertè constet? Certè alter scripturæ locus est in Psalmo quinquagesimo. *Eccie enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis ed cepi me mater mea,* quo loco communi consensu vtuntur Patres ad peccatum originis comprobandum, Cyprianus, Origenes, Hilarius, Nazianzenus, Basiliius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cyrillus, Leo, Fulgentius, Rufinus, Cassiodorus, Beda. **Q V A E R E S S;** cur David dixit numero multitudinis, *[in iniquitatibus & peccatis]* cum peccatum originis sit vnum, non plura? Respondet Leo *epist. 86.* Primò, in illo vno peccato multa commisisse primum parentem, videlicet superbiam, sacrilegium, homicidium, furtum, auaritiam. Secundò ait, peccatis parentum etiam filios adstrictos teneri. Hæc autem sumpsisse videtur Leo, ex Augustini doctrina in *Enchiridio*, cap. 45. 46. 47. Nihilominus respondeo: in Hebræa littera vtrobique dici in singulari numero, in peccato in iniquitate, Septuaginta verò interpretes verterunt in numerum multitudinis, & fortassis eum numerum pro singulari vsurparunt: Hebræi enim cum significare volunt vnum aliquid ex pluribus, numero multitudinis vtuntur Gen. 13. *Moratus dicitur* *Leo, in oppidis iuxta Iordanem:* videlicet in vno e x illis

oppidis. *tonæ primo. Descendit (Ionas) ad interiora nauis; intellige, ad vnum ex interioribus. Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros id est vnum ex presbyteris. Cautè igitur legendus est Euthymius qui cum Psalmi versiculum ad alium sensum traxit. Natus sum (inquit) ex supitijs, quæ per peccatum intraverunt vna cum concupiscentia carnis. Secutus est hic auctor (vt videtur) aliorum Græcorum sententiam dicentium: Si Adam perseuerasset in prima iustitia, non erant futuræ nuptiæ, nec per nuptias procreatio sobolis: ita senserunt Nissenus de creatione hominis, cap. 18. Damasc. lib. 2. de fide ortho. cap. 30. & lib. 4. cap. 25. Chrysof. hom. 15. in gen. Procopi. ca. 4. in gen. Quæ sententia ab alijs Patribus merito est reiecta. ab Aug. lib. 9. super Genesim ad litteram. 4. cap. 3. vsque ad cap. 11. & lib. 14. de ciui. cap. 26. & lib. 1. Retract. cap. 10. & cap. 19. S. Tho. 1. p. quest. 89. & Mag. 2. dist. 20. David igitur in eo loco veniam suæ peccati precabatur, eò quòd quadam naturæ fragilitate peccasset, & ideo dicebat: Ecce enim sumus in peccato nati; & concepti; & propterea ad peccandum proclines.*

Tertius scripturæ locus est apud Iob: cap. 14. vbi latina lectio habet: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Septuaginta vocerunt: Nemo mundus à sordè, nec infans, cuius est vita vnius diei super terram; qua lectione vtuntur passim veteres Patres ad inferendum ex scripturis peccatum originis. Dionysius Areopag. Origenes, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Cassiodorus. Obijcies, editionem Septuaginta modo vim & auctoritatem non habere in Ecclesia, quæ vulgatam editionem latinam, vt autenticam approbavit. Respondeo, Ecclesiam hanc approbasse quidem, ita tamen vt illam minimè reprobauerit, quam citauit aliquando Christus Dominus, citauerunt Apostoli, quaque vsa est Ecclesia per quingentos, & eo amplius annos, præterquam quod in his locis, quibus communi consensu Patres vtuntur auctoritatem non amisit suam. De inde obijcies, Iustinum martyrem in opusculo. 146. questionum, quest. 88. scriptum reliquisse, illud ex Iob, quo dicebatur, Neminem quamuis illi vnius diei vita fuerit super terram, immunem esse à peccato, nullo modo ad infantes accommodari posse. Nam vita (inquit) quæ in Græco dicitur βίος, in eo loco Iob, pro conuersatione, & consuetudine viuendi sumitur: quasi Iob dicere voluerit: Nemo mundus à sordè, etiam paruulus, cuius conuersatio fuerit vnius diei super terram. Respondeo auctorem illius opusculi, non esse Iustinum martyrem, nam quest. 82. & 86. citat Origenem, qui tamen fuit Iustino posterior: & quest. 105. profert Irenæum martyrem Episcopum Lugdunensem, qui vel fuit Iustino aliquanto iunior, vel saltem æqualis. Non igitur eum auctore hac in parte approbamus, aut sequimur.*

Postremus locus habetur in Epist. Pauli, ad Ephes. 2. (*Erasmus, inquit, natura filij iræ, sicut & ceteri*) quem tamen locum non æquè firmum iudicamus, atque præcedetes ad peccatum originis comprobandum: quippe cuius duo extant apud Patres sensus: *primus, Eramus filij iræ, id est, vindictæ, & supplicio obnoxij. (natura) id est, origine*

& natiuitate per peccatum corrupta. Sic Augustinus libro 13. de Trinitate cap. 12. quem secuti sunt postea Primasius, Beda, Anselmus, S. Thomas, & sic sæpè explanant hunc locum, Hieronymus, & Sedulius: (*Natura*) id est, ab adolescentia nostra, *Alter sensus eorum Patrum est, qui verbum (Natura) accipiunt pro aduerbio reuera, vel profusa & omninò, vt hoc velit Apostolus: omnes eramus reuera obnoxij vindictæ, & supplicio, eò quod iram Dei prouocauimus. Hunc sensum agnouerunt Chrysofomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus.*

*Illo præterea argumento vtuntur frequenter Patres ad peccatum originis concludendum, sumpto ex communi traditione Ecclesiæ, quæ sacro ac salutari baptisinate abluunt infantes in remissionem peccatorum: qua traditione, & consuetudine vsa est semper Ecclesia à primis Apostolorum temporibus: nam profecto falluntur quidam nostri temporis Hæretici aientes paruulorum baptisimum cepisse tempore Originis: cuius tamen baptisimi meminit Dionysius Areopagita, capite vltimo, de Ecclesiastica Hierarchia. Clemens Romanus, lib. 6. Constitutionum Apostolicarum cap. 11. Irenæus lib. 2. cap. 39. Tertullianus lib. de Anima cap. 39. Cyprianus lib. 3. epistola 8. quæ est ad Fidum. Origenes homil. 8. in Leuiticum, & ad Rom. 6. super illa verba: *Vetus homo vester: quibus locis ait esse Apostolicam traditionem, Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. vltimo. Cyrillus Catecheseos mystagogica. Nazianzenus in oratione in sanctum Isaacum, Basilius in exortatione ad Baptisima, Chrysofomus ad Neophitos, & in Psalmum 14. Hieronymus Dialogo, 3. contra Pelagium ad finem, Augustinus lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 23. lib. 4. contra Iouanistas cap. 24. Quod si obijcias cum Pelagio, infantes debere salutaris aquæ sacramento initiari, vt in Ecclesiæ societatem cooptentur, & Christo insiti inter filios Dei censentur, vt ad regnum cælestè admittantur tanquam filij Dei per gratiam adoptionis ad hereditatem paternam, sed non vt aliquis peccati remissionem consequantur. Habent quidem paruuli (aliquis alius opponet) solam naturam à peccato, & gratia liberam, sed fidei sacramento imbuuntur, vt armis Christi muniatur contra diabolicos incurfus. Insuper obijciat alius, si in tantibus Baptisinaris sacramentum confertur, vt à peccato originis expiatur, cur dicit Ecclesia eos sacro baptisimatis fonte abluunt in remissionem peccatorum: siquidem vno tantum peccato originis tenentur obstricti? His omnibus respondeo, in Ecclesia semper esse creditum baptisimum in remissionem peccatorum suscipi, quia ex Paulo ad Romanos 6. aperte colligitur, baptisinate nos consecrari in morte Christi, & in eius resurrectione: ita vt baptisimus sit sacrum symbolum mortis, & sepulture Christi: vt sicut ille mortuus est vita temporali deposita, sic etiam ipsa immersione aquæ, profitemur, mori quoque nos peccatis veteris hominis extincti, & obruti: deinde emergence ex aqua profitemur nos vna cū Christo resurgere in nouitate vitæ, porrò baptisimus confertur in remissionem peccatorum, quia vbicumque sunt multa crimina, expurgat & delet omnia: cum vero vnum tantum est, id emundat, & eluit.**

Contra hæc omnia opponer aliquis, multos ex Patribus prædictum Pauli locum intellexisse de peccato Adæ in posteris deriuato imitatione duntaxat, & exemplo, non propagatione feminis. In his sunt Oecumenius ad Rom. 5. explicans illa verba Apostoli, Per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi. In omnes, inquit, primi parentis peccatum pertransiit imitatione, & doctrina: Et postea subiungit: Mortem contraximus, quia omnes peccauimus iuxta similitudinem illius. Photius item Patriarcha Constantinopolitanus, apud Oecumenium in eum locum Pauli: Ex Adam initium peccati, scribens: Quis nos, inquit, sumpta occasione peccauimus. Theodoretus quoque in eandem Apostoli sententiam ad Romanos 5. & Davidis illam in Psalmo 30. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. docet, mortem & poenas ad omne genus humanum transisse, peccatum verò occasione. Idem auctori in Epitome diuinorum decretorum c. 13. tradit multos sanctorum vixisse iuxta legem, & præscriptionem naturæ, nec fuisse obnoxios peccato Adæ. Euthym. in Panoplia lib. 2. c. 23. asserit peccato primo parentis morbos, & mortem cœpisse, supplicia autem æterna non primæ transgressioni esse constituta, sed singulis hominibus, qui se peccato obstrinxerunt. Arnobius in Psalmo quinquagesimum super id: Ecce enim in iniquitatibus, &c. As autem, inquit, qui nascitur, sententiam Adæ habet, peccatum verò suum non habet. Hieronymus in explanatione epistolæ, ad Romanos expendens illud (Per vnum hominem) peccatum ait, intravit exemplo, & forma, dum ita peccant, & similiter moriuntur. Idem quod sequitur: In quo omnes peccauerunt, ita explicat: Exemplo Adæ peccant; & cum dicit Paulus per peccatum mortem intrasse, ait intellexisse Paulum mortem animæ, iuxta illud Ezechielis: Anima que peccauerit, ipsa morietur, & ad Romanos septimo sine lege peccatum mortuum erat, & cetera. Insuper, inquit, qui de Adam auit per traducem ad nos venire peccatum. Ambrosius in commentarijs, ad Romanos, quinto, illi verbi. Per vnum hominem, scribit: Mors est dissolutio corporis, ac subdit: Est alia mors que dicitur secundum gehennam, quam non peccato Adæ patimur, sed cum occasione proprijs peccatis accersimus. Chrysostramus hom. decima, undecima, duodecima, & decimatertia, in Epistola ad Romanos, docet intrasse mortem, & effectus peccati, & affectus malos per peccatum primi parentis, id est, addictos & obnoxios morti, & alijs poenis corporis. Idem colligitur ex homilia trigesima nona, in primam ad Corinthios, cap. decimo quinto, in illud: Sicut in Adam omnes moriuntur. & homilia 17. in caput sextum, eiusdem epistolæ, & homilia vigesima quarta, in Epistola ad Ephesios, super vltima verba capitis sexti. Theophylactus item dum interpretatur verba Apostoli ad Romanos 5. Per vnum hominem peccatum, & cetera, eodem modo loquitur quo Chryf.

Respondet ad hæc omnia, in primis, non oportere nos laborare in defendendis, vel interpretandis Oecumenio, Photio, Theodoro, Euthymio, Theophylacto, & Arnobio. Si quis autem velit eos mitius ac benignius interpretari, id ei facere licebit, ut vult, ac poterit. De Hieronymo verò dicimus, Commentarios illos, qui nomine ipsius circumferuntur in epistolam ad Ro-

manos, nequaquam ipsius esse, ut multi viri dicti nostra ætate probauerunt. Et certè Hieronymus alijs in locis apertè constitetur, & agnoscit peccatum originis; quòd egregiè conuincit Augustinus libro 2. contra Iulianum capite 2. nec non id quoque certò argumento deprehenditur ex ijs, quæ scriptis in caput tertium Iona propheta, vbi hoc peccatum ex scripturis deducit: & in Dialogo tertio contra Pelagianos probat, primum auctoritate B. Cypriani, deinde traditione totius Ecclesiæ in Baptismate paruulorum in remissionem peccatorum. Accedit his, quòd illud verbum (insaniunt) non videtur, tanti Doctoris modestiæ, aut grauitati conuenire. Quod ad Ambrosium attinet, dubitari, non potest, agnouisse eum, aperteque docuisse peccatum originis: quod ex multis hinc inde congestis Ambrosij testimonijs concludit Augustinus libro 2. contra Iulianum cap. 2. Meritò tamen ambigere quis possit, an sint ipsius Commentarij in Epistolas Pauli, nomine Ambrosij prænotati. Verum quicquid auctor eorum commentariorum fuerit, is certe ad Rom. 5. paulo ante verba superius obiecta, illa inquam: Per vnum hominem, &c. apertè ait: In quo, id est, in Adam, omnes peccauerunt. Manifestum est in ipso omnes peccasse quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes sub peccato generauit, ex eo igitur sancti peccatores, quia ex ipso sumus omnes. Hæc ille. Porro Chrysostromus Iulianus Pelagij discipulus aiebat cum Pelagio sensisse, nullum esse peccatum originis. Augustinus libro secundo contra Iulianum capite secundo, multis verbis Chrysostromum defendit ab Iuliani calumnijs, & piè interpretatur eos locos, quos ex eo Iulianus prodixerat. Nostra tempestate quidam Monachus in annotationibus super Chrysostromum, à Concilio tamen Tridentino damnatis, tribuit Chrysostromo idem, quòd olim Iulianus tribuerat. Iacobus Faber Episcopus Viennensis in Apologia suorum Commentariorum in Paulum, ait, peccatum originis Chrysostromo nihil aliud esse, quàm obligationem humani generis ad mortem, & ad alias poenas corporis. Cerrè non est, cur minus modesti & pijs simus in Chrysostromum, tantum videlicet Ecclesiæ Catholice lumen, quam fuerit Augustinus, qui commode ac benignè eum mentem, & sententiam est interpretatus. Præsertim, cum Homil. 40. in prior. ad Corinthios, epistolam, idem dicat apertè Chrysostromus: In regenerationis lacra mentem gratia tangit, hinc radicale peccatum euellit. Vbi, radicale peccatum, quod Baptismus extinguit, videtur intellexisse, quòd est à radice, & origine contractum. Animaduertendum est in primo tomo operum Chrysostromi contineri sermones quosdam in certa quadam capita Geneseos, qui non creduntur esse ipsius: inter eos vnus est ille, qui inscribitur, de Adam & Eua, cuius initium est: Deus institutor Mundi, in quo aperta sit mentio de peccato originis. Sed videtur totus ille sermo compilatus ex operibus Augustini, præsertim verò ex certis quibusdam capitibus libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui tribuitur Augustino.

Secundò obijcitur contra ea quæ diximus, eo quòd in prædicto Pauli loco quædam dicuntur, quæ minus congruenter de peccato originis intelligi queunt. Primò, Origenes, & Ambrosius, tametsi locum Apostoli ex parte interpretentur de peccato originis, bonam tamen eius partem exponunt de peccato imitatione transmissio. Secundò dissident omnino à nostra vulgata editione: nam ubi latina habet: *Mors regnavit ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* ipsi per affirmationem legunt [*in eos, qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.*] Tertio, bis Paulus dixit, *multos, non autem omnes, unus, inquit, delicti peccatores constituti sunt multi, & mox. Per unius inobedientiam mortui sunt multi.* videtur ergo loqui Apostolus de peccato per imitationem transmissio: nam peccatum originis, si detur, omnes infecit, & interitum omnibus attulit. Quarto, Paulus dixit aperte gratiam Christi in plures abundasse quàm peccatum Adæ: at si Adam suum peccatum in omnes effudit, num in plures potuit gratia Christi abundare? Quintò, similitudo Pauli non videtur peccato originis posse accommodari, sed peccato imitatione transmissio. Sicut enim per Christum non omnes gratiam, & iustitiam accipiunt, sed qui ipsi imitantur vitæ moribus; sic non omnes sunt per Adam peccatores, & mortui, sed ipsius in peccando imitatores. Sextò, si peccatum Adæ etiam non peccantibus, nimirum parvulis nocuit: ergo iustitia Christi prodesse quoque debet non credentibus. Septimò Paulus 1. ad Corinth. 15. solum ait: [*Sicut in Adam omnes immoriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*] ubi mortem per Adam inunctam in mundum ait. non peccatum; ac ita resurrectionem hominum per Christum futuram. Ad extremum Ecclesiastici 25. solum dicitur; à muliere factum esse initium peccati, & per illam omnes nos mori; quasi dicat illam primum coepisse peccare, & ex ea deinde introductam esse moriendi necessitatem.

Ad hæc omnia suo ordine respondeo. Ad primum negare non possumus, in Græcis codicibus olim fuisse variam lectionem, uti Ambrosius, & Origenes, annotarunt, & Augustinus similiter. *Epist. 59. lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione.* Et quamquam Ambrosius, & Origenes, lectionem per affirmationem præferunt. *Regnavit mors ab Adam in eos, qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Augustinus tamen anteponit lectionem per negationem: *etiam in eos qui non peccaverunt.* & certè ipsi etiam Græci per negationem legunt sicut & nos, Chrysostomus, Theodoretus, Phorius, Theophylactus, Occumenius, Præterea, ad secundum respondeo: licet Ambrosius, & Origenes, magna ex parte Paulum interpretentur de peccato imitationis: ea tamen verba: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, usque ad eam, in quo omnes peccaverunt,* de peccato originis explanant, sicuti & concilia, ac cæteri Patres. Solum igitur Origenes, & Ambrosius, ab Augustino, & reliquis dissident, quòd cætera Pauli verba illi interpretantur de peccato imitationis, hi verò de peccato originis communi propagatione transmissio. Quare S. Tomas, in Paulum meritò dixit, ea verba: *Per unum homi-*

nem peccatum in hunc mundum intravit, usque ad eam locum: in quo omnes peccaverunt, solum intelligi de peccato originis; cætera verò posse intelligi de peccato originis, tum de peccato imitationis. Ad tertium respondeo, Paulum interdum dicere, *omnes, interdum, multos:* sed ut rectè adnotarunt Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus, promiscuè videtur Apostolus usus utroque verbo, & multos appellat omnes; & cæcè vocat multos, quia multos intelligit totam hominum multitudinem, aut generis humani univèrsitatem. Ad quartum respondeo, cum Paulus dicit in plures abundasse gratiam Christi, ut Chrysostomus ac cæteri Græcorum annotarunt, plures sumpsit pro multis, est enim Græcismus, quo nomina comparativa solent pro positivis frequenter usurpari. Sensus itaque verborum Pauli est hic, gratia Christi abundavit multo magis, quàm peccatum Adæ: nam licet Christus non mundaverit plures, quàm Adam corrumperit, plura tamen bona attulit Christus, quàm mala humano generi Adam intulerit: *item, iustitia, & meritum Christi maiorem vim habuit per se ad homines per gratiam servandam, quàm habuerit peccatum Adæ, ad eos corrupendos.* Ad quintum respondeo; in hoc Pauli similitudinem consistere: *Ut sicut peccatum Adami in omnes nimirum communi propagatione genitos pervasit, ita ut si alij essent aliunde procreati, peccatum Adæ minimè contraherent, ut postea apparebit; sic iustitia Christi permanet in omnes quæ in ipso renascuntur.* sicut enim ad peccatum originis contrahendum, necesse est, uti generentur ab Adam, sic ad participandam iustitiam Christi, oportet, ut renascantur per Christum. Ad sextum, quod Pelagius magni faciebat, respondeo: peccatum Adæ nocuisse non peccantibus, nimirum parvulis, quia sunt ab eo generatione propagati: Acceperat enim Adam iustitiam, & gratiam sibi & suis posteris: qui deinde divinam legem sibi impositam violando, eadem gratiam atque iustitiam sibi quoque, & posteris amisit: at verò Christi iustitia nequaquam prodest nisi his, qui renascuntur in eo, non autem renascuntur extra baptismum adulti, nisi voto ipsius baptismi, & fide viva, quæ per dilectionem operatur, ipsi adhærescant, & adiungantur; infantes verò, nisi salvari baptismatis vnda abluti mundentur. Ad septimum respondeo. Quando Paulus Corinthiis scribit: *Sicut in Adam omnes immoriuntur, ita & in Christo, & reliqui loquuntur de communi omnium resurrectione futura per Christum, sicut communis mors omnium hominum est per Adamum induta.* Ergo cum ait: *(omnes vivificabuntur)* non solum id dicit de vita gratiæ, ad quam non omnes resurgent, sed etiam de vita corporis. *Omnes enim (ait Christus Dominus) qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent.*

Omne

Omnes ergo per Christum iudicem suscitabuntur ad corporis vitam, quam in Adamo genus humanum perdidit: & improbi ad supplicium æternum damnati, secunda morte interibunt, quæ est gehennæ pœna; boni verò ad cælestem hereditatem admissi, secunda vita donabuntur, quæ est perpetua in cælesti patria felicitas. *Hæc* est de eo Pauli loco, quem attulimus, Theodoretus, Theophilacti, Anselmi, & S. Thomæ sententia. Cùm verò opponit aduersarius Apostolum sibi solum de morte corporis per Adæ peccatum in orbem terrarum inuecta meminisse; Respondeo eo in loco Paulum minimè sermonem habuisse de peccato Adæ, & de iustitia Christi; de quibus tamen fuit sermo ad Rom. 5. Solum igitur cum Corinthiis Paulus agebat de generali resurrectione futura, quam colligit ille futuram ex Christi resurrectione. Ad vltimū cōcedimus verum esse, per Euam peccatum cœpisse, & per Adamum: negamus tamen vna eademque ratione, sed diuersa. Per Euam quidem peccatum cœpit, tanquam per fœminam suggerentem, & incitantem; per Adamum verò, tanquam per causam & originem: quod vtrumque diuina scriptura diuersis locis non obscurè indicauit.

Ex his omnibus licet animaduertere, peccatum Erasimum in annotationibus suis in Paulum tradidisse prædictum locum Apostoli, si respiciamus proprietatem sermonis, seriem contextus, & continuationem lectionis, potius intelligi debere de peccato imitationis, quam originis: quod probat ille, quia vbi latine dicitur, *Per vnum hominē*, Græcè habetur, *δι' ἑνὸς ἀνθρώπου*, quod potius significat, propter vnum hominem. Sed reuera fallitur, quia præpositio Græca *δι'* non minus significat per, quā propter. Deinde, opponit Erasimus, cum dicitur, *in quo omnes peccauerunt*, in Græco haberi, *ἐν ᾧ πάντες ἥμαρτον*, id est, in quantum, vel quatenus omnes peccauerunt; non autem, *ἐν ᾧ*, id est, in quo. Respondeo: Græcam præpositionem *ἐν* aliquando etiam significare in. Et notandum Augustinum dixisse illud (in quo) referri posse, vel ad hominem, vel ad peccatum. Verum ex Græco textu constat, referri potius debere ad hominem, quia in Græco præcesserat vox *ἀμαρτία*, id est, peccatum, quod tamen est fœminini generis. Postremò obijcit ille, non constare continuationem sermonis, si de peccato originis Apostolus intelligatur. *Unde* *ait*, inquit, *Paulus intulit. Propterea, sicut per vnum hominē*. Respondeo, intulisse ex ijs, quæ præmiserat, omnes esse sub peccato, & egere gloria Dei. Præterea ex eo: (Si cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per ipsum) & reliq.

CAPVT XXVI.

In quo sita sit peccati originalis vis, ratio, & natura.

Primo quaeritur, in quo sita sit peccati originis ratio? L. Augustini tempore, & Scholasticorum ætate semper difficiles explicatus habuit controuersia de peccati originalis ratio-

ne, & natura. Apud Theologos fuerunt quædam opiniones fallæ, & inter Hæreticos quædam sententia longè a fide alienæ. Prima fuit Theologorum sententia asserentium esse morbidam qualitatem in anima genitā ab alia qualitate morbida corporis siue carnis. Ponit enim hæc opinio duas morbias qualitates vnam in carne, quæ cōmuni seminis propagatione genus, & originē ducit ab Adamo, in cuius itidem carne fuit alia genita, vel à venenato statu serpentis, vel ab esca sibi interdicta, perindè ac si fructus ille venenatus extiterit. Corpus itaque Adæ infectum, genuit posteros secundum carnem infectos morbida qualitate: sed hanc carnis qualitatem non esse peccatum, cuius caro capax non est, esse tamen aliam morbidam qualitatem in anima generatam ab ea, quæ est in carne, & hanc esse propriè peccatum originis, ita Henricus, *quodli. primo questione 21* Ocham, *quodli. 2. quest. 11. & quodli. 1. quest. 21*, Gregorius 2. *dist. 30. quest. 2. Gabr. 2. dist. 30. quest. 1. & 13. Magist. 2. d. 31. Alexan. p. 2. quest. 105. mem. 4.* dicentes animam infici ex carne, sicut liquor cum infunditur in vasculum immundum, inde polluitur atq; corrumpitur, quod ex Augustino haussisse videntur dicente *lib. 4. hypognosti. post initium, vel nō longè ab initio. Sicut nunc in peccatore statim pestifero serpentis venenum insigitur, & per illud mori compellitur, sic tunc fraudifero statu diaboli venenosa, & pestifera libido insigita est, & per illa peccatum & mors. Et cōtra Pelagium disputans, aliquando ait) de impi. & concup. cap. 25. peccatum originis esse affectionem quandam malæ qualitatis, qualis est languor, non enim, inquit, substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor. Alibi cōtra Iulianum *lib. 5. ca. 9.* scribit animam in carne viciari, sicut liquor mundus in vase polluto viciatur, & alibi ait, animam ex carne peccatum contrahere. Et *lib. 1. de bapt. paruo. cap. 9.* ait, *occulta etiam tunc carnalis concupiscentia, sicut, stabiliunt in se omnes de sua stirpe venturos, & lib. 6. contra Iulian. cap. 7. & 9. & 10.* sæpe dicit peccatum originis non esse substantiam, sed qualitatem seu affectionem malam. Sed hæc opinio quamuis in Augustino fundamentum habere videatur, communi tamen Theologorum consensu iam pridem è scholis est eiecta, & explosa; Primum, quia difficile explicari, aut defendi potest, quomodo, & à quo hæc qualitas sit genita in carne primi parentis. Deinde, est etiam perdifficile explicatu, quo pacto anima, quæ spiritualis est, infici queat tactu carnis corporis siue; & qua ratione qualitas carnis, quæ tota est corporalis, gignat in anima, quæ spiritus est, qualitatem spiritalem. Præterea, vix intelligi potest, illam qualitatem non fieri maiorem, aut minorem, nunquamq; interire, cum ea tamen sit qualitas corporalis. Demum, quia quæcunque de peccato originis dicantur, commodè & dilucidè percipi, ac defendi queunt absque huiusmodi qualitate morbida. Sicut enim indomita bellua ruptis vinculis sicut vehementius; aut nauis amisso gubernaculo hac & illac procellis agitata trahitur: sic homo amissa originali iustitia, in totum corruptus, in numeris sensus & appetitus affectibus concutitur, commouetur, perturbatur, iactatur.*

Secunda sententia docet peccatum originis esse reatum, quo propter primi parentis peccatum, genus humanum cogitur poenam perferre, exclusum à regno cælesti in perpetuum, nisi illud Dei gratia remittatur, sic Alcifiodorus in *sum. lib. 2. tract. 28. cap. 2. Dur. 2. dist. 30. quest. 2. & 3. Maior. 2. dist. 31. quest. 1. ar. 1. Et probant ex Augustino, qui multis in locis contra Pelagium videtur docuisse peccatum originis esse reatum; nimirum. *lib. Re tract. ca. 13. & 1. lib. de peccat. meritis. & remiss. ca. 39. & lib. 2. cap. 4. item. lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 26. & 32.* In quibus locis docet peccatum originis remitti, quando reatus dimittitur: tandiu verò manere quandiu manet reatus poenæ: & post baptismum manere quidem concupiscentiam actu, sed non reatu, & tunc peccatum auferri. Ambrosius Catharinus, in *opusculo de pecc. origin.* ait huiusmodi sententiam esse errorem, quia Reatus non est culpa, aut peccati proprie, sed est obligatio, qua quis ob peccatum se Deo obnoxiiat ad poenam debitam persolvendam. Deinde, reatus boni rationem habet, & ad iustitiam pertinet: nam qui peccant, hoc ipso se obligant Deo ad poenas, pro peccatis luendas. Præterea, paruulus reus est poenæ, ergo aliquo peccato tenetur, aut nullo: Si nullo, igitur additus, & subiectus est poenæ sine culpa, quod est absurdum; si aliquo, ergo prior est in paruulo ratio peccati, quam reatus. Ad extremum, per leges diuinitus latas poenis subijcitur, quia deliquimus, ergo peccatum, non in eo consistere potest, quod quis sit poenis obnoxius. Cæterum Magister in *2. dist. 30.* cum dixisset hanc esse aliquorum Doctorum sententiam, eam minime damnauit. Et certe quamuis tam seuerè condemnanda non sit, quia reatus dicitur cum reatus culpæ, tum reatus, poenæ; Vt constat ex August. *lib. 1. retract. cap. 15. & Soto. lib. 1. de nat. & grat. cap. 9. Cordub. in quest. 10. lib. 1. post. opinionem 6. dub. 1. Versic. Nam nota.* Peccatum originis, est quidem reatus, sed culpæ communi tamen Doctorum consensu refellitur. Et Catharinus merito damnauit prædictam sententiam, si ea reatum accipit pro reatu poenæ, non culpæ.*

Tertia opinio est asserentium originis peccatum esse concupiscentiam mali, sic Hugo sancti Victoris in *Tomo 3. de sacramentis Christiane fidei lib. 1. cap. 7. cap. 27. & 28. & Magister in 2. dist. 30.* cuius sententiæ videtur Augustini fuisse multis in locis contra Pelagianos disputans, præsertim in *lib. 1. de pecc. mer. c. 16. lib. 2. de nupt. & concup. cap. 25. lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & Lib. 1. retract. ca. 15.* ait concupiscentia est reatus originalis peccati. Animaduertere tamè debemus, dupliciter in nobis concupiscentiam accipere, vno modo, ut est quedam propensio ad malum, ex parte inferiorum facultatum appetitus, & sensus: & hanc concupiscentiam horum opinio, vult potius esse poenam, quam peccatum; quippè quæ est cupiditas corporis; & corpus peccati capax non est. Altero modo sumitur concupiscentia prout est ad malum propensio, ex parte voluntatis & mentis, & hanc aiunt esse peccatum originis. Peccatum enim in voluntate sedem habet, & huiusmodi concupiscentia est aliquid mali, quod voluntati, & menti inhæret, quo tamen carere deberet. Quam sententiam multis argumentis refellunt Pighi in *opusculo de pecc.*

orig. Cathar. in *opusculo de pecc. origin.* Sotus. *lib. 1. de Nat. & Gratia cap. 8. & 9.* Primò quia concupiscentia est naturalis, & esset in homine, qui cum solis naturæ viribus, & dotibus conderetur. Deinde, quia post baptismum manet in homine, & tamè peccatum originis per salutarem baptismatis a quam penitus aboletur. Accedit, quòd concupiscentia solum habet rationem poenæ, non culpæ. Postremò, quia peccatum omne est actus, nimirum dictum, factum vel concupitum contra rationem: sed concupiscentia non est actus, sed quedam tantum ad malum procliuuitas: quæ est quedam naturæ conditio, & primi peccati poena, & effectus, non tamen peccatum, & culpa: hoc postremum argumentum infirmum est: nec cætera magnam vim habent.

Quarta opinio, peccatum originis, ait esse priuationem iustitiæ originalis. Sic Anselmus *lib. 1. de conceptu Virginali cap. 2. 16. 27. & 28.* quos sumpsit Scholastici, Scotus, Ocham, Bassoli, Gabriel, & Maior, in *2. dist. 30. & 31. & Martil. 2. q. 19. a. 3. dub. 2. proposit. 4. & 5.* Eam tamen refellunt Catharinus, & Sotus, multis argumentis, quorum aliqua satis firma non sunt. Primò, quia per lacrum baptismi nequaquam restituitur iustitia originalis; & tamè peccatum originale per baptismum eluitur, ergo consistere non potest in eo, quòd in paruulis post baptismum permanet in illis iustitiæ originalis priuatio perleuerat. Deinde, si quis sola natura præditus à Deo procreatur, careret illa originali iustitiâ, & tamè peccatum originis non esset infectus. Adde, quòd ipsa iustitiæ originalis absentia, poenæ rationem habet, non peccati. Deus enim ob delictum Adæ posteros iustitiâ originali priuauit, orbauitque dato munere. Adhuc, quia priuatio iustitiæ originalis non est actus contra rationem, ergo non est peccatum, quòd est dictum concupitum, vel factum contra legem Dei. Postremò, huiusmodi priuatio non fuit in Adamo voluntaria: voluit quidem ille fructu sibi interdito vesci; sed nec in se, nec in posteris voluit priuationem iustitiæ.

Quinta opinio est asserentium peccatum originis ratione formæ esse priuationem iustitiæ originalis, ratione materiæ esse concupiscentiam. Sic S. Tho. *1. 2. quest. 82. ar. 3.* Albertus *2. dist. 30. & 31. Alex. 2. quest. 105. m. 2. a. 3.* Bonauentura Aegid. & Ricard. *2. dist. 30. & 31.* quæ opinio simul coniungit tertiam, & quartam sententias; & proinde eam Catharinus oppugnat eisdem argumentis, quibus tertiam, & quartam oppugnat.

Sextam sententiam Catharinus in scolam Theologorum inuexit: peccatum videlicet originis esse idem illud peccatum, quod Adamus admisit: quod ideo dicitur, originis, quia id commisit Adam qui fuit origo & caput totius generis humani: posteros verò esse & dici peccatores ab illo actu peccati, quod fecit Adam. Cui sententiæ videtur etiam accedere Albertus Pighius in *opusculo de peccato originali.* Sed certè præterquam quòd noua est, & a Catharino excogitata, cum decretis concilij Tridentini videtur pugnare: nam consilium definit, hoc peccatum vnum origine propagatione,

non imitatione transfusum inesse vnicuique; pro-
prium: quod ideo dicit, quia licet sit vnum se-
cundum originem, multiplicatur tamen in sin-
gulis hominibus, propterea, quod quisque con-
trahit suum peccatum, quod in ipso inhæret.
Præterea, hæc opinio occasione præbere po-
test hæreticis sui erroris defendendi, quo perti-
naciter sentiunt, nos iustos fieri, non per iustiti-
am nobis inhærentem, sed solum extrinsecus,
per iustitiam Christi nobis imputatam. Deinde
iuxta Catharinum, peccatores effemus ac dice-
mur extrinsecus, ob peccatum Adæ nobis im-
putatum. Adhuc, non nisi absurdè dicitur, quem-
quam peccatorem esse solum ob peccatum,
quod est in alio, & non ob aliquid quo ipse tene-
atur obstrictus, & quod in ipso insit & hæreat:
alioqui enim si nihil est in paruulis vnde sint ve-
rè, & nominentur peccatores, nihil erit, quod
sacrum Baptisma deleat, ac tollat.

Septima opinio est, quam Scot. lib. 1. de nat. &
grat. cap. 8. & 9. & alij modò in scholis Theologo-
rum tuentur. Peccatum, inquit Scotus, originis est qui-
dem iustitiæ originalis priuatio, non tamen quomodocunque,
sed ut spoliat & orbat hominem gratia, quæ illum cum
Deo societate & amicitia copulabat. **Obseruandum est,**
iustitiam originalem esse donum supernatura-
le, quod mentem hominis perfectè, & plenè Deo
conditori suo per gratiam subijcit, cuius munere,
& officio omnes hominis facultates Rationi,
& corpus Animæ parent, & obsequuntur. Pec-
catum itaque originis, est priuatio iustitiæ origi-
nalis, non prout rectum ordinem in corpore, &
sensibus conseruabat, sed prout mentem, & ani-
mam cum Deo amicitia fœdere, & vinculo cõ-
iungebat. Peccatum enim in corpore, & sensibus
minimè infidet, sed in mente, & animo, in quo
gratia iustitiæ originalis residebat, & propterea
iustitiæ priuatio, in mente habet rationem pec-
cati, in corpore verò, & sensibus habet ratio-
nem pœnæ, peccati non item. Hæc de opinionibus
Catholicorum. Inter quas hæc postremo lo-
co posita, & declarata mihi valde probatur, quæ
existimo fuisse beati Anselmi, Scoti, Ochami,
Marfilij, & Maioris, vt in quarta opinione indi-
caui. Nec enim hæc differt à quarta sententia, ni-
si in eo, quod plenius, & exactius explicat ratio-
nem, & naturam peccati originis. Quod vt faci-
liorem habeat intelligentiam, nosse oportet. Ius-
titiam originalem accepisse Adamum sibi &
posteris, ac proinde sibi quoque ac posteris per-
didisse peccando. Est igitur peccatum originis priuatio
iustitiæ originalis debite, communi sanguinis propagatione
ab Adamo deriuata. Dicitur priuatio, quia nõ est so-
la negatio, siue absentia iustitiæ, qualis esset, si
homo cum solis, & integris naturæ conditioni-
bus procrearetur à Deo. Debitæ, quia si Deus ius-
titiam originalem homini absque vlla illius cul-
pa abtulisset, nõ fuisset vllù in homine peccatù,
propterea quòd non careret iustitia sibi debita:
non enim homo debet habere iustitiam, quam,
Deus suo arbitrio, & voluntate tollit. Debitè itè
vt explicetur, priuationem iustitiæ esse volunta-
riam, quam iustitiam si Adam conseruasset, po-
steri quoque eius suscepturi erant: & proinde
iustitiæ priuationem Adam sua voluntate, &
culpa contraxit & contractam effudit in poste-

ros, qui iustitiam deberent vnà cum natura ab
Adamo Dei institutione suscipere: at iustitia per
peccatum amissa, priuatio ipsius simul est cum
natura suscepta; ergo per generationem tradu-
cta. In Adamo itaque post præteritum actum,
quo ipse peccauit, fuit quidem priuatio iustitiæ
debitæ; sed non erat originale peccatum, quia
eam ipse propria voluntate contraxerat: at verò
posterius per originem, & communem propaga-
tionem suscipiunt.

His vt cumque explicatis, postremam senten-
tiam vnica ratione confirmo. Peccatum origi-
nis, necesse est, vt sit aliquid, quod ex Adamo re-
dundarit in posteros: ac nihil aliud potest esse
nisi iustitiæ originalis priuatio, non enim est in
primis, vt antè iam dixi, morbida qualitas, nec
reatus pœnæ, nec concupiscentia, nec ille actus
malus, quo peccauit Adam: ergo est priuatio ius-
titiæ originalis debite: hæc enim post actum il-
lum malum in Adamo permanfit, & ex eo est in
posteros transmissa. Et cum peccatum originis
non sit priuatio iustitiæ originalis, quatenus re-
ctum ordinem tenebat, & seruabat in corpore,
& in sensibus: aut quatenus erat donum iustitiæ re-
à gratia & Dei charitate distinctum; sequitur
vt sit priuatio; iustitiæ originalis, quatenus erat
idem donum, quod gratia, aut saltem necessariò
cum Dei gratia coniunctum, quæ cum Deo mē-
tem hominis charitatis, & amicitia nexu & vin-
culo sociabat. Hinc est, vt sicut iustitia originalis
hominem reddebat iustum, rectum, gratum, &
amicum Deo, sic priuatio iustitiæ originalis de-
bitæ faciat homines auersos, & alienos à Deo,
peccatores, & inimicos Dei. Et quoniam eius-
modi priuatio, restituta per sacrum Baptisma
diuinæ gratiæ dono, omnino deletur, ideo sacro
Baptismate ablutis hominibus, peccatum origi-
nis penitus condonatur atque remittitur.

Cap. XXVII.

Argumenta aduersariorum diluuntur.

Q Væritur, quo pacto argumenta aduersari-
orum diluantur? Primum obijcit: Per
Baptismū peccatū originis aboletur, & tol-
litur, nec tamè restituitur originalis iustitia, er-
go post Baptismū manet iustitiæ originalis pri-
uatio, & proinde ea nõ potest esse vera ratio pec-
cati originis. Hoc argumèto Scotus, Catharinus, a-
lijq; conuicti, senserūt, vt nos quoq; sentim⁹, pec-
catum originis nõ esse priuationem iustitiæ origi-
nalis, sed gratiæ. At veteres Scholastici Scotus, Ri-
cardus, Bonauentura, Aegidius, Durandus, respõ-
dēt priuationem iustitiæ originalis per Baptisma
tollī, quatenus est priuatio iustitiæ debite, mane-
re tamè quaten⁹ est quædã negatio iustitiæ, quia
post Baptismum amplius homo nõ debet iustiti-
am originalem habere, licet eã neq; recuperet,
neque habeat; & tamen ante Baptismum illam
habere debebat. Q VÆR E S, Vnde ergo fit, vt
absentia iustitiæ ante Baptismum sit priuatio ius-
titiæ debite, ac post Baptismum nequaquam sit
priuatio, sed sola negatio? siquidem absentia for-
mæ in re apta ad formam recipiendam est pri-
uatio. In naturalibus, inquit, priuatio solum est
absentia formæ in re, quæ potest illam habere,
& non

& non habet: at in moribus priuatio non est sola absentia formæ, quæ potest inesse, & nõ inest, sed debita: alioqui enim homo cum sola natura, absque vlllo alio Dei munere procreatus censetur priuatus iustitia, & gratia. Secundò obijciens; Per Baptismum minimè restituitur originalis iustitia, ergo absentia eius, etiam vt est priuatio, per Baptismum minimè tollitur. Respondent, iustitiam quidem originalem non restitui, sed gratiam, & charitatem, qua recuperata, non amplius homo debet iustitiam originalem habere. Ante Baptismum verò ideo est homo iustitia originali priuatus, quia illam deberet habere, vel gratiam. Tertiò opponens; Nulla formæ priuatio excluditur nisi per formam sibi oppositam, ergo priuatio iustitiæ originalis nõquam abijcitur, nisi iustitia originali restituta. Respondent, in naturalibus priuationem non auferri, nisi per formam oppositam; at verò in moribus non eadem est ratio, quoniam priuatio iustitiæ ideo est peccatum, quia est priuatio iustitiæ debita, sed qui est restitutus in gratiam, non amplius debet iustitiam habere. Et hæc dicta sunt iuxta mentem Scoti, Ricardi, Bonauenturæ, & veterum Theologorum, qui putarunt iustitiam originalem fuisse habitum supernaturalem, & re à gratia diuersum. Nos verò arbitramur iustitiam originalem, & gratiam fuisse vnum, & eundem habitum: nisi quod illa prima hominis iustitia institutione diuina, sibi coniuncta habebat extrinseca Dei auxilia, quibus mentem, & animum Deo plenè subijciebat, sensus quoque, & omnes inferiores vires Rationi, & totum corpus animæ: quos effectus gratia adoptionis modo non præstat, sed solum primum illum atque præcipuum, quo mens hominis cum Deo charitatis, & amicitie foedere, coniungit, & proinde in gratia, & accepta habetur, diuinæ naturæ condors atque particeps effecta. Quocirca ad argumentum respondeo, per Baptismum peccatum originis remitti, nec restitui omnes iustitiæ originalis effectus; quia peccatum non est priuatio iustitiæ, quæ omnes malos motus impediatur, recuperatur autem gratia, quæ mentem hominis Deo perfectè submittebat, & cuius priuatio alienat, & auertit hominem à Deo. Restituitur itaque per Baptismum iustitia originalis, prout erat gratia, quæ cum Deo hominem amicitie vinculo copulabat.

Secundò obijcitur: Priuatio iustitiæ originalis solum habet rationem pœnæ; ergo non est peccatum originis. Deus enim ob peccatum Adæ iustitiam originalem sustulit, quippe quæ erat habitus supernaturalis, quem Deus homini cõferebat, & conferuabat in eo. Item, huiusmodi priuatio est effectus peccati Adæ; ergo non peccatum Adæ. Præterea peccatum est culpa, quæ est actus voluntatis: at priuatio iustitiæ originalis non est actus; ergo non est peccatum. Insuper, omne peccatum est contemptio, & violatio legis; at priuatio iustitiæ originalis non est contemptio legis, nec enim paruulus ea infectus vllam legem perfringit, vel despicit. Denique, in Adamo & Eua, fuit priuatio iustitiæ originalis, nec tamen fuit in illis peccatum originis. In nobis item, quo pacto potest aliquid habere ratio

nem peccati, quod in illis peccatum non erat, sed in illis priuatio iustitiæ originalis non erat peccatum, sed effectus, & pœna peccati. Ad hæc omnia respondeo, iustitiam originalem re ipsa fuisse habitum gratiæ, vt supra sæpe dixi, & licet habitus gratiæ possit à Deo tolli, & auferri nihilominus tamen per lethale peccatum, tanquam per aliquid sibi contrarium expellitur. Vnde primo parenti nequaquam Deus, sed peccatum abstulit iustitiam originalem, & non solum Adamo, sed suis etiam posteris. Deinde priuatio iustitiæ originalis fuit quidem in Adamo, & Eua, sed propria ipsorum voluntate contracta: & propterea in illis nõ habebat rationem peccati originis, sed peccati, quod actuale Theologi appellant, in quod quisque per proprium actum incurrit: In paruulis verò huiusmodi priuatio non propria, sed aliena voluntate per originem, & propagationem contrahitur. Præterea, priuatio iustitiæ originalis in Adamo non erat peccatum, vnde quis verè est, & censetur peccans (ab actu enim dum permanet, tales nominamur, & sumus) sed erat peccatum, vnde quis verè est, & habetur peccator post actum malum præteritum. Quo fit, vt ex Adamo posterius propagati nascantur peccatores, id est, peccato infecti, iustitia originali debita spoliati, & orbati. Item, priuatio iustitiæ originalis in Adamo erat effectus peccati, id est, effectus malefacti, quo ille peccauit Dei lege neglecta, verè tamen, & propriè erat peccatum, vnde quis post actum malum, est & nominatur peccator. Et proinde in paruulis etiam priuatio iustitiæ originalis, si referatur ad opus malum, quod Adam peccando fecit, effectus eius est, qui, pe quæ ex eo actus in genus humanum permanuit, nihilominus tamen per se ipsam est peccatum in paruulis in natum, vnde peccatores verè iunt, & nominantur: quoniam huiusmodi priuatio iustitiæ originalis verè, & propriè est mors animæ, auertit à Deo, gratiæ & charitatis exclusio, à lege & iustitia declinatio, non quòd sit actus, sed quòd instat habitus permanet.

Tertiò obijcitur: Si homo cum solis naturæ dotibus cõderetur à Deo, posteros omni iustitia & gratia priuatos generaret, ergo tamen ille non peccasset, filios procreasset peccato originis infectos, quod cum absurdum sit, sequitur, vt peccatum originis non sit priuatio iustitiæ originalis. Respondeo: vt hoc demus, non inde tamen confici, in illis fore peccatum originis, quia tunc absentia gratiæ, & iustitiæ non esset priuatio, sed sola negatio, vt sæpè dixi: homo enim non debet iustitiam, & gratiam habere, cum ea, non vi, & conditione naturæ, sed Dei beneficio, & munere accipiatur. Cum ergo eam Deus non conferret, homo illam habere non poterat.

Quartò obijcitur: Si homo absq; gratia, & iustitia crearetur, peccare posset, & tunc peccati etiam in suos posteros traduceretur, in quibus tamen nulla esset iustitiæ originalis priuatio, & tamen in eis esset peccatum originis propagatione susceptum. Respondeo, dupliciter fieri potuisse id, quod in argumento ponitur. Primo modo ita vt Deus hominè conderet eo pacto, & conditione, vt si primam tétationè superaret, sibi & posteris gratiam.

gratiam, & iustitiam acciperet: si minus, sibi & posteris amitteret: tunc si peccasset, peccatum originis redundasset in posteris, quod fuisse priuatio iustitiæ originalis debet: Et cum obijciatur: iustitiam & gratiam ex hypothesi homo non acceperat ergo priuatione non transmiserit in posteros: *Respondeo*, priuationem non solum esse formæ ante acceptæ, sed etiam illius, quæ alioqui inesse deberet: nam aliter nullus esset à primo ortu cæcus: tunc igitur ex hypothesi verè esset in posteris priuatio iustitiæ originalis debet, quia si homo non peccasset, sed potius primam tentationem deuicisset, posterius omnes nascendo, iustitiam & gratiam suscepissent. *Secundo modo* potuit accidere, ut primus homo abique gratia, & iustitia crearetur, & sine vilo pacto, & lege eam sibi, & posteris suscipiendi; & tunc si peccaret, peccatum suum minime deduceret in posteros, quia sibi tantum, & non posteris suo peccato noceret, & per illud sibi duntaxat gratiam, & iustitiam amitteret, aut conferendam impediret.

Quintò obijciatur: Priuatio iustitiæ originalis in paruulis solum est extrinsecus voluntaria, quia fuit in Adamo voluntaria, ex quo originem traxerunt: ergo solum est peccatum extrinsecus existens: *Præterea*, Adam cum deliquit, non voluit se, aut posteros iustitia priuare, sed solum edere fructum, quo ipsi fuerat diuinitus interdictum. *Respondeo*, postea esse tractandum, quo pacto peccatum originis sit voluntarium: modò satis est dicere cum Aug. lib. 1. *Retract. cap. 12. & 15 & lib. 3. contra Iulian. cap. 5.* ad peccatum originis, ut tale sit, sufficere voluntatè capitis, ex quo omnes homines genus ducunt: voluntas verò primi hominis non est posterorum ex vi, & conditio ne naturæ, alioqui enim omnis voluntas parentum semper esset voluntas filiorum ante adu- tam ætate, sed ex institutione, & pacto Dei, quoniam nam Deus Adamum cum iustitia, & gratia con- siderat, ita tamen ut iustitiam sibi, & posteris haberet; quam si conseruaret, eam retineret sibi, & posteris. *Vnde effectum est*, ut illam per peccatum amittendo sibi quoque, & posteris ami- serit. Insuper etiam ut priuatio iustitiæ origina- lis esset voluntaria in Adamo, necesse non erat, ut eam per se, & directò velleret: sufficiebat enim, si cum nollet eam sibi & posteris diuinitus col- latam, voluntariè peccasset: peccando enim, sibi & posteris iustitiam spontè sua, & voluntate amittebat.

Ad ea verò quæ ex B. August. pro prima, secun- da, & ex tertia opinionibus afferebantur, res- pondeo: nusquam Augustinum docuisse, Ada- mum esse infectum ex statu pestifero serpentis, aut ex venenato cibo: auctorem tamen opusculi Hypognosticon, quod nomine Augustini cir- culeretur, id solum modo significasse, ex quo pri- ma opinio morbida qualitatem inuenit in scho- lam Theologorum. *Præterea*, nusquam Augusti- nus dixit, Peccatum originis esse Reatum poenæ: Sed docuit tunc remitti, & deleri peccatum, cum reatus poenæ æternæ remittitur: quod verissimè est: nam vna cum remissione culpæ, remittitur poena æterna, temporaria non item. Insuper ne- gari non potest, hæc à Augustinum tradidisse, pec-

catum originis esse concupiscentiam: Verum- tamen id docuit contra Pelagium, qui asserbat, concupiscentiam, quæ nobis inest, esse naturæ conditionem, at Augustinus meritò ex scripturis hoc eius dogma confutauit, passim docens esse malum & peccatum, non conditionem naturæ, quia id intendebat Augustinus contra Pelagia- nos, ut fateri cogentur concupiscentiam esse poenam, & effectum peccati; non naturæ condi- tionem: quia nisi Adam peccasset, concupiscentia non esset effrænata illa, & indomita, qualis nunc est: non itidem esset tor, & tantorum pec- catorum causa & origo.

Cap. XXVIII.

Hæreticorum errores de peccati originis ratione, & natura confutantur.

Queritur, quinam fuerint Hæreticorum er- rores in peccato originis? Zuinglius Lu- theri discipulus cum suis asseclis, asserit peccatum originis esse mortem corporis, & ob- ligationem, qua totum genus humanum ob pec- catum Adæ miseras corporis perferre compellitur. *Còtra* quos Tridentina Synodus *sess. 5. de pec- cato orig. can. 2.* definiuit: *Si quis dicat inquinatum pri- mum hominem per inobedientia peccatum mortem, & pa- nas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod est mors anime; anathema sit.* quod idem prius fuerat constitutum in concilio Arausicano secundo.

Secundus error Caluinistarum, & Luthera- norum est, sentientium peccatum originis esse totius hominis corruptionem, ita ut quicquid in eo est, voluntate, & anima vsque ad carnem, sit pec- cato inquinatum. *Vnde argumentatur*, Omne id, quod fit ab homine esse peccatū, licet in renatis baptisate, aut poenitentia renouatis à Deo, non imputetur ad culpam. *Adiunt* item hanc ho- minis corruptionem non esse aliquid accidens, quod homini accesserit, sed esse totam ipsius nat- uram, & substantiam corruptam. *& Scholasti- cos Theologos* reprehendunt eo, quod dixerint peccatum originis esse priuationem iustitiæ o- riginalis debet, quæ posteri Adæ malè affecti nascuntur. putant enim illi in hac re Theologos peccati originis prauitatem magna ex parte mi- nuisse, quod tantum dicant esse boni priuatio- nem, cum tamen sit fons, & scaturigo perpetua e- rumpticium aquarum corruptarum, & veluti fornax accensa scintillas, & flammis terretimas semper emittens. Quorum error facile conuel- litur. nam per huiusmodi totius hominis cor- ruptionem ab ipsis confictam, vel intelligunt corruptionem aliquam positiuam, ut passim in scholis vocare solent, vel priuatiuam. Si pri- mum dederint, id nequit fieri, nisi per accessum certæ cuiusdam formæ: de qua tunc quarimus ex ipsis, vel ea est substantia, vel accidens: si substan- tia, ergo tota hominis natura est, quod attinet ad substantiam mutata, quod dicere, stultum est: si accidens, ergo incidunt, velint nolint, in opini- onem Catholicorum ponentium qualitè mor- bidam, quæ meritò est reiecta. Si autem secundum dederint, esse videlicet corruptionem priuati- uam, id fieri non potuit, nisi fuerit, vel corruptio

substantiæ hominis ex toto, vel ex parte: & tunc sequitur, per peccatum fuisse aliquid homini detractum ex eius substantia, quod similiter fatuum est affirmare. Vel corruptio accidentis, quod fuerat in homine: & tunc, velint quoque ac nolint, delabuntur in opinionem Theologorum dicentium peccatum originis esse privationem iustitiæ, quam Adamus sibi & posteris acceperat.

Tertius error est aliorum aientium peccatum originis esse in paruulis propensionem voluntatis ad malum in habitu, non actu: ex qua fit, vt paruuli quandiu in eis est peccatum originis, vsu rationis accedente legi Dei repugnent. Ad quem errorem profligandum valet idem argumentum, quod paulo ante protulimus.

Quartus error est aliorum Lutheranorum asserentium peccatum originis consistere in prauis desiderijs, quibus homo inuitus tenetur: quæ volunt esse peccata illo Domini præcepto damnata; Non concupisces: ita vt omnes concupiscentiæ motus sint vera legis contemptio: Ratio eorum est, quia quæcumque fit in mente, & voluntate à recta ratione, & lege aberratio, est peccatum, siue sit in habitu siue in actu, siue voluntaria, siue inuoluntaria. Quorum dogma non solum cum Patribus, & scripturis pugnat, sed cum tota quoque philosophia, & ratione: Nunquam enim est hæcenus auditum peccatum esse inuoluntarium; & mereri nos poenam ex eò, quòd inuiti, & coacti facinus patimur, & motus omnem prorsus rationem præcurrentes esse peccata. Nec est quòd nobis obijciant Paulum concupiscentiam peccatum vocantem, & dicentem etiam; *quòd nolo malum, hoc ago*, peccatum enim appellat concupiscentiam, quia est poena, & effectus peccati, & quia ad malum hominem incitat, ac mouet. Et eodem modo motus, qui rationem præcurrunt, quosque inuiti sustinemus, malos vocat, quia ex malo descendunt, hoc est, ex peccato, quod ex Adamo contraximus: & quia ad malum nos alliciunt, flectunt, ac mouent.

Cap. XXIX.

Quædam questiones de peccati originis natura diluuntur.

PRIMÒ Quæritur, An peccatum originis sit culpa? Quidam iuniores putant non esse, sed esse tamen peccatum, iniquitatem, iniustitiam: aiunt enim inter Peccatum, & culpam, hoc esse discriminis, quod omnis culpa est peccatum, non tamen è contrario: peccatum enim potest esse sine culpa, & proinde sunt peccata contra artem, & naturam; vel ut si quispiam barbaram loquatur ignoratione grammaticæ, vel absurdè canat incitiam musicæ, vel à via desectat, & proinde ab eo loco, quem cursu petit. Peccatum itaque est omnis à certa regula, & norma declinatio, siue ea regula sit naturæ, siue artis, siue rationis & moris. Iniquitas verò est omnis ab æquitate aberratio. Iniustitia, est à iusto, & rectò auersio: at verò culpa, est actus nimirum, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Vnde colligunt, peccatum originis esse quidem peccatum, iniquitatem, & iniustitiam, quoniam in eo est aliqua à iustitia, æquitate, & lege declinatio;

non tamen esse culpam, quia non est actus, sed privatio iustitiæ singulis hominibus ab Adamo propagatis innata. Sed quicquid isti dicant, diffiteri non possunt apud Patres peccatum originis dici etiam culpam originale. Sic enim Gregorius appellat *libro nono Moralium capitulo 16. & homil. 39. in Euangelia*; sic Augustinus in *Psalmum 50. explicans illa verba: Ecce in iniquitatibus conceptus sum*; Sic auctor opusculi Hypognosticon *libro secundo, propè finem*; sic Prosper *ad obiectiones Vincentianas, in Responione quarta*; sic etiam Glossa *super Exodus capitulo 13. ibi Primogenitum asini. &c.* Sic denique Magister sententiarum *in secundo distinctione. 30.* Sic ibidem Theologi. Animaduertendum itaque est Peccatum latius patere quàm culpam: quia peccatum, est tum in operibus naturæ, & artis, tum in actionibus rationis, & moris. Culpa verò solum est in actibus rationis, & moris. Si tamen peccatum præsius sumatur, prout est in actibus moris, tunc peccatum, & culpa secundum Patres pro eodem videntur accipi: nam & ipsum Peccatum originis, culpam originale appellant. Ergo sicut peccatum in moribus aliquando vocatur id, vnde quis est, & dicitur peccans, & tunc est actus à regula rationis discrepans; aliquando verò id, vnde quis est, & nominatur peccator; & tunc non est actus, sed aliquid ex actu relictum, siue id sit privatio gratiæ, siue respectus quidam, & ordo ad actum præteritum, nec à nobis per poenitentiam reuocatum, nec diuinitus per gratiam dimissum: Sic etiam culpa potest accipi dupliciter; vno modo, vt est actus voluntarius & liber, qui vitio tribuitur; & tunc peccatum originis non est culpa. Altero modo, vt est id, vnde quempiam post actum malum præteritum dicimus esse, & manere in culpa; & hoc modo peccatum originis verè est culpa. Vt enim paruulos non dicimus peccantes, sed nasci verè peccatores, verè infectos, & corruptos peccato, quod in ortu suo, & conceptu contrahunt, sic etiam eos non culpamus, quod peccauerint, aut malè fecerint: sed cum culpa concipi, generari, & in lucem edi, ac in culpa verè effect plane confitemur, & à culpa originali nuudari, cum sacro baptisate abluuntur.

Secundò Quæritur, An peccatum originis sit verè, & propriè peccatum? Duran. *secundo disticti. 30. quæst. 2. num. 6.* videtur docuisse non esse propriè peccatum, quia non est propriè voluntarium. Est enim solum voluntarium voluntate capitis, & originis. Item, quia potius videtur habere rationem poenæ quàm culpæ. Alij affirmant eodem modo esse peccatum, quo est voluntarium; & quia est voluntarium in alio, videlicet sola voluntate primi parentis, ideo extrinsecus, videlicet in alio esse peccatum. Alij verò senserunt esse quidem verè, & propriè peccatum, sed ad peccatum non requiri voluntarium, quia satis est si sit à iustitia, & lege declinatio, in natura rationis & mentis particeps. Verùm hæc omnia communi Theologorum consensu refutantur, vt constat apud Magist. *in 1. d. 30. 31. 32.* Peccatum itaque originis absolute, & simpliciter est peccatum: sic enim id appellant concilia, & Patres contra Pelagianos. Præterea, privatio iustitiæ originalis, quæ debuerat in posteris

quæ debuerat in posteris primi parentis inesse, verè & propriè est peccatum, cum sit mors, qua mens ipsa est à iustitia, gratia, & lege Dei aliena; Dei amicitia, & charitate nudata, & proinde pœnis debitis subiecta.

Tertiò Quæritur, An peccatum originis sit peccatum verè, simpliciter, & propriè, an tantum per Analogiam, & similitudinem? Capreolus in 2. dist. 30. quæst. 1. a. 3. vult esse peccatum alia ratione, qua lethale, aut veniale: tum qui non est voluntarium, vt veniale, vel lethale; tum quia non est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Ricardus 2. dist. 32. a. 3. quæst. 2. plane constituitur esse per Analogiam peccatum; quia vi & conditione sua habet respectum, & ordinem ad peccatum, quod admisit Adamus.

Quòd ad quæstionem hanc attinet, illud in primis videtur esse compertum, & indubitatum, peccatum originis nõ vocari peccatum per Analogiam, instar eorum, quæ hac ratione talia esse perhibentur: nimirum extrinsecus propter aliud, ad quod referuntur, sicut vrina, esca, & medicina appellantur sana, nõ quia in seipsis sanitatem habeant, sed extrinsecus quia sanitatem, quæ est in animante, indicant, vel efficiunt, vel tuentur, & seruant: peccatum enim originis per se est verè peccatum, cum sit priuatio iustitiæ originalis, qua homo præditus esse deberet: Illud etiam oportet affirmare, peccatum originis non vocari peccatum per Analogiam seu modum eorum, quæ per similitudinem talia nominantur, propterea quòd ad ea alterius rei nomen per metaphoram, & quandam similitudinem transferuntur; sic homo pictus appellatur homo: sic prata cum virescunt, & florent, dicuntur ridere. Si enim peccatum originis hac ratione solum diceretur peccatum, pœna & effectus peccati potius esset, quam peccatum; haud secus quam pictura, vel scriptura vocatur manus pictoris, vel scriptoris, quia est eius effectus. Peccatum igitur originis verè, & re ipsa non per similitudinem, non per metaphoram est peccatum, sed propriè; nimirum priuatio iustitiæ debita. Tertiò, ex his omnibus hucusque explicatis manifestè perspicitur, peccatum originis esse absolute, & simpliciter peccatum, si peccatum non accipitur pro actu, vnde peccantes nominamur, & sumus; sed pro auersione à lege Dei, & iustitia, vnde quis dicitur, & est peccator, & alienus à Deo, etiam post opus malum transactum. sic enim paruuli verè in peccato concepti, & nati sunt, & verè peccatores sunt auersi, & alieni à Deo. Postremò colligitur, peccatum originis quodammodo per Analogiam peccatum dici, quia cætera peccata venialia, vel lethalia peccata sunt sine vllò respectu, & ordine ad aliud peccatum; at verò peccatum originis rationem peccati non habet, nisi cum respectu, & ordine ad peccatum, quod Adamus admisit: Si enim homo gratia, & iustitia careret, absque vllò respectu, & ordine ad actum malum præteritum, esset quidem absque iustitia, & gratia Dei: vacaret tamen culpa, & peccato, quia careret priuatione ex opere malo contracta, & careret priuatione eius, quam debuisset habere, iustitia.

Quartò Quæritur, An peccatum originis sit habitus? S. Tho. 1. 2. quæst. 82. a. 1. obscure docet, esse habitum: & proinde inter eius discipulos est controversia, vtrum voluerit esse habitum positium, an priuatiuum, vt vocant. Caietanus 1. 2. q. 82. a. 1. ad dub. 2. contendit iuxta S. Thomæ mentem esse habitum positium. At Capreolus 2. dist. 30. quæst. 1. ar. 2. conclu. 3. priuatiuum. Certè si iuxta S. Thomam peccatum originis est habitus positius, necesse est, vt S. Thomas incidat in eam Theologorum sententiam, qui id peccati sentiunt esse morbidam qualitatem. Probabilius ergo est, dicere sancti Doctoris mentem fuisse, Peccatum originis ratione formæ esse habitum priuatiuum, hoc est, priuationem iustitiæ originalis, quæ homini inesse debuerat: quæ priuatio vocatur habitus, quia in ea cessante actu homo permanet, quoniam in modum habitus durat etiam post actum: Ratione verò materiæ, esse habitum positium, non quidem, qui homini accesserit, aut fuerit natura, & propagatione comparatus, sed qui sit ipsa hominis concupiscentia, quæ instar habitus perdurat etiam cum ab omni actu cessamus, quæ nihil aliud est nisi hominis propensio ad malum, id est, ipse appetitus ad malum procliuus, & primi parentis peccato corruptus: non quòd concupiscentia per se peccatum sit, sed pœna peccati, & quæ ad peccatum nos incitet, allicit, & moueat.

Quintò Quæritur, An in peccato originis, sicut in lethali, vel veniali, sit aliquid quod se habeat, vt materia, & aliquid quod formæ ratione obtineat? S. Thom. 1. 2. quæst. 82. a. 3. Bonau. 2. dist. 30. a. 2. quæst. 5. Ricard. 2. dist. 32. a. 1. quæst. 1. Alex. p. 2. q. 105. m. 2. a. 3. & alij veteres Theologi Scholastici docuerunt esse, nimirum concupiscentiam materiam, formam vero priuationem iustitiæ originalis. Et concupiscentiam accipiunt tantum propensionem voluntatis ad malum, non autem eam, quæ est in appetitu corporis, & sensibus. Alij verò vtramque propensionem ad malum, tum voluntatis, tum Appetitus corporis, & sensus intelligunt. Sed certè nihil oportet in peccato originis laborare de materia & forma distinguenda, quoniam huiusmodi peccatum non est actus, in modum cæterorum peccatorum, debita bonitate priuatus, aut contra rationem admisus, sed solum est priuatio iustitiæ originalis, quæ debebat vnà cum natura in Adami posteros deriuari.

Sextò Quæritur, An in peccato originis sicut in lethali, sint illa duo, conuersio ad bonum creaturæ, & Auersio à Deo? Quidam tradunt etiam hæc duo in peccato originis distingui debere. Capr. 2. dist. 30. quæst. 1. ar. 2. ad argumenta. Dur. contra conclu. 3. hæc duo ponit in peccato originali. At Alex. p. 2. quæst. 105. m. 2. ar. 3. in peccato originis, hæc duo non distinguit. Profectò nulla ratio est, & firma cogit nos affirmare, id, quod Capreolus asserit, quoniam peccatum originis est priuatio iustitiæ originalis, & hoc ipso est auersio à Deo, quæ in modum habitus homini inheret: nec tamè dicendum est, quod quidam aiunt, esse quidem auersionem à Deo sine supernaturali, non tamen à fine naturali: peccatum enim originis, & est à gratia auersio, & à recta ratione

aberratio actu, vel habitu. At si dicas concupiscentiam in peccato originis habere rationem materię, priuationem verò gratię, rationem formę, tunc in peccato originis assignari potest conuersio & auersio, vt docent Alex. par. 2. quest. 105. m. 2. ar. 2. S. Tho. 1. 2. quest. 81. ar. 1. Dur. 2. distin. 30. questio. 2. Alber. 2. distin. 30. ar. 1. pro tertia via ad tertio.

Septimò Queritur, quo pacto peccatum originis sit voluntarium? Hoc ideo queritur, quia peccatum nullum est sine voluntario. Pelagiani heretici plurimum Augustinum, & catholicos vrgebant ac premebant, hinc & inde concludentes nullum esse peccatum originis in posteris Adę: quia quicquid asseratur esse peccatum originis, voluntarium esse non potest, cum id posteris solùm nascendo contrahant. Nostra verò tempestate Martinus Kemnitius hereticus, dicere est ausus, nihil esse in hac parte de philosophia curandum, quę ad rationem peccati voluntarium requirit & de voluntarijs actionibus, & hominis officijs solummodo loquitur, sed sentire & dicere nos oportere de peccato originis ex his, quę per scripturas, & Dei legem cognita, & perfecta habemus, in quibus omnis, quę est in mente, & voluntate, siue in natura rationis compote, auersio à norma diuinę legis, est peccatum, siue sit voluntarium, siue inuoluntarium, siue actus, siue habitus.

Theologi quibusdam exemplis adhibitis ostendunt, quo pacto peccatum originis sit voluntarium. In primis Sanctus Thomas, 1. 2. quest. 21. ar. 1. ad id declarandum tribus exemplis vtitur. Primum ex membris, & partibus corporis sumit: Quędammodum, inquit, partes collegij, vel Communitatis alicuius dicuntur voluntarie id facere, quod facit is, qui est toti collegio Prefectus: ita homines, qui vna cum Adamo sunt veluti quedam communitas, & corpus, reputantur id fecisse, quod fecit Adamus. Hoc tamen exemplum minus videtur esse ad rem accommodatum, quia collegę in Prefectum suam voluntatem expresse, vel tacite transtulere: At verò posteris Adę nondum nati, nequaquam potuere in Adamum suam voluntatem transferre. Secundum exemplum Sancti Doctoris tale est: Sicut ex auctoritate Porphyrij, participatione speciei omnes homines sunt vnus homo; sic participatione voluntatis Adę voluntates omnium hominum fuerunt vna voluntas; & proinde, quod fuit in Adamo voluntarium, in posteris quoque voluntarium censetur. Hoc item exemplum non videtur rem propositam satis idoneę, & firmę concludere: quia teste Porphyrio, omnes quidem homines sunt vnus homo, sed communione speciei, sicut communione generis, omnes animantes vniam animal: non tamen inde conficitur, vt voluntate Adę, omnium hominum voluntates fuerint vna & eadem: quoniam illa ab his numero seceratur, & differt. Tertium exemplum: sicut cum quis peccat, ministerio lingue, vel manus malę loquendo, vel percutiendo, voluntas totius hominis reputatur voluntas ipsius manus, vel lingue: sic etiam voluntas Adę habetur pro voluntate omnium hominum quia omnes homines, vniam corpus efficiunt. At enim multa in hoc exemplo continentur, quę potius obesse negotio, quàm prodesse videantur. In primis, lingua, & manus propriam non habent voluntatem, sed

voluntas totius est voluntas partis: at posteris Adę suis quique proprijs voluntatibus constant. Deinde, cur in primo peccato Adę, & non in ceteris posteris peccasse dicuntur? Siquidem quodcumque hominis peccatum ministerio manus admissum, manus quoque crimini, & culpę datur. Pręterea, cur ceterorum parentum peccata non contrahimus? siquidem & ab illis, & ab Adamo naturam humanam nascendo suscepimus, in quibus tanquam in origine continebatur. Adhęc, cum quis manu, vel lingua, abuti- tur, manum ipsam, vel linguam ad peccandum mouet; sed Adamus posteros nondum natos quam ratione potuit ad peccandum mouere: hæc tria à S. Thoma exempla proposita, si in bonum sensum interpretemur, non malè præsentem negotio conueniunt: nam primus parens sibi, & posteris iustitiam, & gratiam diuinis accepit, vnde eam sibi, & posteris conseruasset, si à diuina lege non aberasset, quare peccando sibi, & posteris amisit. Dei igitur institutione totum genus humanum in Adamo, vt in capite, quod sibi, & posteris gratiam acceperat, continebatur, & sicut in illo gratiam acceperat, sic in illo etiam gratiam amisit, & ideo vi huius institutionis diuinę, totum genus humanum in Adamo erat velut vnus corpus, vna communitas, velut vnus homo.

Quartum exemplum adfertur ab Anselmo, ex quo Theologi communiter accipere; hoc nempe: *Veluti si vix quęstiam infime conditionis hominem non meritis illius, sed propria tantum liberalitate, & munificentiã impulsus, summus episcopus, & honoribus afficeret, ea lege & pacto, vt omnia bona, sibi & posteris acciperet, & haberet; si verò deinde in regem delinqueret, ob quod delictum maiestatis læsa, quicquid honorum, & bonorum acceperat, amitteret, eius quoque posteris, & adirentur, & vincerent hijs & bonis: & regis miseribus spoliatis, & orbati.* In quibus vtique posteris tantorum bonorum priuatio, voluntaria esset, non quidem voluntate propria, sed paterna. Hoc exemplum mirè quadrat proposito. Id verò vt commodius, & plenius intelligamus, animaduertere oportet, in paruulis recens natis peccatum originis, non esse voluntarium, voluntate propria: & hoc Augustinus libro primo Retractionum capite 11. & 15. aperte tradit: immo libro 1. de peccatorum meritis & remissionibus capite 17. refellit quosdam aientes, peccatum originis esse voluntarium voluntate propria paruulorum contractum. Non (inquit) est sic de sensibus humanis desperandum, vt illud vobis persuadent. Animaduertendum quoque est, quando quippiam est voluntarium in nobis voluntate aliena, id posse multis modis accidere: Primum, quia in alium voluntatem, & consensum nostrum expresse transtulimus. Sic quod procurator agit, voluntarium censetur in eo, qui eum ad sua negocia gerenda procuratorem delegit. Secundo modo auctoritate legis, voluntas vnius reputatur voluntas alterius: ita voluntas tutoris habetur pro voluntate pupilli, & voluntas magistratum, & Senatorum pro voluntate plebis. Tertio, voluntas vnus existimatur voluntas alterius pacto, conuentione, vel institutione rei alicuius: & hoc modo in exemplo Anselmi, & Theologorum superius allato, voluntas

Anselmi
de conu.
cap. 11.

patris

patris ceteretur voluntas filij: hoc item modo voluntas Adami fuit voluntas omnium posterorum: accepit enim Dei beneficium, & munere, non vi, & conditione naturæ, iustitiam & gratiam eo pacto, & institutione, ut si in officio manserit conferuaret eam, transmitteret, & deriuaret in posteros. Ex quo liquet, ut, sicut eam sibi, & posteris voluntariè susceperat, ut conferuaretam communicaret cum illis, ita voluntariè peccando, sibi & posteris amiserit. Neque verò quicquam refert omnino, intercesserit nec ne pactum explicitum. Quidam enim arbitrantur intercessisse. Alij verò dissentunt. Basilio 2. dist. 30. quæst. 1. ar. 3. & Marli. 2. dist. 19. ar. 2. ad finem. Cath. in opusc. de pecca. orig. cap. 7. & in gen. cap. 3. affirmant. Scot. lib. de nat. & grat. cap. 3. Pighi. in opusc. de peccat. orig. negant. Satis est si dicamus primum hominem ita esse procreatum à Deo, ut ipsa institutione iustitiam, & gratiam sibi & filiis nascituris susceperit, & talis institutio diuina non immeritò pactum vocatur, non quidem explicitum & expressum, sed implicitum & tacitum.

Obijcies, adhuc rem ipsam exemplo proposito non plenè explicari: quia ex eo solum colligitur, filios Adæ contraxisse poenam, peccatum non item: quemadmodum in exemplo B. Anselmi, & Theologorum, amissio munerum regalium in filiis illius propositi hominis, quem reum lætæ maiestatis mentis cogitatione fingimus, non esset culpa, sed poena. Respondeo, exemplum non adferri, ut priuationem iustitiæ originalis probemus esse peccatum: sed solum, ut ostendamus, esse voluntarium in posteris tacitè, & implicitè: quod enim priuatione iustitiæ originalis, si concedatur aliquo modo voluntaria, peccatum sit, aliud constat, quam exemplo. Patemur itaque amissionem regalium donorum esse tantum poenam, non culpam: id tamen ideo est, quia non est priuatio alicuius iustitiæ siue virtutis moralis, sed iactura tantum bonorum temporalium: at verò voluntaria priuatio iustitiæ originalis debita, eo ipso est peccatum, quia est declinatio à recto, & auersio à Deo, ab erratio à lege, & recta ratione, denique non alicuius boni temporalis, aut naturalis, sed diuinæ gratiæ iactura & amissio, quæ verè est mors animæ. Ex quo etiam efficitur, ut mors corporis, & ceteræ carnis miseriæ, quæ mala ex peccato contraximus, poenæ, & non culpæ rationem habeant, quia iacturæ sunt, & priuationes bonorum pertinentium ad corpus, & naturam ipsam, non ad mentem, & mores, non ad iustitiam & sanctitatem.

Ex his etiam intelligitur, meritò in quadam constitutione Pontificia edita à Pio V. & Gregorio XIII. condemnari duas propositiones Louanensibus cuiusdam Doctores: Primam affirmantem: *ad rationem peccati non pertinet voluntarium: nec definitio quæstio est, sed causa & origines, an omne peccatum debeat esse voluntarium.* Secunda erat illa: *Peccatum originis habet rationem peccati sine relatione, & respectu ad voluntatem, à qua originem trahit.* S I R O G E S, an dici rectè possit in Adamo peccasse posteros eius? Respondeo, verbum Peccandi in scripturis, & proinde in Patribus, & Theologis dupliciter accipi. Primo, ut significat idem, quod malum o-

pus facere: secundo, ut valet idem, quod, peccatum contrahere. Si priori modo sumatur: posteri non propriè in Adamo peccarunt, quia nondum nati non potuerunt opus malum facere: quòd si aliquando Adæ posteros legimus in illo, ut parente comedisse ex fructu interdicto, & sic legem Dei perfregisse, locutio est secundum causam, & originem accipienda: Comederunt enim in alio, nimirum in suo capite, & parente Adamo: nam effectus in sua quidem causa esse perhibetur, sed virtute & potestate. Si secundo modo accipiatur, posteri reuera in Adamo peccarunt, id est, in eo, & ex eo peccatum originis contraxerunt. Ita etiam legimus posteritatem Adæ in eo concidisse, quia ipse sibi, & posteris gratiæ, & iustitiæ iacturam attulit.

Cap. XXX.

Quomodo peccatum originis traducatur.

Primo Queritur, qua ratione peccatum originis transfundatur in posteros ex Adamo communi lege naturæ procreatos? Pelagianus olim Augustinum aliosque Catholicos hac de re disputando vexabat: rogabat enim Pelagius: teste Augustino libro secundo de Nuptijs, & concupiscentia cap. 27. & 28. per quas rimas hoc peccatum originis latenter intrasset? Respondit Augustinus: cum habeat ianuam apertissimam, rogat, per quas rimas sit ingressum? Paulus ait ad Romanos 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Certè Pelagianorum ratio, quæ quæstionem mouebat, exerat: Anima à solo Deo creatur in corpore: Deus autem peccati auctor non est, ergò eam mundam, & ab omni peccato liberam in corpus infundit, nec potest ex corpore maculari, tum quia est spiritalis, spiritus autem tactu corporis nequaquam polluitur, tum quia peccatum in corpore sedem non habet. Nec potuit anima peccatum ex Adamo hominum progenitore contrahere, quia ex Adamo corpus tantum, non animam suscipimus. Potuit igitur morbus, & labes corporis ex Adamo contrahi, non animæ macula. Hoc erat totum Pelagiani dogmatis fundamentum. Augustinus in explicanda Animæ origine & proinde peccati originalis in posteros traditione sæpenumero angebatur: Quare tertio libro de libero arbitrio cap. 21. & 22. quatuor opiniones de Animæ origine enumerat, quibus minimè subscribit. Deinde, Orosium virum Hispanum ad B. Hieronymum misit, ut ab eo quid de hac quæstione sentiret, edisceret, ut constat ex epist. 28. ad Hieronymum. Præterea, li. 10. de Genesi ad litteram cap. 3. & sequentibus, & libro 7. per aliquot capita eandem tractat quæstionem; quatuor libros de Anima scripsit ad Renatum. Tandem libro primo Retrahit, cap. 1. adhuc se nescire fateretur, an nouæ Animæ quotidie fiant à Deo per creationem in corpore, an verò aliquo alio modo veniant in corpora. Sed quicquid de hac re Augustinus dubitauerit, dogma est Theologorum communi consensu receptum, quotidie nouas animas hominum à Deo creati in corporibus: & Hieron. in Apologia prima, & secunda contra Rufinum videtur asserere,

hanc esse Ecclesiast. sententiam. Idem ait, Damasc. lib. 2. *Fidei orth. capite 12.* Gennadius in libro de Ecclesiast. dogmatibus cap. 14. qui liber falsò Augustino tribuitur, Tertullianus malè audiuit, eo quòd docuerit animas hominum generatione traductas in corpora venire; quòd annotauit B. August. in libro contra hereses, num. 86. & 81. idem contra Luciferianos animaduertit Hieronym. quoque, Tertullianus & Luciferianos accusat eo nomine, vt videtur in epist. 47. Hoc igitur tanquam certum, & indubitatum haberi oportet nouas animas hominum quotidie à Deo creari, & infundi corporibus.

Quo concessio vrget Pelagianorum argumentum, Quomodo peccatum originis in Adami posteris transmittatur, & vnde anima in corpore polluat. In qua re Augustinus variè videtur esse locutus. Aliquando docet peccatum traduci per concupiscentiam, & libidinem, & videtur insinuare libidinem esse peccatum. Alias verò ait, Adamum suo peccato omnes posteris corrupisse. Interdum, inquit, malum concupiscentiæ, esse affectionem quandam malæ qualitatis, instar languoris. Ex quibus constat secundum Augustinum, concupiscentiam in nobis esse veluti morbidam quandam qualitatem, per quam peccatum transit in animam. Magister in secundo dist. 31. ait cum Augustino libro 4. contra Iulianum cap. 4. & 9. animam ex carne inquinari, & infici, sicut liquor infusus in vasculum immundum ex eo maculatur, atque corrumpitur, Idem quoque tradunt Alex. p. 2. quest. 105. m. 4. & Henri. quodl. 1. quest. 21. Alber. 2. dist. 30. ar. 1. pro quarta via ad. 1. ex quibus opinio de morbida qualitate fuit in scholas inuenta.

Ceterum his omnibus prætermisiss, res sic se habet, vt rectè explicuit Dur. 2. dist. 31. quest. 1. num. 8. & 9. Homo generat hominem, non quòd ipse faciat animam, sed quòd creatam à Deo coniungat cum corpore naturaliter ad eam suscipiendam aptè & conuenienter affecto, & præparato. Quemadmodum si quis candore ab alio facto parietem afficeret, verè, & propriè parietem album redderet, non quòd faciat ille candorem, aut parietem, sed quòd in parietem candorem inducat. Vnde efficitur, vt quicquid naturaliter esset instrumentum ad generandum hominem, hoc est, naturam humanam traducendam, vel ad animam creatam à Deo cum corpore copulandam, esset quoque instrumentum beneficium, & munere Dei, ad transmittendam iustitiam originalem diuinitus Adæ collatam, si eam ille conseruaret acceptam sibi, & posteris: quia sicut qui traducit naturam, traducit quoque omnes naturæ dotes, vires, & facultates, & conditiones; sic etiam qui tanquam instrumentum naturam transmitteret, tanquam instrumentum etiam iustitiam originalem transfunderet. Nisi quòd naturalia accidentia traducuntur vi, & conditione naturæ: iustitia verò originalis transmittenda erat non ex vi naturæ, sed beneficio conditoris. Sic etiam eo ipso, quòd Adami iustitiam originalem amisit, eam sibi, & posteris perdidit, & proinde traduxit in omnes posteris naturam humanam iustitia originali nudatam, quàm suscipere debuerant: quod est

dicere, Adam homo genuit homines, qui si iustus permanisset, iustos quoque procreasset: peccator effectus generauit peccatores, non quòd animam Adamus generando traducat, vel imperiat; immò etiam si corpus nec transmitteret, nec nobiscum communicaret, verè, & propriè priuationem iustitiæ originalis in posteris deduceret ex eo solùm, quòd naturam humanam traduceret, & hominem generaret, animam cum corpore coniungendo; quia sicut iustitiam originalem acceperat Adam sibi & posteris, sic peccato suo sibi, & posteris illà deperdidit, & proinde generando hominem, non potuit eum, nisi peccatorem gignere, & copulando animam cum corpore, non potuit, nisi animam iustitia originali priuatam corpori copulare.

Cum ergò queritur, quid sit illud, quo peccatum originis traducitur? Respondeo, esse id, quo natura humana ex Adamo deriuatur in posteros, quod nihil aliud esse nisi semen ex Adamo communi generationis lege susceptum.

Ex his omnibus intelligitur manifestè, cur Christus Dominus peccatum originis contrahere nequiverit: nimirum quia in vtero Virginis conceptus est Spiritus sancti generis. Suscepit enim naturam humanam, sed non communi generationis, & naturæ lege ex Adamo propagatam. Obijcies, Christum Dominum fuisse filium Danidis, & Abrahæ, & proinde filium Adami. Respondeo, fuisse quidem filium illorum, quoniam Filius Dei naturam humanam sibi mirabiliter coniunxit susceptam ex Beatissima Virgine, quæ genus, & originem ex Adamo traxerat, & proinde carnem Christus Dominus ex Adamo deductam suscepit: sed non communi feminis propagatione transfusam. Insistes: Quid igitur Augustinus toties per concupiscentiam, & libidinem inculcat in posteros peccatum originis ex Adamo traduci? Respondeo, nequaquam fuisse mentem, & sententiam Augustini, semper inter coniuges libidinem esse peccatum, licet id nonnulli existimant insinuasit Augustinum: sed sensum eius esse: si Adam in iustitia originali persistisset, ex eo homines propagatum iri ablo, vlla carnis libidine, que esset peccatum, aut poena peccati, aut ad malum inuitans, sed que esset iuxdam naturæ conditio. Nunc verò in natura peccato corrupta, libido carnis licet non sit peccatum in coniugibus, non tamen est sola naturæ conditio, sed est etiam poena peccati. Augustinus itaque concupiscentiam ideo frequenter appellat malum, & peccatum, quia contra Pelagianos disputabat, aientes eam solam esse conditionem naturæ, non peccatum: nec effectum, nec poenam peccati: Augustinus autem docet semper esse peccatum: quia vel est malum in se, vt cum ei assensum nostra sponte præstamus, vel peccati poena ex culpa primi parentis contracta. Quare si homo solam naturam accepisset humanam, in eo esset concupiscentia, & libido carnis, poena mentis & sensus, corporis & animæ: verumtamen vt naturæ conditio, non peccati poena, & effectus, vt nunc est.

Secundò Queritur, An cætera peccata primi parentis, quæ fecisset, transmitterentur in posteros? S. Tho. 1. 2. q. 81. ar. 3. & cæteri Theologi com-

muni consensu tradiderunt, ea transmissum non iri: quod idem aperte Anselmus tradiderat. Sed in huius reddenda ratione, quaestio est, cur primum potius peccatum transmissum est, cetera non item. Idem Theologi respondent primum peccatum fuisse naturae, cetera vero personae, non naturae. At viget adhuc quaestio, cur potius primum fuerit peccatum naturae, quam cetera? nam si idem fuit naturae, quia omnes in Adamo peccante continebamur, pariter etiam eramus in eo, si iterum peccaret. Verius ergo fuerit dicere, rationem huius rei ex ipsa primi hominis institutione sumi oportere. Est enim procreatus à Deo cum iustitia originali, quam beneficio, & munere diuino acceperat sibi, ac posteris: & proinde quodcumque primum peccatum lethale eam iustitiam ab eo, ac tota posteritate depelleret. Postea vero Adamus Dei gratiam, charitatem, & amicitiam per poenitentiam recuperavit sibi, non posteris: quocirca si gratiam recuperatam secundo peccato amisisset, sibi duntaxat, non posteris amisisset. Immo, si secundo peccaret antequam in diuinam gratiam rediret, peccatum eiusmodi illi soli noceret, non posteris, quia secundum peccatum esset quidem contra legem, & gratiam Dei, non tamen contra gratiam, aut iustitiam, quam sibi, ac posteris accepisset. Hinc perspicitur, quem sensum habeat id, quod Theologi docuerunt primum Adae peccatum fuisse naturae: non enim significare volunt naturam humanam peccasse, nec enim natura peccare, aut mereri potest, sed homo. Nec item sensus est, posteris nondum conceptos, & natos voluntate propria deliquisse, aut contraxisse peccatum. Sed ideo fuit naturae, quia eo peccato iustitiam originalem non solum Adamus, sed posterique quoque amiserunt, quia eam acceperat Adam sibi, & posteris: quo etiam modo iustitia originalis erat naturae donum, non quod esset naturae conditio, tanquam accidens naturam hominis consequens: sed quod beneficio, & dono Dei foret in posteris, cum ipsa natura pariter transmittenda. Deinde etiam constat, primum Adae peccatum non esse traductum in posteris ex eo solum, quod fuit eius fructus interdicti, sed quia fuit primum: nam qualecumque aliud lethale crimen perpetrasset Adamus, in suos quoque posteris derivasset: quia per qualecumque lethale culpam, ille iustitiam originalem sibi, & posteris amisisset. Obijciens ex scriptura, dictum illi fuisse: *in quoque die comederis ex eo, morte morieris*; ergo Deus mortem eis comminatus, si comedisset fructum arboris interdictum. Respondeo, illis verbis declarasse Deum vim & naturam iustitiae, & gratiae, quam in Adamum contulerat: & quia praepro dato, vesci primos parentes ex arboris fructu veterat, ideo lethalis criminis admissi poenam, in ea praepro violatione expressit. Iustitia tamen, & gratia dimittitur accepta, quocumque lethali crimine perderetur, quia cum eo in viuens pugnat: amissa aut gratia, non solum Adae, sed toti posteritati amitteretur, & hoc ipso mors corporis in totum genus humanum esset pariter peruersura.

Tertio Quaeritur, Cur proximorum parentum peccata non fuerint in posteris traducta quem admodum crimen primi parentis? Respondeo,

ex his quae proximè dixi rationem constare: continebamur quidem nos in proximis etiam post Adamum parentibus: Sed illi gratiae donum sibi tantum, non nobis acceperant, & proinde sibi, non nobis amiserunt. Et haec est Theologorum sententia, dicentium proximorum parentum peccata fuisse personarum, non naturae. Adae vero peccatum fuisse non solum personae, sed etiam naturae, ut ait S. Thomas 1.2. *quest. 81. ar. 2.*

Quarto Quaeritur, An omne peccatum non solum suum auctorem inficiat, sed etiam posteris? Respondeo, in Pontificia constitutione, quam supra memoravi Pij V. & Gregorij XII. condemnari propositionem, qua Doctor quidam Louanienfis assererat, crimen eius esse conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteris eodem modo inficere possit, quo infecit primum Adae peccatum: quae sententia merito est condemnata, quia generatim proponitur quo modo catholicum sensum nequit admittere: eam enim oporteret distinguere. Nam si quisquam eo pacto & lege accepisset à Deo gratiam, ut sibi & suis posteris eam, in officio virtutis sese continendo, conseruaret: & postea scelus admitteret, eam sibi, & posteris perderet, & peccatum deriuaret in posteris; non tamen inde fit in viuens, ut crimen omne eius sit naturae, ut suum auctorem, & posteris pariter contaminet: quodcumque enim gratiam diuinam quis accipit sibi, & non posteris, tunc suo crimine sibi nocet, non posteris: & proinde scelus in ipso manens nequaquam redundat in posteris. Sed oppones, Peccator cum sit gratia Dei orbatus, non potest nisi peccatores sui similes filios generare. Respondeo, si peccator gratiam sibi tantum accipiat, gignet quidem filios gratia vacuos: verum quod illi gratia creant, nullum est ipsorum peccatum, quia non priuantur gratia vlla, quae in ipsis inesse deberet, & proinde absentia gratiae in ipsis proprie esset negatio, non autem priuatio.

Quinto Quaeritur, An si quis diuinitus ex humana carne ab Adamo decerpta procreetur, contraheret peccatum originis? Henr. *quod 1. q. 21.* fuit opinio, si quis talis formaretur homo ex quavis particula Adami, vel hominis ab eo naturaliter propagati, peccato originis eum fore maculandum. Id ille probat argumento ducto à simili: Si quis, inquit, formaretur ex parte hominis lepra infecti, lepra pariter, & ipse contraheret: ergo homo ex homine per peccatum originis corrupto formatus, necesse est ut sit ipse quoque corruptus, & infectus. Ex quo concludebat ille, posse quidem virtute diuina hominem fieri ex Adami particula liberum prorsus, & purum ab originali labe peccati: ita tamen ut Dei potestate, ea particula prius ab omni macula, & contagione peccati mundaretur: quae admodum ne ex homine lepra infecto, lepra vitium trahatur, necesse est, ut prius fiat mundus à lepra. Verum haec tota Henrici opinio de peccato originis, in illa sua morbida qualitate in Scholas inuecta innitebatur.

Verius igitur cum S. Tho. 1.2. *quest. 81. ar. 4.* Ricar. 2. *diffinit. 31. ar. 2. quest. 2. ad 1.* Dur. 2. *diffinit. 31. quest. 2.* Marfil. 2. *quest. 19. dist. 3. paulo ante finem.* Gab. 2. d. 30. q. 1. ar. 2. *concl. 1.* dicendum existimo huiusmodi hominem, quae cogitatione finimus nullo originis

peccato infectum iri: quia longè diversa ratio est de homine, qui è corpore lepra infecto effingeretur: in eo enim lepra esset infirmitas, & qualitas corporis, quæ in particula ex eo trahitur, & excerpta ad formandum hominem permaneret, sed peccatum originis non est morbida corporis qualitas, sed est animæ vitium, quod communi seminis propagatione transmittitur. Ex quo illud etiam perspicitur, si Eva ex Adæ latere formaretur post peccatum, eam peccatum originis minime contracturam, quia non esset ex Adamo seminis propagatione progenita.

Sexto Quæritur, quo pacto is, qui sacro Baptismate à peccato originis mundatur, traducatur in filios peccatum originis, quod ipse non habet? Respondeo, fuisse Pelagianorum argumentum, ut ex Augustino colligitur lib. 3. de peccatorum meritis, & remissionibus, cap. 3. Peccatum originis (illi aiebant) nemo potest in alium deducere, quod ipse non habet, sed renatus in Christo non habet illud, ergo in posteros minime transmittit. Augustinus autem eo loco responderet. Sicuti inquit, circumcisus generat non circumcisum, & triticum parvatum à palea, gignit triticum cum palea: sic mirum non est, quod à baptismo renatus in Christo, generat hominem peccato originis infectum. Et libro primo de Nuptijs & concupiscentia cap. 17. ait: Sicut ex semine oleastris, non nascitur nisi oleaster; ex semine tamen oliuæ gignitur aliquando oliua, aliquando oleaster: sic ex Adamo peccatore non nisi peccator: sed ex parente iusto peccator quoque, non iustus generatur. Urgebat Pelagius: cur sicut ex oliua non semper oleaster, sed oliua aliquando nascitur, ex iusto nunquam iustus, sed semper peccator? lib. 6. contra Iulianum cap. 3. ait: August. ut huic argumento respondeat: Ex homine carno nascitur, homo oculatus, ergo dat homo, quod non habet: & proinde nihil est mirum si iustus peccatorem gignat. S. Tho. 1. 2. quæst. 81. art. 3. ad 2. aliter huic argumento responderet: ait enim per Baptismum & poenitentiam peccatum originis condonari, & remitti, ita ut culpa, & reatus tollatur; sed manere concupiscentiam carnis: & quia per hanc homines procreantur, ideo peccatores nascuntur. At enim verò sua adhuc argumento vis inest, cur ex iusto homine, in quo peccati culpa sublata carnis permanet concupiscentia, non generatur filius mundus quidem à peccato, quamvis carnis concupiscentia pressus? Simplicius itaque, & facilius responderi potest hoc ipso, quod Adamus iustitiam, & gratiam sibi accepit, & posteris, factum esse ut sibi, & posteris in uniuersum amiserit. Deinde verò, cum Dei beneficio, & gratia à peccato originis expiatus accepit gratiam, & sui peccati remissionem ac veniam sibi soli & non filijs accepit, & ideo in eos sui peccati remissionem minime transmisit. Hinc efficitur, ut qui ex Adamo originem trahunt, eo ipso sine iustitia, & gratia nascantur, naturam habentes à proximis, qui eos genuerunt parentibus alioqui iustis, sine vlla peccati remissione, quia peccati veniam ipsi parentes sibi, & non posteris acceperunt.

Septimo Quæritur, An si aliquis ex posteris Adæ peccaret, ipso Adamo non peccante, gigneret filios peccatores? Dux sunt opiniones: vna est asserentium, si ita esset; eos nascituros eum peccato originis: ita docuerunt. S. Tho. de mal.

quæst. 5. ar. 4. ad 8. Scot. 2. distin. 32. quæst. 1. ad argumenta vlt. quæstionis. Contra. 1. 2. quæst. 81. ar. 2. quia, inquit, si Adamus in iustitia permaneret, eam deriuaret in posteros; & quia amisit traduxit peccatum: Ergo si eo non peccante Cainus delinqueret, in filios à se procreatos peccatum effunderet, quia Cainus: sicut Adamus iustitiam sibi, & posteris accepisset: ergo sicut retentam in filios transmisisset, sic etiam deperditam. Altera opinio docet filios Caini, absque vlllo peccato originis procreandos. Sic opinantur Dur. 2. distin. 33. quæst. 1. num. 9. Med. 1. 2. quæst. 81. ar. 5. quia solus Adamus iustitiam, & gratiam, accepit sibi posterisque suis: & proinde si Cainus illam perdidisset, sibi tantum, & non soboli nocuisset. Nihil in hac re certi ex scripturis, aut Patribus colligi potest: nisi quod prior opinio maiori est Theologorum auctoritate firmata: posteriolem tamen magis probat quoniam si iustus ex Adamo filius nasceretur, quamvis iustitiam retinisset, peccante postea patre, eam in prolem à se genitam minime deduxisset, ut sequenti proximè quæstione dicitur: ergo nec peccatum proximè genitoris redudisset in filios, si Adamus iustitiam conferuisset acceptam. Unde parentes peccatores tunc iustus filios procreassent, sicut nunc ex iustis parentibus peccatores filij nascuntur.

Octauo Quæritur, An si Adam iustus post aliquot filios genitos peccauisset, suo peccato illis ante progenitis nocuisset: ita ut si Adamus iustitiam originalem perdidisset, ipsi quoque pariter perdituri essent. Ambrosius Catharinus in opusculo de peccato originali capite 8. distinguit, eos dicens iustitiam quidem originalem amissuros, sed non gratiam adoptionis. Iustitia enim originalis, & gratia erant duo habitus, re penitus à se inuicem distincti: & Adamus acceperat iustitiam transmittendam in posteros, Gratiam verò adoptionis solum sibi non posteris acceperat.

Longè tamen verius est, quod Durandus affirmat. 2. dist. 33. quæst. 1. num. 7. eos nec iustitiam, nec gratiam amissuros: quod etiam videtur posse colligi ex Augustino super Psalmum 84. in illum versiculum: Averte iram tuam à nobis; Vbi sic habet: ea peccata paruorum non pertinent ad filios, que faciunt parentes nati: filij nam filij iam nati ad se peccaverunt, & parentes quoque ad se ipsos: & quicquid accidit ipsi Adæ, secutum est etiam nos, quia eramus in Adamo, quando peccauit. Hæc ille, & Gratianus 24. quæst. 3. §. Quod autem ad finem ait: Peccato Adæ ideo auertere tulerunt, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat profeminatus. Ex quibus verbis videtur colligi, si quis esset ante lapsum Adæ progenitus, eum iustitiam originalem nequaquam amissurum. Ratio quoque id videtur persuadere. Adultus enim, qui iustus, & amicus est Dei, iustitiam & amicitiam diuinam non amittit inuitus. Deinde, qui Deo carus est, voluntatem habet seruandam, & implendi omnia diuinæ legis præcepta, ergo absurdum est dicere eum tali affectu, & voluntate præditum, à Dei gratia, iustitia, & amicitia decedere. Objicies; quid si illi adulti non essent, sed paruuli nondum rationis compotes effecti?

Respondeo,

Respondeo, eos quoque iustitiam minimè amissuros: quoniam ex scripturis, & Patribus solum didicimus peccatum originis communi seminis propagatione in posteros transfundi, eò quòd nati & concepti, iustitiæ originalis privationem vna cum natura suscipiunt: ergò filij ante lapsum geniti, iustitiam originalem nequaquam amitterent.

At contrà hæc nobis objicies: Primò, Adam accepit iustitiam sibi ac toti generi humano, ergò quocunque tempore per peccatum illam amississet, sibi quoque ac toti generi amississet; sed filij ante lapsum geniti ad genus Adæ pertinebant, ergò. Respondeo, Adamum accepisse iustitiam transfundendam quidem dono Dei in omnem sobolem, sed ex eo communi seminis propagatione venturam; & proinde non in filios ante iam natos.

Secundò oppones: Si filij iam nati ante peccatum iustitiam retinissent post Adæ peccatum, eam quoque in suos posteros traduxissent, quia eam beneficio quidem Dei, sed per Adamum acceperant, & proinde sibi & posteris. Respondeo, eam iustitiam post Adæ peccatum non fuerant transmissuri, quia eorum posteri, licet ab eis proximè generarentur, nihilominus tamen essent veri posteri Adæ, & ab eo profeminati: quare licet ex proximis progenitoribus peccatum originis minimè contraxissent: per generationem tamen ab Adamo peccatore iam factò naturaliter propagati suscepissent. Ad id verò quòd secundo loco objiciebatur, progenitores eorum proximos iustitiam accepisse sibi, ac posteris. Respondeo, post Adæ peccatum eos retenturos fore, quam acceperant iustitiam sibi, & non soboli: Vnde quando iustitiam accepissent transmittendam in posteros, id quidem esset Adamo eam retinente qui eam traduceret per eos: ipse verò Adamo per peccatum amittente, in filij iam geniti iustitia desineret esse commune totius generis donum, & esset in illis personæ privilegium, & beneficium.

Tertiò objicies: Si Rex concessisset militi certum donum, ac munus ea conditione, ut si in officio mansisset, illud sibi, & posteris habuisset; si minus, sibi, & suæ posteritati perdidisset: tunc huiusmodi milite ab rege deficiente, beneficium, & donum acceptum non solum posteri generandi amississent, sed etiam filij ante progeniti. Respondeo, exemplum ex humanis ductum non semper locum habere in divinis: quia amissio regalis muneris in militem collati tantummodo potest poenæ rationem habere; ac proinde filij quicunque ob paternum crimen possunt eo privari: ac verò privatio iustitiæ originalis non est poena, sed culpa. Deus autem neminem odio habet, ut à se alienum, & aversum, & sibi inimicum propter alienum peccatum tantummodo extrinsecum.

Quartò oppones: Iustitia originalis, & gratia erant duo habitus re distincti: ergò licet gratia semel accepta, non nisi propria voluntate amittatur, iustitia tamen originalis potest amitti per alienam voluntatem. Respondeo, fuisse quidem multorum Theologorum sententiam, iustitiam originalem, & gratiam esse habitus inter se re

ipsa diversos. Nos tamen probabiliorē existimamus eam, quæ tradit esse re unū, & eundem habitum ratione distinctū; & proinde quodcumque lethale crimen sicut gratiā, ita iustitiam originalem tollere, atque delere. Ex quibus intelligi potest, quid sit dicendum in ea quæstione, An solo Adamo peccante, Eua nullum peccatum admittens esset iustitiam originalem amissura per peccatum ipsius Adæ? Ambrosius Catharinus affirmat, eam amissuram fuisse iustitiam originalem, sed non gratiam, quia data est Adæ iustitia eo pacto, ut ceteri omnes ex illo, & per illum eam acceptam haberent; sed dicendum existimo, Eua neque gratiam, neque iustitiam originalem amissuram; quòd idem dixi de filijs ex Adamo ante peccatum progenitis.

Nonò Quæritur, An si Eua peccaret, & non Adamus peccatum originis posteros quoque foret consecuturum. Respondeo minimè, ex Anselmo libro de peccato originis cap. 6. ex quo hausisse videntur. S. Tho. 1.2. quæst. 51. ar. 5. Alexan. p. 1. quæst. 105. mor. 3. ar. 2. Dur. 2. dist. 31. quæst. 2. & alij, quia Adamus, non Eua iustitiam sibi, ac posteris acceperat. Eua enim eam habuit, ut sibi propriam, & peculiarem, non communem.

Decimò Quæritur, An si solus peccaret Adam peccatum eius ad posteros quoque pertineret? Respondeo, Maximè, quia ipse Adamus, ut sors, & origo iustitiam acceperat sibi, & posteris, & proinde sibi, & posteris retinisset, vel amississet, etiam si solus ipse, non Eua peccasset.

Alex p. 2.
3. 105. m. 3.
ar. 1. ad finem.

Cap. XXXI.

Qua in parte Animæ inhereat peccatum originis.

Quæritur, Vbinam insit, ut in re subiecta peccatum originis? Tres sunt opiniones: prima asserentium inhereat in ipsa animæ substantia. Sic opinantur Alber. 2. dist. 30. ar. 4. ad 5. S. Tho. 1.2. quæst. 83. ar. 2. Aegid. 2. dist. 31. q. 2. ar. 1. Argen. 2. dist. 31. quæst. 1. ar. 4. Ratio eorum est: quia putant iustitiam originalem in ipsa substantia animæ sedem habuisse, & peccatum originis est privatio iustitiæ: sed forma, & eius privatio in eadem facultate insident. Secunda opinio docet peccatum originis inesse in Appetitu sensus. Ita Durandus sentit 2. dist. 20. quæst. 5. m. 4. quia iustitiam originalem ponit in appetitu sensus, cuius effectus primus erat subijcere appetitum sensus rationi, & Deo. Tertia opinio, peccatum originis in voluntate constituit. Est Scot. 2. dist. 32. quæst. 1. vers. quo ad primum. Nonau. 2. dist. 31. ar. 1. quæst. 2. quam putat probabiliorē Ricardus 2. dist. 31. ar. 1. quæst. 1. cui etiam quidam nunc iuniores accedunt; tu si malueris, eam sequere: id probare conatur Scotus, quoniam peccatum, inquit, originis est privatio iustitiæ originalis: sed iustitia re erat idem habitus, qui gratia; gratia autem non est habitus re à charitate distinctus: sed charitas in voluntate reponitur, ergò & gratia, & iustitia originalis, & proinde eius quoque privatio, quòd est peccatum originis. Oppones, Peccatum originis est peccatum naturæ: quia iustitia originalis erat naturæ donum: ergò utrumque pariter est in substantia animæ

Respondet Scotus, iustitiam originalem fuisse naturæ donum, non quia esset in natura, aut quia esset naturalis aut naturæ conditio, sed quia colatum Adæ in commune bonum totius generis humani, & proinde in omnes homines Dei beneficio, & munere transiturum. Eodem sensu peccatum originis vocatur peccatum naturæ; non quia proximè insit in natura, sed quia est peccatum, quo Adam sibi, & omnibus hominibus à se propagandis iustitiam perdidit originalem. Secundo oppones: Peccatum originis totam animam polluit, & inscit, non vnam aliquam eius partem commaculat: ergo inest in ipsa animæ substantia. Respondet Scotus, sicut gratia, & charitas inhærens in voluntate totam animam reddit gratam, & acceptam Deo: ita etiam privatio gratiæ, & charitatis, licet proximè in voluntate resideat, totam animam alienat, & auerit à Deo, & proinde totam contaminat. Sed certè cum peccatum originis sit gratiæ privatio, & gratia à charitate distincta, in ipsa anima se dem habeat, rectè colligit S. Thomas in anima esse peccatum originis, quamuis cætera peccata in voluntate ponantur, quia nō sunt gratiæ privationes, sed actus rectæ rationi contrarij.

Cap. XXXII.

Quenam sint peccati originis effecta.

Primò Quæritur, Quot, & qui sint peccati originis effectus? Respondeo, eos ad tria potissimum quatuorve capita reuocari posse. Primus eius effectus est pugna, qua sensus cum ratione, seu mente, caro cum spiritu, corpus cum anima colluctantur: quam pugnam Apostolus explicuit multis in locis, uti cum eam appellauit legem carnis, legem peccati, legem membrorum, concupiscentiam, & veterem hominem. Theologi verò fomitem peccati, & sensualitatem passim appellant. Hæc autem pugna in tribus præcipue consistit. Primum, in eo, quod tum appetitus sensus, tum rationis propensus est ad malum: Deinde, quod ad bonum tardus ac piger: Postremò, quod ratio sæpe est ignara æqui, & boni. Secundus effectus peccati originis sunt animæ perturbationes, quas Theologi animales passiones nominare solent, quæ mentem hominis perturbant, & commouent, rationem sæpe præcurrunt, & aliquando obsistentem quodam modo ad se sistent. De quibus animi affectibus tertio libro à nobis pro instituti nostri ratione fusè disputatum est. Tertius effectus: Omnes corporis morbi, & ægrotudines, miseræque innumera, quibus sunt dolores, fames, sitis, lassitudo: Animaduertendum est, hæc omnia partim esse naturæ ipsius conditiones: constat enim homo ex contrarijs, item ex sensu & ratione. Unde homo si cum solis naturæ dotibus procrearetur, hisce malis foret obnoxius ex ipsa conditione naturæ: partim verò sunt peccati effecta, quia primus homo ex quo omnes fati, procreati que sumus, Dei beneficio iustitiam, & sanctitatem acceperat, quæ totum hominem in officio continebat; quæque, si eam Adamus conseruaret, deriuaretur in posterum: quare ea deperdita, quæ superius mala commemorauimus, in hominem ir-

ruperunt. Mala itaque, quæ alioqui ex conditio ne naturæ hominem consecutura, sed iustitiæ originalis beneficio repressa erant, tanto Dei munere deperdito, totum genus humanum indidant. Lutherani plures alios peccati effectus enumerant, ut ignorantiam Dei, contemptum, blasphemiam, inobedientiam, odium, diffidentiam, desperationem, ac similia non pauca; Verùm illi profecòd magnopere allucinantur. Nam horum appellatione si intelligant actus, & motus subitò erumpentes, tunc erunt perturbationes, & affectus animi: si verò actus plena animi deliberatione elicitos accipiant, tunc sunt lethalia crimina, propria voluntate contracta.

Secundò Quæritur, An mors corporis ita sit peccati originis effectus, ut in omnes sit peruersura? Olim inter Patres duæ fuere sententiæ: Quidam enim senserunt, eos omnes, quos in extremo ad iudicium aduentu Christus Dominus viuos reperiet, non esse mortuos, sed in nubibus obuiam processuros Christo venienti, & proinde transiuros citra mortem vllam, ex hoc statu mortali ad immortalem Beatorum cœli habitatorum vitam, omnis corruptionis atque miseræ expertem. Hoc autem illi probare nitentur auctoritate scripture, ea inquam, quæ habetur in prima ad Thessalonicenses capite 4. vbi dicitur: *Nos qui viuimus, qui relinquitur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* Vbi Paulus se annumerat hominibus tunc temporis victuris: non quòd ipse victurus esset vsque ad nouissimum mundi diem, sed more scripture loquitur, quo vsus etiam Dominus noster dixit: *Quem occidisti inter templum, & altare, & tamen non illi, quos tunc Christus alloquebarur Iudei, sed eorum parentes occiderunt.* Ita dictum est, ab eodem Apostolo: *nonisimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Illud quoque Pauli testimonium ad ideam comprobandum adferebant illius opinionis auctores, quod est in prima ad Corinthios cap. 15. vbi quod latina lectio habet: *Omnes quidem reuigilemus, sed non omnes immutabimur,* Græci codices legunt: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur,* quasi diceret Apostolus: *Non sumus omnes morituri, omnes tamen transiuri ex hoc statu mortali, ad statum vitæ immortalis.* Tertium eorum argumentum erat, quia credimus Christum venturum ad iudicandum viuos, & mortuos; ergo aliqui sunt viui futuri, quando Christus ad iudicandum adueniet, eosque viuos deprehendet. Hæc opinio fuit Chrylostomi homil. 49. in primam ad Corinthios capite 15. Theodoret, Theophylacti, Epiphanijs libro 2. Tomo 1. Hæresi 64. propositi finem, vbi exponit illud primæ ad Thessalonicenses 4. (Rapiemur cum illis) *Qui rapiuntur, inquit, non moriuntur: Tertulliani item, libro de Resurrectione carnis, capite 42. libro quinto aduersus Marcionem, capite decimo. Hieronymus idem tenet in epistola ad Marcelianum, qua incipit: Magnus nos prouocans questionibus, questione tertia. Auctor Commentariorum nomine Ambrosij 1. Corinthios. 15. ait: omnes resurgemus, qui in aduentu Domini mortui inueniuntur: non omnes immutabuntur, qui in corpore sunt reperi, quia sancti soli beatitudinis gloriam consequentur: Augustinus libro secundo de peccatorum meritis, & remissionibus*

ca. 33. in libro de off. Dulcitij que stionibus questione 3. idemque sensisse Theodorum, Appollinarium, Diodorum scribit Hieronymus in epistola ad Minerium, & Alexandrum; quam sententiam nostris temporibus sequi maluerunt Erasmus, Faber, Caicranus, Isidorus Clarius, in epist. primam ad Corinth. cap. 15.

Secunda opinio fuit aliorum Patrum, eos omnes morituros, tam celeri tamen obitu, ut statim, vitæ redditu Christo Domino venienti sint obuiam processuri: hanc sequitur Augustinus libro 20. de civitate Dei, capite 20. & libro secundo Retractionum capite 34. Auctor etiam Commentariorum in Epistolas B. Pauli, qui Ambrosij nomine prænotantur, in explicatione quarti capitis epistole prioris ad Thessalonicenses, ceteri quoque qui post Augustini tempora scripserunt, Primasius (inquam) Beda, Sedulius, Anselmus 1. ad Corinth. 15. & 1. ad Thessalonicen. 4. Hieronymus itidem in epistola citata ad Minerium, & Alexandrum, refert ita sensisse Didymum, Alexandrum, & Achatium. Eandem sententiam amplexati sunt Scholastici doctores in 4. distinctione 43. Albertus, S. Thomas, Bonaventura, Ricardus, Scotus, Durandus. Probant id quoque multiplice diuinarum litterarum testimonio; primum in inde; statim est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem Iudicium. Deinde, ex illis verbis: In Adam omnes morimur; & alibi; In omnes homines mors pertransiit. Eodem pertinet illud Psalmi: quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem? Paulus quoque prædicto capite 15. prioris ad Corinth. loquens de semine; Non vivificatur, inquit, nisi prius moriatur. Denique in Symbolo Athanasii confitemur omnes resurrecturos in suis corporibus: Resurrectio autem non est nisi eorum, qui per mortem ceciderunt.

In hac veterum Patrum discordia sanè gravi componenda, & concilianda, illud prius observatione dignum existimo, in eo, quem proximè posui loco, primè, inquam, ad Corinth. 15. Tres fuisse lectiones, ut notavit B. Hieronymus in Epistola ad Minerium & Alexandrum. Prima fuit hæc: Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, quam frequenter usurpant latini codices, item Tertullianus, Rufinus in expositione Symboli, Auctor Commentariorum in epistolas B. Pauli, sub Ambrosij nomine, Augustinus atque Fulgentius. Secunda lectio ea erat: Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur: quam lectionem habent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Origenes, Auctor questionum 146. quæ tribuuntur sancto martyri Iustino: Eandem habent biblia quoque Syriaca, & Græci ferè omnes codices. Tertia lectio. Omnes quid em dormiemus, sed non omnes immutabimur: Hac lectione vsi sunt olim Didymus, Alexander, & Achatius teste Hieronymo, eamque modo habent biblia Complutensis, & Pagninus in sua versione. Sed hæc lectio nihil differt à prima, quæ est nostra vulgata latina.

Deinde observandum est, Ambrosium, Catharinum, & Sotum, severos nimis, & acres fuisse censores primæ opinionis, nam Catharinus 1. Cor. 15. non est veritus dicere Græcam lectionem falsam esse, & periculosa, nec posse nisi protervè sustineri. Præterea, Chrysostomum

fuisse deceptum, nec exactius rem considerasse. Sotum vero 4. dist. 45. quest. 2. ar. 4. saltem ait, post Concilium Tridentinum, quod vulgatam latinam editionem approbavit, primam opinionem non carere aliquantula temeritate; quia cum vulgata editione latina minime coherere potest. Catharinus sanè de B. Chrysostomo, tanto videlicet Ecclesie Christi doctore modestius loqui debuerat. Nec prima opinio ceu falsa, & periculosa damnanda est, quam sequuntur tot, ac tanti Patres, quos supra memoravi, & Hieronymus eam, quam retuli superius, ad Minerium, & Alexandrum, epistola, relinquit utranque lectionem lectoris arbitrio, ut eligat, quam maluerit. Auctor quoque libri de Ecclesiasticis dogmatibus in alterutra contineri negat aliquid hæreticum. Augustinus Catholicos esse, inquit, qui hanc vel illam sequuntur, & lib. 2. Retractionum cap. 33. minime retractat, quod ante docuerat secutus primam opinionem, sed rem totam ait diligentius explicandam, & tractandam, Magister etiam neutram est ausus improbare, aut damnare: deum S. Thomas utramque docet esse probabilem.

Postremò est animadvertendum, Græcam lectionem, primo ad Corinth. 15. Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur, si sensus cum vulgata lectione convenire nequeat esse omnino relinquendam: si tamen possit convenire, tunc nec esse respiciendam; neque primam opinionem damnandam: & licet Sotus, & Catharinus putaverint eam non posse coherere: nobis tamen contra videtur, verbis quidem differre, sed non sensu à latina lectione in hunc modum: Non omnes dormiemus, id est, Non omnes moriemur, nam scriptura non raro mortem somnum appellat: Sed nihilominus omnes immutabimur: hoc est, resurgemus; ita tamen ut hæc resurrectio latè sumatur pro eo, quod est de statu vitæ mortalis ad statum immortalem transire siue morte intercedente, siue non inveniende morte. Latina verò editio quæ habet: Non omnes immutabimur, eam immutationem appellat transitum ad vitam cœlestem, & gloriam sempiternam, quæ erit tantum iustorum. Cum autem Græci codices legunt: omnes immutabimur, alio sensu immutationem acceperunt, pro transitu videlicet ex hoc statu mortali ad immortalem, & proinde utraque lectio resurrectionem generalem futuram confiteatur, sed diversa ratione. Nam latina lectio habet, eam esse futuram interveniente morte; Græca verò eam futuram insinuat absque morte omnium generali, sed solo transitu aliquorum à mortali vita ad immortalè, Hinc efficitur, ut sola sit differentia circa mortem, an scilicet sit omnium communis futura, an non: quæ res sita est in opinione. Possunt etiam ambæ lectiones conciliari aliter; ita ut sensus Græcæ lectionis sit: Non omnes dormiemus: quasi dicat. Ij qui vivi reperientur in extremo mundi interitu, quamvis sint morituri, non tamen dormituri, hoc est non tradentur sepultura, nec in ea resoluuntur in cineres, & putredinè, sicut mortui, qui iam pridem dormierunt, sed vel in ardentissima terrarum omnium deflagratione, quæ absumet, & depascet omnè h. sic

mandum

mundum, vel in ipso raptu subito interibant, & rursus breui reuiuifcent, ac refurgent, & uiui rapientur in aera, ut occurrat Domino uenienti. Quare prima opinio nihil habet temeritatis, vel periculi contra fidem: nam si opponas scripturæ testimonia, quibus generatim asseritur omnes morituros. Respondebitur, si quippiam de hominibus scriptura aliquando generaliter tradit, id esse intelligendum iuxta aliud eiusdem scripturæ testimonium, aliquos excipiens: ita ut significet omnes morituros, nisi quos Domino seruari, ac superstites esse placuerit. Et quoniam in priori ad Thessal. 4. Paulus videtur aliquos excipere, idèò probabiliter opinantur, qui eos excipiunt.

Gen. 7. &
2.
Gen. 7.
1. Pet. 3.

At verò longè nobis solidior uideatur esse secunda sententia. Nam difficilè creditu est aliquos superstites, & uiuos futuros post tristem adèd, ac lugubrem totius huius mundi conflagrationem. Quemadmodum enim olim omnes generali aquarum inundatione perierunt: Sic uniuerso deflagrante orbe terrarum, omnes homines ardore flammarum vndique seruentium arrepti consumuntur. Obijcies: sicut olim octo iusti salui euaserunt ex aquis diluuij, ita etiam iusti, qui tunc uiui reperientur erepti saluabuntur ex flammis còmunis orbis incendij. Respondeo, aquis intactos, & incolumes octo homines euasisse: sed Dei beneficio, & munere; at verò à generali terrarum omnium deflagratione, nisi miraculum interueniat, seruabitur nullus. Verùm de miraculo huiusmodi nihil certi habere, nisi diuinando possumus. Deindè obijcies uerba Apostoli: Nos qui uiuimus, qui relinquitur, &c. Respondeo, nequaquam significare Apostolum illis uerbis eos non morituros, sed ut acerbissimo, quo terra defunctos statim ad uitam redituros, ac si mortui non essent, & Domino uenienti paulo post obuiâ processuros: ita ut qui iam præmortui fuerant, ad uitam eo tempore reuocati, eos qui uia cum mundo ardoribus deflagrante peribant, uiuos repturi sint. Et propterea iusti, qui tunc erunt, si quid ex peccatorum sordibus purgandum contraxerint, eo terrarum incèdio, aut breuissima in raptu morte expiabunt. Augustinus, Auctor commentariorum in Pauli epistolâ Ambrosij nomè præ se ferens. Oecumenius, Beda, Anselmus perspicuis uerbis docent eos in ipso raptu citissimè morituros, & statim uitæ redditos, ad immortalè statum transuros. Postremò obijcies, in symbolo profiteri nos credere, uiuos & mortuos iudicandos, ergò non omnes tunc erunt uitæ defuncti. Nonnulli respondent, mortuorum uocabulo intelligi peccatores, & uiuorum nomine iustos: uerum satis improprie. Quare simplicius, & apertius interpretari possumus iudicandos mortuos, eos scilicet, qui ante iudicium mortui fuerant: & uiuos, id est, qui uiui tunc inuenientur tempore iudicij futuri appetente, hoc est, sub Christi Domini ad iudicandum aduentum.

Tertio Queritur, An sicut proximorum parentum peccata, non trāsunt in posteros, quod attinet ad culpam, ita etiam quod pertinet ad poenam? Quætionem hanc pariunt duo scriptu-

rarum testimonia, quæ uidentur secum ipsa pug-nare. Nam Ezechiel 18. propheta planè contendit ostendere, neminem puniri, nisi propter culpam suam; Anima, inquit, quæ peccauerit, ipsa morietur, filium non portabit iniquitatem patris: At uerò Exodi 20. & Deut. 5. dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Quætionem hanc tractauit Augustinus in Enchiridio cap. 46. & 47. at ferè insoluram reliquit: eo tamen magis accedit ut doceat, aliquando puniri filios propter parentum delicta, quod idem multis alijs in locis tradit lib. quæst. super uetus testam. quæst. 24. in Deuter. & 9. 7. super Iosue, & lib. 6. contra Iulian. cap. 4. & super Psal. 84. in uersiculo: Auerte iram tuam à nobis. Psal. 105. uers. 31. Peccauimus cum patribus nostris. Psal. 8. uers. 10. memoriam redate iniquitatibus. Idem sensit etiam Leo episcopus. 86. & desumpsit ad uerbum ex Augustino. Ita Gratianus 24. quæst. 3. §. Quid autem, & c. si habes, & 1. quæst. 4. §. Item peccato, immo id còmunem consensu Theologi tradiderunt. S. Tho. 1. 2. quæst. 81. ar. 1. ad 1. Bonau. 2. d. 23. ar. 3. quæst. 2. Alber. d. 23. Aegid. quæst. 1. ar. 2. Ricar. ar. 1. quæst. 2. Dur. quæst. 3. Argen. quæst. 1. ar. 4. Gabr. quæst. 1. ar. 2. quorum omnium sententia est, filios etiam innocentes aliquando puniri poena corporali, uel temporali propter parentum peccata, non tamen æterna, uel spiritali. Et propterea Ezechielis testimonium explanant, ita ut dicant filios non portaturos peccatum patris, id est, poenam spiritali, uel æternam patri debitam. Exodi uerò locum interpretantur, filios uidelicet aliquando puniri, uel ad tempus, uel poena corporis ob parentum flagitia. Totum hoc hauserunt Theologi ex Augustino 75. Hac tamen conciliatio alijs non admodum placet. Tum quia toto capite Ezechielis 18. sermo prophete est de poena temporali, & corporali: reprehendit enim eo loco Iudæos captiuos in Babilonem abductos à Nabuchodonosore, eo quòd conquererentur de Domino dicentes; Patres nostri comederunt uiam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, quasi dicerent: Nos captiui misera seruitute premimur propter nostrorum parentum crimina; ipsi deliquerunt, nos eorum poenas miseri sustinere, & perferre compellimur. Quibus Propheta respondet eos esse abductos in captiuitatem, & in seruitutem redactos propter sua ipsorum peccata, quæ ibi enumerat, non autem propter suorum parentum crimina. Tum etiam quia testimonium Exod. 20. mani festè loquitur de filijs tertie, & quartæ generationis peccata parentum imitantibus, ut ex ipso literæ contextu, serieque sermonis planum est. Nec aliter B. Gregor. lib. 15. moral. capite 22. Crysolost. hom. 77. in 23. cap. Matthei. August. in quæstionibus super Deuter. quæst. 42. hunc locum exponunt.

In hac igitur controuersia probabile mihi uideatur, si sermo sit de poena proprie sumpta, quæ Deus culpam punit, & vindicat, ex scripturis nos minimè compelli ad asserendum filios innocentes plecti aliqua poena, siue æterna siue temporaria, spiritali siue corporali ob culpam parentum; nec ob solū suorum parentum crimen eos grauius puniri, quam ipsi mereantur hoc. n. ex loco Ezechielis citato colligitur, ubi Propheta ita generaliter ait, ut insinuet unquam

ob culpam suam debitis pœnis affici; & Apostolus ad Gal. 6. generatim quoque docet vnumquemque onus suum portaturum. Verùm in hanc sententiam quædam obijci possunt: Primum, testimonium productum Exod. 20. & Deuter. 5. vbi ob peccata parentum filij dicuntur pœnas luere vsque ad tertiam, & quartam generationem: quod cum allato Ezechielis testimonio videtur pugna- re. Respondeo, sensum eius loci esse: Deum non solum semel, & iterum, sed etiam tertio, & quarto pœnas sumere consueuisse de ijs, qui vsque ad tertiam, & quartam generationem, parentum malos mores imitantur, tanquam diceret, nõ semel, aut iterum, sed etiam sæpius puniam improbos. Vel sensus est, pepercissem vtrique filiorum peccatis, si semel, aut iterum etiam imitati parentes peccassent: sed cum tertio, & quarto parètum scelera suorum imitentur, id est, cum adeo obstinato animo peccent, & eorum peccata sint inueterata, debitas pœnas repetam. Cum itaque parentum peccatum tamdiu perseueret in filijs, vt imitatione, & exemplo vsque ad tertiam, & quartam generationem protèdatur, vltionem meam non amplius differam. Deindè obijcitur: multis exemplis scripturarum constat, filios ob culpas parentum pœnas temporarias pertulisse. Legimus enim Genes. 10. infantes incendio sodomitico perijisse, Genes. 7. infantes vna cum adultis generali aquarum inundatione fuisse submersos, Exod. 9. Aegyptiorum primogeniti (& verosimile est aliquos eorum infantes fuisse) interempri sunt ab Angelo percussente ob peccatum regis, & parentum recusantiu dimittere populũ Dei. Num. 16. tota familia Core, Dathan, & Abiron, ob principum seditionem cõtra Mosen interijt. 1. Reg. 15. ob peccatum Amaleitaru paruuli iussu Dei sunt interfeciti. Iosue 7. ob peccatum Acham imperauit Dominus, vt domus eius etiam cum paruulis tota penitus deleteretur. 2. Reg. 12. cõstat filium Dauidis mortem obijisse propter homicidium, & adulterium patris. 1. Reg. 4. propter peccatum filiorum Heli, victus est populus Dei, magnaque clade affectus à Philisthæis. 2. Reg. 24. ob peccatum regis Dauidis populus peste infectus diminutus est. 3. Reg. 14. Ieroboam ob peccatum suum in familia punitur. Similiter 3. Reg. 16. Baasa rex Israelis, & 2. Reg. 12. Propheta dixit Dauidi: *Non rece- det gladius de domo tua vsque in sempiternum*: Item posterij Achab ob peccatum eius pœnas dederunt. Genes. 9. Cham peccante in patrem suum Noe, maledictus est filius eius Chanaam. 4. Reg. 5. Giezi peccante, lepra eius transmittitur ad posteros. Malach. 1. Odium Dei in Esau transijt ad filios. Matth. 24. ait Dominus Iudæis: *Donec veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram*; & ca. 27. dixerunt Iudæi Pilato; *sanguis eius super nos*, & super filios nostros, Psalmo quoque 108. dicitur; *In memoriam redeat iniquitas patrum eius*.

Verùm ad omnia hæc responderi potest, paruulos aliquando morte perijisse, mors illorum tamen corporalis fuit pœna communis omnium hominum ex peccato originis cõtracta; adultos verò extinctos fuisse, vel communi hominũ morte, si innocentes erant; si nocentes verò, suorum peccatorum pœnas luisse per mortem inflictam. Obijcies, ex allatis exemplis planè deduci sæpius

parentes in suis filijs puniri, immò ipsæ scripturæ ita loquuntur. Respondeo, fontes à Deo aliquando puniri, non solum in seipsis, sed etiã in rebus suis: solet enim Deus greges, & armenta disperdere, fruges absumere, possessiones exurere, vrbes delere, prouincias, & regna vastare propter regum, aut dominorum facinora: nam, eo ipso, quòd res alicui damno, calamitate pereunt, maxima ille tristitia, dolore, & pœna conficitur. Nocentum itaque hominum, atq; improborum res, & bona dissipat, & perdit Deus, vt eorum dominos propter ipsorum flagitia mœrore, & tristitia afficiat: ita etiã aliquando, vt parentes doleant, & contristentur acerbo filiorum interitu, aut alio casu aduerso, & calamitose rapiuntur filij, extinguntur, trucidantur, & mors eorum est communis hominum pœna ex peccato originis contracta, & est quoque parentum pœna ob peccatum suum. Deindè obijcies; Aliquando paruuli, qui è medio tolluntur, sunt à peccato originis mundati, ergò illi nequaquam moriuntur propter peccatum originis. Respondeo, peccati culpam condonari à Deo, nõ tamen remitti omnem pœnam temporariam, sed æternam: hæc enim simul cum culpa aboletur, illa verò durat, ac permanet, vt sit probatio, & exercitatio virtutis, & proindè instrumentum benè merendi. Postremò obijcies, si testimonium Exod. 20. & Deuter. 5. intelligitur de tertia, & quarta generatione eorum, qui parètum peccata imitatur, ergò quid opus erat addere hæc verba, *in tertiam, & quartam generationem*? nam si posterij ex eo, quòd prauum, ac peruersum suorũ parentum exemplum sequuntur, puniuntur, etiam dici poterat, vel etiam debebat, visitans peccata vsque ad ceterisimam, vel millesimam generationem. August. 4. 4. super Deuter. citata respondet, tria, & quatuor efficere numerum septenarium, qui in scripturis sæpè pro multis vsurpatur: & proindè sensum esse: *In tertiam, & quartam generationem*, id est, in multas generationes. Ceterum potest etiam responderi, esse ibi scripturæ phrasim, quæ insinuet non solum semel & iterum, sed tertio, & quarto filios peccates puniri diuinitus; quemadmodum Amos 1. & 2. sæpè repetitur hæc phrasim: *Super tribus sceleribus, & super quartum nõ conuertam eum*; id est, non parciam, nec tamen ijs in locis explicantur tria illa scelera, cum quartum alioqui exprimitur; quare verosimile est esse Hebraicum, vt hoc significetur illis Domini verbis: *Si ter tantum peccassent, ignouissem vtrique; sed cum quater quoque delinquant, nõ parciam, sed vltis scelerum eorum*. In Exodo itaq; aptè, & conuenienter dicitur: *In tertiam, & quartam generationem*: tum quia patres non solent, vt plurimum nisi ad quartam generationem viuere, & proindè vsque ad quartam generationem dolore, ac tristitia affici ex suorum filiorum calamitatibus, & malis: tum etiam quia posterij vsq; ad quartam generationem solent ad peccatũ induci, & moueri prauo parentum suorum exemplo.

Cap. XXXIII.

De peccati originis pœna.

Hoc loco ponamus opor tet, ob primũ Adæ peccatum genus humanum multis pœnis affici, ac puniri, inter quas eæ sunt omnium com-

munes, rerum agendarum ignorantia, bene agendi difficultas, hoc est, ad malum procliuuitas, & ad bonum prosequendum tarditas, Mors corporis, pugna carnis, & mentis. Nam homo si naturæ integritatem, in qua fuerat institutus à Deo, conseruaret, nec mortis subijceretur imperio, nec ullis sensuum vexaretur affectibus.

Primo itaque quaeritur, An paruuli sine baptismo decedentes poenam ignis æternam sustineant? Augustini, de fide ad Petrum cap. 27. serm. 13. & 14. de verbis Apostoli, & 5. libro Hypognosticon tradidit, nullum esse locum medium inter dextram, & sinistram, sed omnes aut à sinistris Christi futuros, aut à dextris in generali Dei iudicio: & eos, qui à dextris erunt, vna cum Angelis ad cælestem hereditatem admittendos; detrudendos verò in ignem æternum, qui à sinistris, vt perpetuis gehennæ supplicijs torqueatur. Eisdem assensit Fulgen. de incarnat. & gratia Christi cap. 14. & 30. Gregor. lib. 9. moral. cap. 16. videtur eidem etiam sententiæ subscripsisse. Ea enim verba Iob explanans, quæ sunt in cap. 9. eius libri: (Multiplicabit vulnera mea etiam sine causa,) ita scribit: *Et hic paruuli ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt, perpetua tormenta percipiunt, qui nec ex propria voluntate peccauerunt.* Ex Theologis scholasticis vnus Gregor. 2. dist. 33. q. 3. huic opinioni maluit accedere; qui idcirco appellari solet tortor puerorum. Driedo. lib. 1. de gratia, & lib. arbit. tract. 3. c. 2. scribit hanc sententiam magis cum scripturis conuenire. Cæterum communi scholasticorum consensu recepta est ea sententiæ, quæ tradit huiusmodi paruulos ab igne minimè cruciari, sed eam tantum poenâ sustinere, quæ vocatur Damni, qua sunt in perpetuū à cælesti patria Beatorum spirituum exclusi. Ita Magis. 2. d. 33. Altfiod. in sum. lib. 2. tract. 27. c. 6. Alexan. p. 2. q. 105. memb. 10. g. i. Alber. in sum. p. 2. tract. 18. q. 113. S. Thom. 2. d. 33. a. 3. q. 1. Aegid. 2. d. 33. q. 2. a. 1. Richar. d. 2. d. 33. artic. 3. q. 1. Henric. quodl. 6. q. 21. Scot. 2. d. 33. q. 1. Durand. Argen. Baffolis, Gob. Maior. 2. d. 33. Marli. 2. q. 19. art. 5. bonauent. 2. d. 33. art. 3. q. 2. & alij: atque hæc opinio est meritò amplectenda, est enim pietati, & rationi magis consentanea, ac tot tantorumq; virorum, quos iam retuli, auctoritate suffulta. Eandem habet expressè Innocentius Tertius in cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectus, vbi ait: *peccati originalis poenam esse carnisam visionis diuine: actualis autem, gehenna perpetuè cruciatum.* Auctor commentariorum Ambrosij nomine ad Rom. 5. in illa verba: *Per vnum hominem, &c. Mors, inquit, qua dicitur gehenna, quam non patimur peccato. Adæ, sed eius occasione proprijs peccatis acquirimus.* & Apocal. 18. 2. ad Corin. h. 5. *Vnusquisque poenam pro sui gestu, & peccatis in corpore: sed paruuli nihil propria voluntate peccauerunt.* Præterea, non videtur diuinam clementiam, & bonitatem decere, vt tam leuiter, & graues poenas de ijs paruulis sumat.

Ad ea verò, quæ ex S. Patribus obijciuntur, Respondet; In primis de Augustini mente certi aliquid colligi nequit. In Eucharid. enim cap. 92. ad Laurentium aperte ait: *Quicumque à perditionis massa non liberatur per mediator em Dominum, resurget quidem, sed vt cum Diabolo puniatur.* Idem cap. 95. in eodem libro trahit misericordiam eorum poenam futuram, qui peccata peccatum originis aliud minimè addiderunt. At ijs in locis docet post mortem non esse lo-

cum medium iudicandorum inter sinistram, & dextram. Sed enim ex his locis, qui certè sunt Augustini, non colligitur aperte paruulos esse igne torquendos: at quia Pelagiani tradebant huiusmodi paruulos ad cælestem patriam, & sedem nec recipiendos, nec condemnandos quidem, sed sacro baptismate eos ablui debere, vt possint in cæleste regnum, & Beatorum spirituum domicilium iditum habere, non vt à peccato, quod nullum contraxerunt, absoluantur, idè passim docuit Augustinus inter dexteram, & sinistram nullum medium locum intercedere; & proinde paruulos decedentes sine baptismo fore damnandos. Et cum ait eos vna cum diabolo puniendos, reuera ignis poenam videtur innuere, sed non clarè, & aperte: hoc enim idè affirmat, vt doceat paruulos esse peccato inquinatos, & propterea tanquam peccatores perpetuam poenam subiuuros. De Fulgentio autem haud ægrè distemur eum in priorem descendisse sententiam: sed eius auctoritati opponimus illam Innocentij Tertij, & Scholasticorum, & Auctoris commentariorum in epistolas Pauli sub Ambrosij nomine. Auctor verò libri de Fide ad Petrum negari non potest, quin fuerit in eadem sententiæ, qua Fulgentius, eum tamen fuisse Augustinum negamus; nam Isidorus, & Honorius eum librum tanquam regulam fidei editam à Fulgentio citant, & ipse auctor initio eius libri, pollicetur se certam fidei regulam traditurum. Auctor item librorum Hypognosticon eidem sententiæ subscripsit, cui Fulgentius: sed is auctor Augustinus minimè censendus est.

Dubitatur quoque, sint necne Augustini sermones de verbis Apostoli. Gregorius verò putamus non aperitis id verbis tradidisse, sed locutum more Augustini, cum ait; ad tormenta paruulos dandos; ac si diceret eos perpetuas poenas perpetuos. Secundo obijcitur Ioc. Matth. 25. vbi in iudicio generali futuro, omnes erunt oves, vel oues; omnes item à sinistris, vel à dextris; ac paruuli nõ erunt à dextris, aut inter oues. Matth. 3. congregatur triticum in horreum, palæ autem igni comburuntur inextinguibili, sed paruulus triticum non est. Luc. 3. *Arbor non faciens fructum bonam in ignem mittitur.* Matth. 22. *Non habent vestem nuptialem in tenebras exteriores deiecitur.* Apocal. 20. *Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in huiusmodi mors non habet potestatem.* At cap. 21. secunda mors dicitur stagni ignis, & sulphuris, & qui nõ est inuictus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Hæc omnibus obiectis respondeo, ijs in locis sermonè haberi de adultis, vt ex ipso literæ contextu facile iudicari potest. Et cū scripturæ scripturis non repugnent, Paulum opponimus dicentem. 2. ad Corin. 5. *Vnusquisque referet propria corpori, prout gestu, sine bono, sine malo.* Tertio obijcitur: Paruuli dum hac vita funguntur, plurimas sensus poenas patiuntur, ergò nihil est mirum, si post obitum perpetuum ignis supplicium perferat. Respondet S. Tho. 2. d. 33. q. 2. a. 1. ad 3. huius vitæ poenas esse ad tempus, alias ve: nõ perpetuas fore. Paruuli autè cum sint in hanc lucem editi, præ scitis vitæ malis, & poenis subijciuntur; at verò diuinæ iustitiæ leges, perpetua gehennæ supplicia, pueris solo originis peccato pollutis, nõ irrogat. In his; Potuerant paruuli Deo id cõsultante, cū in hoc

mundo viuerent, perpetuo igne torqueri. Respondeo, potuisse quidem Deum id efficere, sed peccatum originis tantum poenae, & supplicij minime meretur; & proinde talis cruciatus effect quidem paruulorum malum, sed non poena peccato debita; id igitur mali Deus infligeret secundum alium suae voluntatis ordinem. Quarto opponitur, Paruulorum absque baptismo decedentium corpora expertia omnino erunt eius dotis, quae à Theologis vocatur impassibilitas, ergo multis malis, & poenis erunt exposita, & obiecta. Respondet S. Thomas, eorum quidem paruulorum corpora caritura omni dote, qua beatorum hominum corpora donabuntur; & nihilominus aliena profusa erunt ab omni poena sensus, eò quòd Dei prouidentia impediuntur, arcebuturque cuncta aduersantia, ne vi sua, & potestate, ea corpora exerceant; nec tamen inde licet inferre; id factum iri miraculo diuino: nam ante generale iudicium in miraculum merito refertur, si causa naturales ab eo, quod naturaliter possunt, diuina operatione subtrahat impediuntur, quia permittuntur agere iuxta naturas, & vires sibi ab initio datas: at verò post iudicium res, & naturae operabuntur iuxta postas diuinae iustitiae leges, non iuxta naturalem rerum ordinem institutum.

Secundo quaeritur, An paruuli cum peccato originis hac vita excedentes tristitia afficiantur ex hoc, quòd perpetuo Dei aspectu sint carituri? Duae sunt sententiae, prima est asserentium, eos in mazore, & tristitia futuros, qui eo argumento permouentur, quòd eiusmodi paruuli cognoscet se à regno caelesti exclusos propter peccatum originis ex primo parente contractum; at quotiescunque aliquis nouit se ab insigni aliquo, & eminenti honoris, & dignitatis gradu excessisse, ad quem nisi interclusus sibi aditus fuisset, haud dubie fuisset euectus, in eorum consuecit. Hanc autem animi tristitiam aiunt illi non esse poenam sensus, sed ad poenam damni pertinere, quippe quae non nascitur ex aliquo malo, quod paruulis inferatur, sed hoc ipso quòd illi sunt regno caelesti exclusi, & caeci tristantur, & dolent: quae est poena damni, non sensus ab igne promanans. Sic Abulen. in *Matheum* c. 25. q. 671. Immo opinantur aliqui paruulos post Christum Dominum natos, & absque baptismo decedentes maiorem tristitiam passuros, quam ceteros, qui ante Christum perierunt. Secunda opinio communi consensu Theologorum est recepta, nulla eos tristitia afficiendos. Ita Alristodorenensis, Alexander, S. Thomas, Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, Gabriel, Marfilius, & alij locis supracitatis, quae opinio longe maiorem, quam prima, probabilitatem habet, & ideo illi praeferenda. Nam tristitia est poena, & quidem grauis, & acerba, quae voluntati perperam facienti debetur. Quomodo autem fieri possit, ut paruuli cognoscaut quidem se propter peccatum originis calesse regnum amissile, in quo recipere, si Adamus se in officio continuisset; & tamen nulla inde tristitia, & dolore vexentur, difficile explicatu est. Quidam respondent, paruulos sui status, & conditionis nullam notitiam habituros, quòd S. Thom. non improbat *de malo* q. 5. art. 3. Verum hoc alijs minime probatur: id certè S. Thom. alibi, & Bo-

nauent. *videlicet* 2. d. 33. q. 2. art. 3. refutant. Nec enim simile vero est ignorare paruulos, se peccatum originis contraxisse, & ob id à caelesti hereditate, & regno alienos esse. Obijcies; Nemo potest cognoscere se à regno excidisse caelesti, nisi id noverit, vel ex fide, vel ex notitia supernaturali. Illi respondentes hoc infirmant, & diluunt, quoniam paruuli eiusmodi, in generali iudicio futuri sunt, ergo ex eo saltem tempore fient certiores, vnde exciderint, & quantum boni, & quid iuris perdidissent ob primi parentis peccatum. Alij respondent eos paruulos id quidem simpliciter cognituros, nullam tamen inde tristitiam, nullumque dolorem habituros. Ad id verò quòd est supra obiectum; ex tali notitia tristitiam naturaliter generari: Respondeo eodem modo, quòd dixi paulo ante: Quemadmodum eorum corpora nihil mali accipient à contrarijs aut causis extrinsecus agentibus; alioqui enim eorum vi, & actione possent tandem perire, & esse definiti; sic etiam eiusmodi notitia nihil maioris doloris inferet; quia Deus suam operatione submouebit, & subtrahet, ita ut eorum voluntas nil tristeretur, ac doleat. Ita Marfil. 2. *quest.* 19. art. 5. Nec id propterea miraculo tribuendum erit, quia sicut ceterae causae naturales, tunc temporis non agent secundum consuetum in hac vita naturae ordinem, sed iuxta praescriptas diuinae iustitiae leges: Sic etiam mentis notitia, quae nunc naturaliter solet tristitiam parere, tunc nullum inducet, inferetque maiorem diuinitus impedita. Ita S. Thomas, Bonauentura, Marfilius locis citatis.

Tertio quaeritur, An paruuli cum peccato originis mortui, in generali iudicio sint affuturi? Durandus 2. d. 33. q. 3. id negauit, eò, quòd qui non credit, Ioan. 3. iam iudicatus est. *Medi.* 1. 2. q. 33. a. 4. ad 4. hanc sententiam, ut temerariam cõdemnat, quia *Matth.* 25. dicitur: *Cogregabuntur ante eum omnes gentes.* & *ad Rom.* 14. 2. *Corinth.* 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* & *Apocal.* 5. *Veni, & videbit eum omnis oculus.* Et certè ratio Durandi leuis, & fortis est: alioqui enim impij à Christi Domini fide, & religione alieni, qui in adulta aetate non crediderunt, essent ab ultimo iudicio abfuturi. Aderunt igitur paruuli, non ut eorum peccata discutiantur, sed ut sententia in eos proferatur, qua ob peccatum originis vna cum corporibus resumptis ipsorum animae detrudantur in tenebras.

Quarto quaeritur, An eiusmodi paruuli post generale iudicium sint in hac terra habitaturi, nam ante illud omnes fatentur eorum animas sub terram abditas commorari. Ambrosius Catharinus in *opusculo de statu puerorum absque baptismo decedentium* sensu, in hoc orbe terrarum habituros, & frequenter visitados ab Angelis, & ab his, qui regno caelesti potientur, à quibus saepe consolationem accipient: addit, eos pariter in rerum naturalium scientia, & cognitione magnum facturos profectum. Nimius est in hoc Catharinus. *Bassolis* 2. d. 33. q. 1. a. 3. ait: *De loco vbi erant nescio: Quidam autem, eos in hac terra habituros, in locis amantibus, vna cum societate munda, & iucunda, pulchriori, & delectabili, quam habent quidam peccatores modo.* Sic ille. *Sotus* 4. d. 48. q. 2. ar. 4. ad finem, videtur asserere, huiusmodi sententiam esse temerariam, quia felicitatem aliquam eiusmodi paruulis concedit, cum tamen

S. Tho. Bonauent. Marfil. locis citat.

Augustinus, & alij Patres contra Pelagianos differentes cōmuni cōsensu tradiderint, eos in perpetuum ad imum sub terra locum condemnatum iri. Et certè dist. 4. de consecratione cap. Dominus, ex August. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 23. aperte dicitur eos esse in tenebris futuros: & cap. Ad limina Apostolorum 30. q. 1. habetur eos perpetua morte damnandos. Augustinus libr. 2. contra Pelagianum, & Celestium cap. 18. & 20. & epist. 106. ait eos æterna morte mulctandos, & lib. 1. de origine anime c. 9. & lib. 2. c. 12. & lib. 1. de peccat. merit. c. 25. & in Euchi. c. 93. & auctor etiam Hypognosticon lib. 5. manifestè docet nullum esse tertium locum post generale iudicium futurum, nisi vitam æternam in celo, & mortem perpetuam sub terra; idem docet Prosper de voca. gen. lib. 2. ca. 8. Beda in Ioan. 14. Scholastici Theologi ferè omnes aiunt eos esse sub terra manuros in tenebris, ac loco vili, & abiecto, vicinoque ei, in quo dæmones, & improbi homines ad inferos detrusi sempiterni ignis supplicij cruciantur. Sic Alex. p. 2. q. 105. mem. 10. §. 1. Alber. in sum. p. 2. tract. 18. q. 113. S. Th. 2. d. 33. q. 2. a. 1. Bonau. 2. d. 33. a. 3. q. 1. Marfil. 2. q. 19. a. 5. Gab. 2. d. 33. q. 1. a. 2. conclus. 4.

Quintò queritur, An ijdem paruuli beatitudine aliqua naturali fruuntur? Ambrosius Catharinus opusculo citato scribit, eos eam felicitatem habituros. Lyranus ea verba, quæ in Ecclesiaste cap. 4. habentur enarrans; Et indicauit utroque felicior eum, qui necdum natus est: scribit eos potituros vita iucundior, quàm possit in hoc mundo naturaliter haberi: & hoc, ait ille, dicere omnes Doctores. Richard. 2. d. 33. art. 3. q. 2. affirmat eos habituros bonum, & gaudiū percepturos ex eo, & fortè plus gaudiij de bonis creatis, quàm peccatores habeat in hac vita. Scot. 2. d. 33. q. 1. tanquam probabile censet eos consecuturos rerum omnium naturalium cognitionem longè maiorem, quàm Philosophi habuerint, & proindè aliquantulà beatitudinè naturalem percepturos ex notitià Dei, quæ ex ipsa mundi constitutione naturaliter habebunt. S. Th. 2. d. 33. q. 4. a. 2. & ad 5. tradit eos non parū participaturos de diuina bonitate, & naturalibus perfectionibus, ac subdit, futuros cum Deo cōiunctos quadam bonorum naturalium communione, & proindè gaudiū habituros, quod ex rerum naturalium cognitione, & delectatione percipient. Quod perindè est, ac si dixisset, eos lætitiā percepturos ex mundi ornatu, pulchritudine, varietate. Et Marfil. 2. q. 19. ar. 5. paulò ante finem, ait eos Deum super omnia amaturos, & eum, vt Dominum veneraturos. Hæc Scholastici Doctores. Ex quibus solum licet colligere, eos carituros omni pœna sentus; nō tamen id, quod infert Catharinus, eos felicitate naturali potituros, & in hac terrā victuros, habitaturosque; ita vt post extremum mundi tempus non sint amplius futuri ad ima, & tenebrosa sub terra loca dānati, & detrusi: videtur docere eos tandem ex perpetua damnatione, & pœna liberos euasuros. Ex Augustino constat eos futuros in morte, & damnatione perpetua, & in tenebris sub terra: Sed hæc esse nequeunt cum naturali hominis felicitate. Præterea, beatitudo naturalis naturam requirit, ac postulat rectam, sanam, integram, & puram; at homo peccato corruptus, talem naturam non habet; ergo paruuli cum sint peccato originis obstricti, & infe-

cti, felicitatem naturalem habere non possunt: hæc enim licet Dei gratiam minimè contineat, quatenus præcisè est naturalis hominis felicitas, cum peccato tamen esse nō potest, quod est à recta ratione aberratio, & auersio. Insuper, qui peccato tenetur, hoc ipso miser est, & pœnam meretur, animam itidem habet peccati contagione pollutam, & vita gratiæ nudatam: quæ res nequaquam possunt cum naturali hominis felicitate consistere. Ad extremum, paruulus peccato originis maculatus differt à paruulo, qui absque vilo peccato nasceretur: at in nulla alia re potest distingui, nisi quod hic prorsus est innocens, & proindè nulli pœnæ obnoxius, & qui possit Dei beneficio, & munere naturalem hominis felicitatem adipisci, cuius est capax: ille verò est peccator, miser, pœnæ addictus, & subiectus, & propterea naturalis beatitudinis expers. ROGABITIS, an huiusmodi paruuli rerum omnium naturalium, quæ naturæ lumine percipi queunt, noticiam sine comparaturi, habituri? Respondeo, non multum referre, alterum horum dicamus: illud solum mihi certò dici posse videtur, eos naturali hominis beatitudine carituros; quæ sicut intellectum naturaliter perfectum deposcit, ita & voluntatè rectam, ac benè affectam; at peccatoris voluntas talis nō est, quanquam intellectus possit esse naturali rerum cognitione perfectus: nam & dæmones sunt omni rerum naturalium noticiā præditi, cum tamen miserissimi sint, infelicitissimi, & peccatorum ac malorū plenissimi. DEINDE QVAERES, an ij paruuli sint habituri appetitum sensus rationi obfistentem, quem Theologi peccati fomitem appellant? Quidam censent in eis pugnam sensus, & mentis futuram, has ob causas. Primum, quia ea est peccati originis effectus, & pœna; deindè, quia nec dirimitur, componitur, nec tollitur, nisi Dei beneficio, & munere. Secundò, quia ea pugna licet in paruulis sit habitus, & proindè quasi sopita; postea tamen in adultis est actus, & quasi ardens flāma; vnde aiunt, in eis futuros esse motus, & actus contra rationem, & proindè malos, sed pœnis denuò non imputandos: post mortem enim licet quis benè, aut malè agat, præmijs tamè, aut pœnis denuò nō afficitur. Verum communis est Theologorum sententia, in eis non esse futuram huiusmodi pugnam, & luctam. Quare respondeo, post obitum eos, quos dixi, paruulos non amplius peccaturos, & propterea est eorum appetitus, & sensus non erit rationi perfectè subiectus; hoc enim ex vi, & cōstitutione naturæ esse non potest, nihilominus tamen motus contra rationem vitiosos, & prauos, qui sint in culpa propria voluntate contracta, minimè pariet, elicietibus, Deo generali operationem suam rebus cum quibus conuenientem aliqui subtrahente: & proindè tales paruuli, motibus appetitus contra rationem obrepentibus, aut prorsus carebunt, aut certè assensum suum minimè accommodabunt. Lignum enim (ait Salomon in Ecclesiaste) si ceciderit ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Et voluntas talis post obitum permanet, qualis ex vita decessit.

Quintò queritur, An peccatorum originis sit peccatorum minimum? S. Th. in 2. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 1. aperte docet esse minus veniali delicto, & propte-

rea esse

Est mo-
di diffin-
itio Mar-
t. 19. a. 5.
ad 4.

rea esse peccatorum minimum. Quia peccatum, inquit, originis est minus voluntarium, quam veniale, quod propria voluntate committitur. Capreolus distinguit, & ait, peccatum originis ratione pœnæ, & effectus esse multo grauius, quam veniale, quia gratia, & charitate diuina hominẽ denudat, & priuat, eumque alienat, & auertit à Deo, ac perpetuis mancipat pœnis: quibus malis sanè ingentibus peccatum veniale prorsus est liberum, & immune. Si peccatum verò, vt voluntariũ sumatur, veniale, inquit, est grauius, quam peccatum originis, quia est magis voluntarium. Sed questio est absolutè, & simpliciter, vtrum eorum grauius, & deterius sit, peccatum ne originis an veniale? Respondeo, grauius esse peccatum originis, quia gratiam tollit, & animam mortem, & interitum affert, & hominem dissiugit, & separat à Deo. Si R O G E S an omnium paruulorum cum peccato originis decedentium sit æqualis pœna futura? Respondeo, quosdam sensisse minimè æqualem futuram, sed maiorem minoremque, prout facilius, aut difficilius ab eo peccato liberari poterat; & proindè maiorem pœnam futuram puerorum post Christi Euagelium absque sacra, & saluari baptismatis aqua morientium, quam eorum, qui ante Christum cum peccato originis perierunt; quia illi facilius, quam hi potuerunt ab omni peccati contagione purgari. Sed commune est omnium sententia, & vera, omnium huiusmodi paruulorum æqualem esse pœnam futuram. Ratio est, quia peccatum est vnum, & omnibus commune; ergò pœna pariter æqualis, nec maior, minorue. Mar. 2. q. 19. a. 5. Almai. tract. 3. moral. c. 29.

Cap. XXXIIII

Quomodo peccatum originis deleatur.

INTER Hæreticos nostri sæculi quidam errores versantur, quos oportet cognitos habere, vt eos tanquam scopulos diuitemus.

Primus error Lutherianorum est dicentium; in renatis per baptismum non tolli peccatum originis, sed solum per Christum fieri, vt non amplius desinetur, deputeturue ad culpam, & pœnam æternam.

Secundus error est, Baptismate nequaquã deleri peccatum originis, sed radi, hoc est, minui, & remitti ex parte; ita vt incipiat in hac vita extinguì, & auferri, nunquam tamè omni ex parte, nisi in futura eue lli, ac tolli. Duo isti errores eo vnicò fundamento sanè debili nituntur: quòd in renatis manent cupiditates, & motus carnis contra rationem, hoc est, motus appetitus animalis, qui rationem sæpè præcurrunt, & aliquando perturbant. Sed ex scripturis, inquit, præsertim ex Paulo, & ex Patribus, maximè Augustino perspicuè didicimus concupiscentiam, & motus carnis contra rationem esse peccata. Præterea, Augustinus contra Pelagianos ait: Peccatum deleri, nihil aliud esse, quam, non imputari ad culpam: immò ipse scripturæ eodem modo loquuntur. Nam Augustin. lib. 1. de nupti. & concup. cap. 25. ait: peccatum quidem in baptismo remitti, non vt nõ sit, sed vt in peccatum non imputetur, & in Psalm. 31. legitur, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Ad hæc, Augustinus similiter docet peccatum origi-

nis nõ omninò tolli, nec aboleri, ita vt nunquam simus absque peccato. Nunquam enim Augustinus ait, in hac vita illud præceptum implemus, Non concupisces, sed ex parte nunc in hoc sæculo, & post in futuro perfectè exequemur. Istiusmodi errores Concilium Tridentinum sessione sexta de peccato originis tali decreto damnauit: Si quis per gratiam, que in Baptismo conferitur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantummodo radi, aut nõ imputari, anathema sit. Hæc concilium: & August. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 25. non dixit; peccatum remitti, non vt non sit; sed vt non imputetur ad peccatum: Sed solum ait, concupiscentiam remitti in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur ad peccatum. Ac licet scripturæ aliquando dicant, non imputari peccatum; frequenter tamen etiam aiunt, tolli, deleri, remitti, seu dimitti. Paulus præterea 1. Cor. 6. Renatos in Christo appellat mundatos, sanctificatos, ablutos, illuminatos, dilectos, & caros Deo. Nec non Augustinus perspicuis verbis contra Iulianũ lib. 6. ca. 7. docet peccatum originis omninò tolli, & deleri; ergò non raditur. Sic enim ibi dicit; Percipitur in baptismo Christiano perfecta nonitas, & perfectio sanitas ab eis malis omnibus, quibus eramus rei, non autem ab eis, cum quibus confingendum est, ne simus rei. Hæc ille: & quòd in lib. de perfecti. iustitia, responsione 11. docet, nõquam nos esse absque peccato, quia nunquã in hac vita seruamus, & implemus duo illa præcepta legis, diliges Deum ex toto corde tuo, &c. Non concupisces, intelligit, nõ quòd per gratiam Dei peccatum non perfectè remittatur, sed quòd semper manemus in malis, cum quibus est confingendum, nempe concupiscentijs.

Tertius est error Calvinistarum, asserentium per Baptismum in paruulis nõ tolli, quoniam ab eo mundantur hoc ipso solum, quòd à pijs, & fidelibus parentibus progredientur, aut ex hoc, quòd sint singulari Dei beneficio ad caeleste regnum prædestinati; & proindè eorum baptismum non esse remedium ad peccatum originis delendum; conferri tamen ob id, quòd sit Christi Domini præceptum, vt paruulis quoque ministraretur. Purant enim isti filios parentum fidelium iam indè à mundo condito, à peccato originis mundari solum ex hoc, quòd Deus eos peccatores non habet, quia ex fidelibus parentibus oriuntur. Quod probare contendunt ex capite 17. Geneleos, vbi fœdus percussit Deus cum Abrahamo dicens: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Deindè ex Paulo 1. Corinth. 7. vbi inquit: Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Postremò, quia nemo dat, quòd non habet: sed parentes fideles sunt à peccato originis mundati; ergò illud non transmittunt in filios. Contra istos decernit Tridentina Synodus; Si quis negat paruulos baptizandos, etiamsi fuerint à parentibus fidelibus orti, anathema sit. Eisdem illud manifestè conuincit, & iugulat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Ad obiectiones verò Calvinianas respondeo. Ad primam quidem, quæ sumpta est ex Geneleos 17 capite; Ero Deus tuus, & quæ sequuntur, sententiã in eo loco scripturæ esse: Faciam, vt te mortuo posterit tui me colant tanquam verum Deum, & eos

Matth. 28

Ioan. 3.

ego protegam singulari meæ providentiæ beneficio. Ad illud Pauli: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & reliq. Dicimus, ijs verbis docere Apostolum non esse matrimonium dissolutum, eo quod vno coniuge ad Christi fidem, & religionem conuerso, alter in sua impietate persisteret absque vlla in Christum Dominum iniuria; non enim vinculum coniugale ante cõtractum dispar religionis cultus dirimebat: hoc est vno ex coniugibus ad Christi fidem venienti, non dissoluebatur coniugium, si coniux infidelis, & impius volebat absque omni in Christum iniuria, cum pio, & fidei coniuge viuere. c. *gaudemus de diuor.* & Theologi cum Magistro. 4. d. 39. nec est alia profectò Pauli mens, atque sententia eo in loco. Tunc enim apud quosdam Corinthios erat scrupulus, existimãtes matrimonij vinculum solui religionis diuersitate, vno videlicet coniugum ad Christum conuerso, & altero infideli manente. Quorum errorem corrigens Apostolus scribit non dirimi tale coniugium; ac idèõ subdit hæc verba: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, quasi diceret; Ad vsum, habitatione, & congressum coniugalem: quia vxoris infidelitas vinculum matrimonij non tollit. addiditque, Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, vult dicere, Verè sancti sunt, ex legitimo matrimonio nati, nõ autem immundi, quasi non legitime suscepti. Hic est germanus, & verus Pauli sensus, quem habent Chrysostramus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus, Ambrosius, S. Thomas, & ex antecedentibus, & consequentibus facile eruitur. Licet non ignorem ea verba Apostoli in alium sensum accipi à Teutullia. lib. 2. ad vxorem. Hieron. lib. 2. contra Iovinianum. & epist. 153. Augustin. lib. 2. de peccato. meriti. & remissionibus. cap. 26.*

Quartus error est quorundam arbitrantium, paruulos sine baptisinate decedentes, post generale iudicium singulari Dei beneficio esse à peccato mundandos, & in cælestem patriam recipiendos. Quem errorem manifestè arguit illud Christi Domini ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Portò inter Catholicos sunt aliquot sententiæ, aut omninò falsæ, aut minus saltem probabiles.

Prima est Caiet. 3. p. q. 68. art. 2. asserentis paruulis natis, quibus Baptisma conferri non potest, sufficere, vt salui sint, si signo Crucis, & inuocatione Trinitatis muniantur: quam sententiã Sotus in 4. d. 5. q. 5. art. 2. meritò conuellit. Nam eiusmodi paruuli, aut certò, & definitè salutem æternam consequentur, aut solùm ex pietate, & liberalitate Dei. Primum dici nõ potest, quia pugnat cum eo, quod Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Secundum quoque dici nequit: quia de Dei pietate, & liberalitate nihil certi diuinare possumus in ijs, quæ sunt ad vitam sempiternam necessaria, nisi innitiamur scripturis, traditione, vel decretis Ecclesiæ, aut Patrum testimonijs, aut saltem certa, & firma ratione.

Secunda sententia est eiusdem Caietani affirmantis idem de infantibus, qui in vtero matrum concludi, si vita periclitentur; salui, inquit, erunt si nomine Trinitatis inuocato, & signo Crucis muniti deesse-

rint. Quam etiam sententiã, vt temerariã refellit Sorus loco citato, eam tamen aliquos habuisse, testatur Richard. 4. d. 1. a. 5. q. 3.

Tertia est sententiã Magist. in 4. dist. 1. vbi inquit: *olim in Circumcisione delebatur peccatum originis; sed gratia adoptionis minime conferrebat.* Quæ sententia communi Scholasticorum consensu refutatur, & meritò, quia priuatio non tollitur, nisi per formam contrariã. Magistrum sequuta est glossa in e. *quod autem, de conse. d. 4.*

Quarta sententia est asserentium: In Circumcisione, nec gratiam conferri, nec peccatum originis deleri: quia Circumcisio erat tantummodo signum externum, quo Iudæi à gentibus distinguebantur. Quod probare se putant ex Paulo, qui eam appellat signaculum fidei, & iustitiæ acceptæ: tum etiam ex Patribus, qui videntur innuere, eam esse diuinitus institutam ad populum Dei distinguendum à Gentibus. Sed enim hæc opinio nequaquam est recipienda: pugnat enim cum tota Theologorũ schola, & cum Augustino, Gregorio, & Beda, qui planis, ac perspicuis verbis tradiderunt, Circumcisione olim à peccato mundatos paruulos. Magist. & Theologi 4. d. 1. August. lib. 2. de nupt. cap. 11. ex quo insinuata est Circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat paruulis originis veteris que peccati, sicut & baptisimus ex illo valere cepit ad inuocacionem hominis, ex quo insinuatus est. & Greg. lib. 4. mor. ca. 2. & habetur de conse. d. 4. c. quod autem. *quod autem apud nos valeat aqua baptisimatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahâ si serpe proderunt, mysterium Circumcisionis.* Beda in Luc. 2. idem saluiferæ curationis auxilium Circumcisio in lege contra originis peccati vniuersum agebat, quod baptisimus agere reuelare gratiæ tempore consuevit, excepto, quod cælestis regni ianuam mundum iurare poterant Circumcisi ante Euangelicam legem. Nec non & Innocentius Tertius in c. *Maiores de Baptismo,* & eius effectus, culpa, inquit, originis per Circumcisionem mysticum delebatur: quasi dicat; Tollebatur per Circumcisionem, tanquam per mysticum rerum futurarum signũ. Et quamuis inter Theologos duæ sint sententiæ; vna, quæ affirmat Circumcisionem vim habuisse ex institutione diuina tollendi peccatum: altera quæ tribuit eam vim fidei in Christum venturũ, quam explicite, vel implicite profitebantur ijs, qui Circumcidebantur in adultæ tate, vel ijs, qui paruulos Circumcidebant: omnes tamen conueniunt in eo, vt dicant fuisse saltem signũ diuinitus institutũ, quo ministri Circumcisionis, siquẽ Christi venturi profitebantur expressè, vel tacitè, qua fide, & Christi meritis graua cum Circumcisi suscipiebãt, & à peccato originis purgabãtur.

Quinta est sententia aliorum quorundam dicentium, ante tempora scripturæ legis nullum fuisse à Deo institutum remedium, quo peccatum originis paruulis remitteretur, & eos toto eotempore fuisse omni remedio ad id peccati delendum planè destitutos. Quæ similiter opinio nullo modo mihi videtur probabilis; primò, quoniam aduerfatur Aug. lib. 5. contra Iulian. c. 9. vbi ait. *Nec idèõ tam credendum est, & ante datam Circumcisionem sanctorum Dei, quando quidem eis inerat mediatoris fides in carne veniunt, nullo Sacramento eius opimatos fuisse paruulos sanctorum, quoniam quid illud ejet, aliqua necessaria causa scripturæ*

latere voluerit: nam & sacrificia eorum legimus, quibus
 utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mun-
 di. Apertius etiam legis tam tempore nascentibus parvulis
 offerbantur sacrificia pro peccatis. Hæc Augustinus. S.
 Thom. p. 3. q. 70. ar. 4. ad 2. ait, probabile est, quod paren-
 tes fileles pro parvulis natis, & maxime in periculo existen-
 tibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictio-
 nem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei,
 sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant: sic il-
 le. Secundo, quia cum omnium Theologorum
 sententia apertè pugnat. Terriò etiam, quia nul-
 la auctoritate, aut ratione comprobatur: & cer-
 tè verisimile nõ est, tanto tempore, diuinam pro-
 videntiam tam humanæ salutis amantem, par-
 vulis subsidium ad vitam æternam necessarium
 denegasse. Erat igitur Sacramentum, quo parvu-
 li à peccato originis mundabantur: sed quodnam
 fuerit, & an vnum certum, & definitum fuerit,
 ignoramus, vt dixit Augustinus. Obijcies, nihil
 constare de remedio ad peccatum originis delé-
 dum, ante legem Circumcisionis. Item, toto eo
 tempore homines lege tantummodo naturali re-
 gebantur, & gubernabantur, ergò nullum erat
 Sacramentum externum, hoc enim non potest,
 nisi lege diuina constitui. Respondeo, id tempo-
 ris quidem non legimus fuisse ex lege diuina ali-
 quod certum, & definitum signum externum; sed
 fuit, & Deus pro sua benignitate, quibus voluit,
 gratis, & liberaliter parètibz patefecit, signum
 fidei, & religionis Sacramentum, quo infantes
 munirent, vt eos à peccato originis mundarent.
 At oppones, indè cõcludi, post Christum natum,
 aditum in cælum difficiliorem esse redditum, &
 deterioris cõditionis nunc pueros esse: Siquidem
 ante Circumcisionem institutam, salui esse pote-
 rant his illisq; symbolis adhibitis, cum tamen
 nunc non nisi baptisinate suscepro possint. Respõ-
 deo, non esse viam salutis factam difficiliorem
 parvulis, quia tunc erat etiam certa lex diuinitus
 lata, de remedio salutis parvulorum, sed nõ scri-
 pto, at per traditionem à Majoribus accepta, &
 quibus volebat Deus, eam viam, & rationem delé-
 di peccati patefaciebat: erat igitur medium
 salutis, quod è traditione Maiorum, non è certa
 scripta lege hominibus innotuit. At verò nunc
 instituta est lex certa, & in terrarũ orbe promul-
 gata; quod verò non omnes eam norint, id ex ac-
 cidenti est: præsertim cum Deus possit etiam in-
 terius, quibus ipse voluerit, inspirare, & patefa-
 cere baptisimum esse necessarium ad salutem. Pa-
 ri ratione post legem Circumcisionis latam, re-
 medium cõtra peccatum originis in feminis par-
 vulis, & in masculis infantibus ante octauum di-
 em, certum & definitum ex scripta lege, nullum
 erat: parvuli enim ante octauum diem circunci-
 di non poterant; quare siue mares, siue foemine
 salui fiebant eo symbolo fidei, & iustitiæ, de quo
 parentes, vel traditione Maiorum, vel Dei instin-
 ctu, & afflatu facti erant certiores.

Sexta opinio est aliquorum purantium, tem-
 pore ante circumcisionem institutam, parvulos
 à peccato originis mundari solitos ex eo solum,
 quod piorum parentum filij essent, & ex pijs pa-
 rentibus nascerentur: hoc enim erat fide paren-
 tum saluos fieri. Communi tamen doctrinæ
 Scholasticorum repugnat, qui docent fide pa-

rentum parvulos saluari, quatenus ea fides ali-
 quo actu externo referebatur, & dirigebatur in
 parvulos.

Septima sententiã fuit aliquorum, qui docue-
 runt, ante Circumcisionis legem infantes à pecca-
 to originis purgari sola interiori parentum fide,
 nullo signo exteriori adhibito, quod probat; quia
 Gregorius libr. 4. mora. capit. 2. apertè scripsit, tunc
 temporis adultos Sacramentis, vel sacrificijs à
 peccato mundari, parvulos verò sola parentum
 fide, sic Sot. 4. dist. 2. quest. 1. artic. 4. S. Thom. 4. dist. 1.
 quest. 2. art. 3. ad 2. Richard. 4. dist. 1. art. 5. quest. 3. Ma-
 gist. 4. dist. 1. At communior est inter Theologos
 Scholasticos opinio, non sola fide interiori pa-
 rentum parvulos à peccato liberatos fuisse; sed
 aliquo etiam Symbolo externo accedente, quo
 parètes suam fidem profitebantur exterius. Cum
 autem Gregorius ait, sola fide, minimè excludit
 symbolum exteriori; sed quod de adultis antea
 dixerat, nimirum sacramenta, & sacrificia. Si-
 gnum enim, quod exterius assumebatur, non qua-
 tenus sacramentum virtute sua; sed quatenus fi-
 dei symbolũ & signum erat, peccatum originale
 delebat. Sic Alexand. part. 4. q. 2. m. 5. art. 1. Scot. 4. d.
 1. q. 7. Dur. 4. d. 1. q. 8. Palud. 4. d. 1. q. 5. art. 5. Gab. 4. d. 1.
 q. 2. ar. 3. Mai. 4. d. 1. q. 4. s. contra. 1. cons. l. ystone.

Octaua sententiã est aliorũ aientium, parvulis
 per baptisimum, gratiam, & virtutes minimè in-
 fundi; tolli tamen peccatum originis; aut enim
 isti, virtutes esse habitus ad operandum infusos,
 & idèò infantibus non conferri, cum adhuc per
 ætatem operari nequeant; concedi tamen gratiã,
 per quam, à peccato originis mundentur. Quæ
 sententiã, vt dubia, inter Theologos relicta est in
 Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, vt
 constat ex ca. Maiores, de baptisimo, & eius effectu. Postea
 verò in Concilio Viennensi sub Clemente Quin-
 to, vt habetur in Clementina Fidei Catholice, de summa
 Trinitate, & Fide Catholica, tanquam probabilior, &
 dictis Sanctorum magis consentanea recepta est
 opinio, quæ affirmat, parvulis in Baptisinate in-
 fundi gratiam, & virtutes. Tandem in Concilio
 Tridentino sess. 6. can. 10. decretum esse, multi do-
 cent gratiam, & virtutes infundi. Si quis, inquit,
 dixerit hominem iustificari per solam imputationem iusti-
 tiæ, vel per solam peccatorum remissionem exclusã gratiã,
 & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum
 infundatur, & quæ illis inhereat, anathema sit. Sed par-
 vulis non infunditur charitatis actus, ergò habi-
 tus qui est virtus ad agendum: quam virtutem,
 non puto, eos Theologos (de quibus fit mentio
 in Concilio Lateranensi, & Viennensi) infundi
 negasse, quia fatebantur gratiam conferri. Exi-
 stimabant autem gratiam, & charitatem esse eun-
 dem habitum. Solum igitur distinebantur infun-
 di virtutes morales, & Fidem, & Spem, de quibus
 in parvulis, nihil Concilium Tridentinum defi-
 niuit, quamuis vt testatur S. Thom. part. 3. quest. 69.
 ar. 6. falsum omnino sit, parvulos per baptisimum
 non consequi gratiam, & virtutes. Sic quidam
 philosophantur. Sed meo iudicio hoc post Con-
 cil. Trident. teneri non potest, quia leis. 6. cap. 7.
 ait. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum,
 hæc omnia simul infusa accipiuntur per Iesum Christum,
 cui inseritur, fides, spes, & Charitatem. Vera tandem
 sententiã hæc est, per Baptisimã, parvulis gratiam,

& charitatem, fidem, & spem infundi, & per gratiam, & charitatem proximè eos à peccato originis mundari. Potest etiam peccatum originis in adultis vnà cum lethali deleri, vel per Baptismū, vel interdum etiam per cordis poenitentiam, vel per martyrium, aut verum, & feruentem charitatis actum cum voto explicito, vel implicito baptismaris, vt colligitur ex S. Thom. *part. 3. quest. 69. art. 4. ad 2.*

Secundò quæritur, An potestate Dei absoluta possit peccatum originis tolli sine gratia, & quocunque alio dono infuso, quod nobis inhæreat? De hac cōtrouersia, quoniam septimo libro tractabo idem in præsentia nihil dicam, ne idem bis disputem.

Tertiò quæritur, Quomodo Beatissima Virgo fuerit à peccato originis seruata, ne vnquam caderet? In hac quæstione illud minimè explicare conabor, fuerit ne illa absque originis labe concepta, cum hæc res ad præsentem locum minis facere videatur: Sed hoc vno posito, eam fuisse citra peccatum originale conceptam, modum, & rationem inquiram, qua id factum sit: nam quæstionem mouet, quòd repugnantia quædam appareat in eo, quod fuerit sine huiusmodi peccato concepta: hæc nempè: Nam primo temporis momento, quo est concepta, erat filia Adæ communi generatione propagata: ita vt prius naturæ ordine fuerit Adæ filia, nimirum natura ab Adamo suscepta, ergò eo temporis puncto peccatum contraxit, quoniam eo temporis articulo erat per naturam Adæ filia, & ex natura gratiam vtique non habebat, ergò erat gratia priuata, ac proinde cum peccato concepta. Quidam eam seruata esse à peccato quominus illud contraheret, contendunt in hunc modum: Animam eius aetate infunderetur in corpus, fuisse à Deo creatam vnà cum gratia, & sanctitate: quod fundamentum certè nequit omnino consistere. Quippè cuiuslibet hominis anima, eodem temporis puncto quo creatur, in corpus infunditur; nec enim prius creatur, quam infundatur. Secundò, alij volunt esse seruata B. Virginem hoc modo: aiunt enim carnem eius mundatam fuisse ab omni peccati originalis labe, ac macula, antequam in eam infunderetur anima, & proinde animam in eius corpus infusam, nulla carnis contagione pollutam fuisse. Tertiò, alij dicunt carnem eius in parentibus suis fuisse purgatam ab omni peccati corruptione, priusquam in matris utero conciperetur. Sed horum fundamentum innititur illi sententiæ, quæ ponit morbidam qualitatem tum in carne, tum in anima, ex peccato Adæ deriuatam in posteros, quam ex communi Theologorū consensu iam supra reieci. Quartò opinantur alij, sic eam fuisse absque peccato conceptam, quia, quando peccauit Adamus, & in illo pariter nos omnes, Deus singulari beneficio prouidit, ne Beatissima Virgo in illo peccaret. Sed nec fundamentum hoc satis firmum, & solidum est, quia in Adamo non peccauimus actū, & voluntate propria, cum nati nondum essemus; sed voluntate capitis, & originis, in quo capite omnes posteri cōtinebantur. Deinde, quia in eo suscepimus quidem peccatum; sed tanquam in semine, causa, &

origine: postea verò cum concipimur communi generatione ab Adamo procreati, singuli proprium peccatum contrahimus: ac proinde tunc cum quis communi lege concipitur, aut diuino munere & beneficio seruatur, ne in peccatum incurrat, aut secus, non antea. Catharinus, & quidam alij senserunt Sanctiss. Virg. in Adamo non peccasse, quia tunc, quum ille peccauit, ea est ab eo peccato singulari Dei munere seruata, ne caderet. Quam sententiam, quatenus docet Virginem in Adamo non peccasse, alij vt temerariam rejiciunt, nam si minimè in Adamo peccauit, non indiguit redemptione facta per Christum, quod cum scripturis non conuenit: nam teste Paulo, *scilicet in Adam omnes mortuuntur; ita omnes in Christo uiuantur*: Item, Christus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui erant in Adamo. Deinde, sacra Virgo ex Adamo poenam mortis corporalis suscepit, ac traxit; ergò in eo etiam peccauit: nam si ab eo poenam peccati traxit, consequitur, vt in eo peccauerit, cum mors Adæ peccatum, vt causam, & originem consequatur. Dicere fortassis Catharinus uoluit, in Adamo Deiparam non peccasse, quia tunc singulari Christi venturi merito seruata est, ne cum Adamo cadente decideret aliqui casura, cum esset ex eo communi lege propaganda: nam Deus cum primum hominem procreauit, ea lege, & pacto, teste Catharino, cum iusticia, & gratia condidit, vt si peccasset, eam sibi ac posteris amisset, alioqui sibi, & posteris retinisset: tunc ab ea lege, quod ad peccatum spectat, Sanctissimam Virginem excepit, ne in Adamo peccante peccaret: & quamuis in eo non peccauerit, quia tamen erat aliqui peccatura, nisi seruaretur diuinitus, & ab ea lege eximeretur; idè est verè redempta per Christum, cuius meritis est diuinitus ab ea lege excepta, & seruata à casu, & ruina peccati: & pro ea mortuus est Christus, vt seruaretur, ne caderet: & quia erat aliqui cum Adamo ruitura, idè corporis mortem ab eo traxit, quoniam est quidem à peccato, diuino beneficio seruata, sed non ab omni peccati poena. Nihil video, quod nos id asserere, & cum Catharino sentire cogat. Caietanus Apostoli uerba; *Omnes in Adam peccauerunt*, sic intelligit, non quòd omnes ab eo peccatum traxerint, sed quòd necessitatem incurrendi in peccatum susceperint: ac proinde ex Apostolo non habemus Deiparam ex Adamo peccatum traxisse, sed necessitatem trahendi peccatum. Alij quoque hanc Caietani sententiam, vt temerariam confutant: nam alioqui certa fide non crederetur hunc, aut alium ex Adamo peccatum traxisse, si tantum Apostolus significare uult omnes ex eo necessitatem contrahendi peccatum suscepisse, non peccatum traxisse. Fortassis uoluit Caietanus asserere, sententiam Apostoli fuisse, omnes ex Adamo peccatum originis trahere, nisi qui singulari Dei priuilegio seruatur: is enim non peccatum, sed necessitatem incidendi in peccatum trahit, hoc autem priuilegium non habet nisi is, cui tale beneficium esse concessum, Patrum auctoritas, vel Ecclesiæ testimonium probauerit. Quare uera sententia est, quam explicat Gabr. 2. d. 30. *quest. 1. artic. 2. conclus. 1.* eam esse seruata à peccato originis, quia in ipso primo tem-

poris momento, quo est concepta, fuit vna cum gratia, & sanctitate: gratia autem simul cum peccato originis esse non potest, nullum igitur temporis punctum intercessit, quo Beatissima Virgo fuerit sine gratia, iustitia, & sanctitate. Obijcies, eo temporis momento erat naturalis filia Adæ, ergo peccato infecta. Respondeo, futura erat proculdubio vna cum peccato, nisi Dei gratia, & sanctitate repletur. Deinde oppones; Prius ordine naturæ, & generationis traxit ex Adamo naturam, & ex naturæ conditione gratiam non habebat, ergo suscepit naturam gratia denudatam. Respondeo, negari non posse, quin natura humana prius ordine generationis existeret, quam gratiam suscipiat, aut habeat; sed in eo temporis momento non habet, nisi quæ ipsi naturaliter conueniunt, & proinde nec gratiam habet ex se, nec peccatum, sed solum naturæ dotes, vires, facultates, & conditiones; alioqui enim gratia esset, aut peccatum ex natura. Cum deinde concluditur, ergo tunc erat B. Virgo gratia priuata; id nego, quia ea ratione natura humana suscepta, licet ex se sine gratia sit, priuata tamen gratia non est; quoniam natura sicut ex se gratiam non habet, ita nec eam ex se habere debet. Et cum obijcitur, Erat filia Adæ, ergo gratia priuata, quam habere deberet. Respondeo, solum inde colligi, ex vi conceptionis fore eam peccatum originis contracturam, nisi seruetur per acceptam à Deo gratiam, & sanctitatem. Et proinde differt Beatissima Virgo ab eo, qui à solo Deo creatur: hic enim homo ex vi, & conditione, qua incipit esse in rerum natura, peccatum contrahere non potest; quod quidem peccatum haud dubie Virgo suscepisset, nisi gratia præueniens obtulisset. Item obijcies, cum Apostolo dicente: *In Adam omnes peccauerunt.* Respondeo, omnes homines ex vi conceptionis peccatum originis contrahere, nisi diuinitus seruentur. Vnde omnes peccauerunt, quia omnes ex eo suscipiunt, & trahunt peccatum, vel saltem ipsa generatione communi contraherent, nisi essent diuina gratia, & charitate donati. Demum oppones; Quoniam igitur modo Beatissima Virgo fuit redempta per Christum, si expers, & immunis peccati originis fuit? Respondeo illam indignissime redemptione, quia contractura omnino erat hoc peccatum; at fuisse liberaliter redemptam eximio Christi Domini beneficio, quia fuit singulari Dei gratia, & charitate exornata, antequam peccatum originale contraheret. Ac de hac quidem questione hæc dicta sufficiant.

(.)



IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESU, INSTITUTE NVM MORALIVM, LIBER V. DE LEGIBVS ET CONSTITUTIONIBVS.

LEGIBVS ciuitates, & populi gubernantur, actiones humane diriguntur; quibus aut permittuntur, aut puniuntur, aut imperantur, aut vetantur: Et ideo de ipsis disputare nos oportet; cum lex sit certa quadam norma, & regula rerum agendarum, fundamentum libertatis, fons, mens, & consilium æquitatis. Ac primum de lege Humana, postea verò de Naturali, ac Diuina breuiter differemus.

CAPVT PRIMVM.

Vnde Lex dicatur, & quid sit.

NIMADVERTENDVM est in Iure Canonico extare Titulum de Constitutionibus, qui est secundus ordine in Decretalibus, & in Sexto: & in Digestis libro primo Titulus tertius est de Legibus, & Senatus consultis; & Titulus quartus de Constitutionibus principum; & in Codice lib. 1. Titulus 17. est de Legibus, & Constitutionibus. Theologi in Tertio distinctione 37. pauca quadam de Legibus traherunt, de quibus tamen S. Thomas vberius, & fufius disputauit. 1. 2. a. quæst. 90. vsque ad 108.

Primo queritur, Vnde sit dicta Lex? Respondeo dictam esse latine iuxta quorundam sententiam à legendo, hoc est, deligendo: nam verbum legendi significat etiam teste Varrone deligere; eo quod lex sit certa norma, & regula deligendi rectum: vel quod sit multorum consultatione, & cõsensione delecta: Vel quod ex multis, quæ possent constitui, vna lex sit ad id, quod factò opus est, delecta. Nam, vt ait Cicero, *lex est recti præceptio, prauique depulsio: eo quod recta deligat, contrariaque rejiciat.* Vt alij volunt, lex dicta est à legendo, eò quod sit scripto tradita, vt nota sit omnibus, & ab omnibus obseruata. Leges enim tabulis incisæ parieti affigebantur, vt à populo legerentur. Secundum alios, lex dicta est à ligando, eo quod is, qui legem fert, subiectos ita obstringat, vt agere cogat iuxta id, quod sua lege constituit: nam lege condita populi tenentur. Græcè lex dicitur *νόμος*, dicitur τὸν πειθεῖν, quod est, tribuere, vt inquit

Var. lib. 5. de ling. lat.

Cic. libr. 2. de natura Deorum. Isid. libr. 5. Etym. ca. 3. Cnc. lex. dist. 1.

Cic. libr. 1. de legib.

Cicero,